Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Tarnow

Johannis Tarnovii SS. Theol. D. & in Academia Rostochiensi Profess. Nucleus Epistolarum Cum Dominicalium Tum Festivalium. Hoc Est: Dictorum ex Epistolis per totum annum in Ecclesia explicari solitis praecipuorum luculenta exegesis Posthuma

Rostochii: Wilde, 1649

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730469042

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730469042/phys_0001
DFG

Fl 1295 1.2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730469042/phys_0002
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730469042/phys_0003
DFG

JOHANNIS TARNOVII
SS. Theol. D. & in Academia Rostochiensi Profess.

NUCLEUS EPISTOLARVM CUM DOMINICALIUM TUM FESTIVALIUM.

HOC EST:

Dictorum ex Epistolis per totum annum in Ecclesia explicari solitis præcipuorum luculenta exegesis

POSTHUMA.

ROSTOCHII,
Apud JOACHIMUM Wilden/Bibliop.
ANNO M DC XLIX.

Fc 1095.2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730469042/phys_0005
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

VIRIS

Nobilisſimis, Magnificis, Ampliſſimis, dignitate, prudentiâ, doctrinâ, omniq; virtute Excellentisſimis

Dn. Dn. Conſulibus, Syndicis, cæterisqve Senatoribus gravisſimis Imperialis liberæ LUBECENSIS, ut & Celeberrimæ REIP. HAMBURGENSIS, Dominis & Patronis ſuis ſubmiſsè colendis

Gratiam & pacem à Deo Patre per Jeſum Chriſtum in Spiritu Sancto.

ACADEMIARUM, VIRI Nobilisſimi, Amplisſimi, Magnificentisſimi, cumprimis Germanicarum, miſerrimam eſſe ubivis fermè ſortem, nemo non facilè animadvertit. Ejus cauſas, vel lippis & tonſoribus notas, prolixè non recenſebo, id duntaxat qverar, illud qvoqve earum obeſſe incremento & ſaluti, qvod ad ſe miſſos juvenes ita recipiunt, ut paucos meliores, plurimos ſæpè deteriores ad ſuos remittere co-

gantur. Eò enim, heu, eheu! redacta res est, ut, si modo primum Vitæ Academicæ absolverint annum, legibusqve, non dicam qvibus, certè non magistratus legitimi, submissè & sanctè paruerint: incredibili cum desiderio & prolubio STUDIOSI nomen solenniter accipiant & usurpent, ut sæpiùs cogitarim, imò exhorruerim, vix qvenqvam tanto cum tripudio, illius, qvâ omnium post seriam pœnitentiam & conversionem, à DEI ministro, impetramus peccatorum veniam & indulgentiam, qvam ejus qvæ Pennalistica dicitur, Absolutionis honorem qværere, aufferre, præ se ferre, magniqve instar thesauri æstimare. Exacto anno vel discedit, vel licentius & dissolutius vivitur. Quanqvam enim adhuc sint, qvi & Dn. Professorum lectiones audire publicas, & illud, DIC cur HIC sedulò adtendere, sicqve eruditionem & progressum qværere, inqve pietate morumqve elegantia proficere non desinunt: veruntamen (dicendum enim qvod Res est) & hi, reliqvorum, suo modo & genio viventium, odium & contemptum interdum effugere neqveunt, & moribus placitisqve multitudinis cedere coguntur, nisi & ipsi STUDIOSI nomine indigni-

dignisſimi, & libertatis, ſcilicet, Academicæ prodigi & deſertores haberi velint. Unde omninò neceſſe eſt eos, qvi ita agunt & enutriuntur, non magis ſapere poſſe qvam benè olere, qvi ſemper in culina habitant. Non deeſt qvidem Virorum doctisſimorum, ſalutisqve Academicæ amantisſimorum labor & induſtria, qvæ monendo, increpando, ſerioqve animadvertendo, ejusmodi ſeſe vitæ moribusqve opponat, ſed in hisce temporibus, ubi Martis qvàm Artis gloria major, omniaqve militum plena ſunt ſtrepitu, nec tam antiqvus candor, ſinceritas & honeſtas adtenduntur, qvàm NOVA, mihiq; nunc non dicenda, RELIGIO, moresqve militares, fruſtra laboratur. Optimè actum eſt cum qvibusdam Profeſſoribus, cumprimis Theologis, qvos hodiernæ vitæ & moribus Deus noluit eſſe ſuperſtites, ne & ipſi cor ederent ſuum, huicq; corruptisſimo vereq; doctis infenſisſimo ſervirent tempori. Hos inter eſt JOHANNES TARNOVIUS, D. Theolog. & Profeſſor hujus Academiæ qvondã celeberrimus, Præceptor noſter deſideratisſimus, de cujus vel eruditione, vel induſtria, vel vita ut dicamus, toto jam orbe Clarisſimum ejus non admittit lumen. Suffi-

„ ciat Nobilisſimum unius, & ab adverſariis ei
„ datum approbatumq́; teſtimonium, qvo FE-
„ LIX ille S. S. literarum interpres, Academiæ
„ Roſtochienſis Sol oriens & ocellus, cujus pre-
„ tium ipſa & Eccleſiæ Evangelicæ, ignorare
videantur, dictus fuit, adduxiſſe. Ille pu-
blicis ſuis id cumprimis agebat lectionibus,
ut Eccleſiæ formaret Doctores, Studioſosqve
Theologiæ non tantùm Exemplo erudiret
ſuo, ſed & qvomodo in illâ domo, qvæ eſt cæ-
tus DEI viventis, columna & firmamentum
veritatis, verſandum eſſet, variis modis edo-
ceret. Quanto, DEUM immortalem! cum
zelo & fervore illorum caſtigabat ignaviam
& ſocordiam, qvi necqvidqvam de ſeipſis ſi-
bi promittentes & ſperantes boni, omnia ex
POSTILLIS aliorumq́; peterent commen-
tariis! qvantopere lingvarum, Ebrææ & Græ-
cæ, Theologo futuro, perneceſſarium urge-
bat ſtudium! qvâ gravitate animiqve ardore
dignam futuro miniſterio ab ejus Candidatis
reqvirebat vitam! Felices profectò qvi ex e-
jus profecti ſunt diſciplina, qvos inter, dum
meum qvoqve profiteor nomen, gratulor vi-
neæ Domini, qvod qvas olim publicè dicta-
vit Homilias Evangelicas & Epiſtolicas, vi-

deam

deam ſuperſtites perqve prælum longè lateq; in eadem diſſeminandas. In hisce enim ſpero, qvantum Eccleſia Virum & Doctorem JOHANNEM *habuerit* TARNOVIUM ſatis etiam ſuperqve eluceſcet, imò loqvetur & ille mortuus, animæqve jam cœleſtis ſapientiam & informationem terra, ceu inſigne beneficium poſthumum, admittet, cœloqve parabitur. Ex illis Epiſtolicæ, cùm patronos ſibi qværerent, ad V.V. inclytas. M.M. Nob. & Excell. eundum eſſe, viſum fuit, qvarum, Beata Tarnovii mens, autoritatem imperandiqve ſolertiam & prudentiam ſemper ſolebat facere maximi, qvasqve id cum primis penſi habere ſciret, ut ovili Chriſti, illos vocarent præficerentqve Paſtores, qvos divinitus ei deſtinatos eſſe ipſa edoceret Experientia. Admittite ergò hilares lubentesqve, cœleſtis cœlitusqve vos alloqventis animæ poſthumum fœtum, qvem ſuperſtitis Viduæ liberorumqve, JOHANNIS præprimis unici, paternarumq; virtutum æmuli filii, vobis commendare & offerre nomine, hujusqve ſtudia ut juvare & promovere (poteſtis enim) velitis, qvo in illo tandem, qvod voveo ſperoqve, orbi parens reddatur, ſubmiſsè ſummaqve cum obſervantiâ

tiâ etiam atqve etiam rogare debui. DEUS Ter Maximus V. V. N. N. M. M. & A. A. prout hactenus clementissimè fecit, ita servet, ut subditos in tãtis turbis videatis sub vite & ficu sua agitantes, ab omni hostili impetu liberrimos, vosqve cum illis FELICISSIMOS. B. V. Rostochi 1643. postridie Dom. Trinit.

V. V. N. N. & M. M. observantissimus

M. ELIAS TADDEL, S.S.Th.Prof. & Pastor Petrinus B. Johannis Tarnovii, relictæ viduæ & liberorum superstitum nomine.

DOMI-

DOMINICA I. ADVENTUS.

Rom. 13. init. vers. 12.

Ἡ νὺξ προέκοψεν, ἡ δὲ ἡμέρα ἤγγικεν.

Nox progressa est, dies autem appropinqvavit.

GENES. 28. Jacob, qvi posteà dictus Israël, proficiscens in agro pernoctat, ibiq; in somnis illi apparet Jehova: verùm evigilans v. 16. Certè, inqvit, Jehova est in hoc loco; attamen ego nesciveram, & v. 17. nihil est hîc, nisi domus DEI, & porta cœli, vocavitq; nomen loci Bethel, vers. 19. Ex eo orti Israëlitæ, proficiscentes & peregrinantes ex terrâ in cœlum, in agro Domini, seu terrâ promissâ pernoctant: ibiq; illis in V. Test. in somnis apparebat Jehova, Num. 12. v. 6. & ipsi, velut in nocte, sublustri, videbant qvidem DEUM; sed in Novo Testamento evigilantes, Sole Justitiæ jam orto, Mal. 3. v. 20. longè dilucidiùs, ac magis perspicuè singula cognoverunt; nempe in magnâ illâ DEI domô seu Ecclesiâ, 1. Timoth. 3. qvæ verè tum dicta Bethel, cùm anteà esset לוז, seu illa, qvæ à DEO suo recesserat, Ose. 1. & 2. Jerem. 31. Ibi est porta cœli, seu Christus, per qvem solùm venimus ad Patrem, Joh. 14. Qvi Christus, in V. Test. sub umbris; in Novô autem, in ipsâ luce resplendet: cùm habeat, imò cùm sit omnium illorum corpus. Illud est, qvod Apostolus his verbis declarat: Rom. 13. v. 12. *Nox abiit; dies autem appropinqvavit.* Cujus dicti duæ esse possunt partes:

I. V. Test. qvædam obscuritas.
II. N. Testamenti major claritas.

PARS PRIMA.

EX Ægypto fugientibus & ad terram promissam properantibus Israëlitis; nec viam per desertum satis scientibus, Jehova ipse

antecedebat eos; noctu qvidem in columnâ ignis; ad afferendam illis lucem: at interdiu in columnâ nubis; ad deducendum illos viâ rectâ, Exod.13.v.21. Conferri illa possunt cum Veteri & Novô Testamento; qvoad convenientiam, & qvoad *differentiam*. Utrobiqve enim Dominus Israëlitas; ibi πρώτως & propriè sic dictos; hîc secundariò, & ob fidem Israëlis ita appellatos, Rom.9. antecedit, ut sui populi summus Dux ac Dominus exercituum: Utrobiqve etiam in columnâ, qvæ firmitatem benevolentiæ ac promissionum denotat. Verùm ibi erat columna ignis: ibi DEUS sæpè severiùs cum suo populo agebat, multis ceremoniis onerabat, Act.15. v.10. & delinqventes graviter puniebat: sicut ex historiâ Israëlitarum, in Exodo & Numeris descriptâ, liqvet: eratq; tum contra immorigeros statim velut ignis consumens, Deut.4.v.24. hîc autem in N.Testam. est velut columna nubis, qvæ obumbrat nostra peccata, Esa.44.v.17. Unde etiam Christum in monte cum Patre loqventem nubes obumbrabat, Matth.17. Ibi columna ignis, & præcepta severa afferebant lucem in tenebris; hîc verò in mediâ die, columna nubis & gratiæ plenitudo deducit nos viâ rectâ, Psal.25. & 143. Verùm qvando jam aurora & dies oritur, excitari decet à somno: Sic etiam nos in Novo Testamento oportet ignorantiæ discutere soporem. Nunc enim, cùm Christus Patribus tantùm promissus, jam venit in carnem, datus & natus nobis, propiùs accesit ad nos nostra salus, in Salvatore; qvàm tunc erat, qvando illam solùm venturam cum Patribus V.Testam. credebamus (fides enim est propriè rerum earum, qvæ nondum videntur) & desiderabamus, ut veniret ille desideratus gentibus. Jam verò Apostoli tempore, visus & auditus erat Salvator, Luc.10.1.Joh.1.v.1. Illa ergò nox Typorum & Umbrarum, Col.2.v.17.Hebr.10.v.1. jam decessit, &, qvi in illâ hactenus vixerant, Judæi, si modò voluissent ipsi, plus ex Johanne Baptistâ, Christo ipso, ejusq; Apostolis, proficere potuerunt; qvàm ex præcedentibus Doctoribus: siqvidem verbum Græcum προκόπτω (qvod est in textu) & *abeo* & *proficio* denotat.

LOC. COMM. I.

VEtus & Novum Testamentum potissimum tria significant.
1. Ratione temporis, V.Test. denotat tempus antecedens prædica-

dicationem Iohannis Baptistæ. Novum id, qvod successit. Et ita illa duo differunt perspicuitate ac claritate. 2. Ratione Librorum: (qvæ significatio etiam est ἔσοπτρον, 2. Corinth. 3. vers. 14.) Vetus Testamentum denotat libros ante CHRISTUM natum: Novum post eum scriptos. 3. Ratione pactorum: qvomodo illud legales ac conditionales, respectu meriti nostri; hoc Evangelicas gratuitasq; promissiones continet: illud damnat; hoc salvat, 2 Corinth. 3. Atqve ita Apostolus ea confert cum Agare & Sarâ, Gal. 4 v. 22. Primo verò modo accepta, confert ibidem v. 1. & 2. cum hærede parvulo, & jam adulto, & sic illi parvulo, ad Christum Præceptorem unicum, Matth. 23. v. 8. deducendo Pædagogum addit, Galat. 3, 24. Cùm itaqve h. l. Apostolus V. Test. vocat noctem; ratione perspicuitatis ac temporis id dicit. In qvo tamen, ratione pactorum, potuerunt esse multi, sub N. Test. seu gratiâ: ut omnes pii Patriarchæ, & alii ante Christum natum salvati, Hebr. 11. Act. 15.

II. LOC. COMM.

UT autem sub nocte eadem res est, &, si ea Lunæ radiis illustretur, videri potest, licet obscuriùs: Sic etiam Christus Salvator, in V. Test. respectu temporis (secundùm divinam naturam Johan. 8.) erat, & ratione officii sui agnoscebatur: verùm non ita dilucidè ac perspicuè; qvàm in N. Testam. (respectu temporis.) Confer Jerem. 31. & Hebr. 8. ut sanè cœcutiant in meridie Anabaptistæ, Photiniani & alii, qvi dicunt tantùm de rebus terrenis Israëlitis in V. Testam. datas & exhibitas fuisse promissiones.

III. LOC. COMM.

QVia nox jam in N. T. abiit, exortô Evangelii fulgore, discutiamus per Solis justitiæ radios mentis nostræ tenebras, & non velut in nocte palpemus, aut offendamus; sed rectè credendo & piè vivendo firmiter & prudenter ambulemus.

SECUNDA PARS.

DIscussis tenebris, lux; exactâ nocte, dies oritur. Ita etiam, umbrarum sub V. Testam. tempore elapso, Lux illa major, qvæ sub tempus N. Testam. promissa est per Prophetas, Esa. 11, 9. & 19, 21. & 54, 13. & 60, 1. Jerem. 31. 34. Hab. 2, 4. est insecuta: de qvâ hoc loco Paulus: *Dies verò ipsa appropinqvavit.* Aurora jam in hâc vitâ orta;

ta; nondum advenit meridies, ubi omnia omninò illustrantur: siqvidem, respectu vitæ futuræ, adhuc longè major lux in omnibus rebus spiritualibus expectatur, 1. Cor. 13. 1. Joh. 3. 2. Petr. 1. Qvemadmodùm, qvando dies appropinqvavit, pleraqve qvidem videntur rectiùs, qvàm de nocte: longè tamen meliùs videmus omnia, cùm Sol pervenit ad medium cœli, seu ipsum μεσεμβρίνμα.

LOC. COMM. I.

Dies N. T. qvid moneat.

DIes, qvando est, Sol ortus est. Sed jam dies est. Christus igitur Sol justitiæ exoriens ex alto jampridem venit. Qvid itaqve frustrà eum expectant adhuc Judæi? Si dies est: illa omnia, qvæ ad salutis viam spectant, videre possumus. Qvid igitur lucem à tenebris eunt mutuatum Pontificii? qvùm Scripturas dicunt esse obscuras, similes cœcutientibus de die ululis & vespertilionibus, & petunt, sibi à Papâ eas præter Scripturam explicari. Dies est: aperi oculos, & videbis. Surge, qvi dormis: & illucescet tibi Christus, Ephes. 5, 14. Si dies est: etiam ambulemus in luce, ut decet, in conspectu DEI, Angelorum, & piorum hominum; qvemadmodùm in seqventibus prolixè declarat Apostolus, & monet, ubi facta fuit hominum illuminatio per Evangelium, ut in Romanis anteà gentibus, ibi jure opera lucis reqviri.

II. LOC. COMM.

Nunc advesperascit.

SI dies hujus seculi, tempore Apostoli, jam appropinqvavit; certè, hoc nostro tempore, jam ad vesperam declinabit. Nos igitur rogemus eum discipulis Emaunta, id est, arcem pergentibus, dùm ad arcem cœlestem contendimus sub mundi vesperam, Luc. 24. Mane nobiscum Domine, qvia advesperascit, & dies jam declinavit. Abiit dies scientiæ & consolationis; ingruit nox ignorantiæ & dubitationis & desperationis: mane nobiscum ô DEUS: ita manebit dies.

III. LOC. COMM.

SI dies nobis appropinqvavit: nos in die appropinqvemus ad diei Autorem, ut, qvando oculi nostri jam contenebrescere incipiunt, Eccles. 12. & nos cogimur per vallem umbræ lethalis progredi, ille nobis adsit nostra Lux, noster Dux, Psalm. 23. Sic benè hinc transire, & in urbem DEI pervenire possumus. Qvod ut fiat, cum Davide

de oremus Psal. 143. Domine, Spiritus tuus bonus deducat me viâ rectâ: & Psal. 139. Domine, duc me viâ æternâ. Ita poterimus cum Christo nostro (ut hodiernum habet Evangelium) Hierosolymam illam cœlestem triumphantes intrare, Matth. 21. tenentes palmas in manibus, Apoc. 7. 9. & 10. victoriæ ab hostibus reportatæ, & pacis deinceps futuræ indices, Amen.

DOMINICA II. ADVENTUS.

Ex Epistolâ Rom. c. 15. v. 4.

Ὅσα γὰρ προεγράφη, εἰς τὴν ἡμετέραν διδασκαλίαν προεγράφη, ἵνα διὰ τῆς ὑπομονῆς καὶ τῆς παρακλήσεως τῶν γραφῶν τὴν ἐλπίδα ἔχωμεν.

QVæcunqve præscripta sunt, in nostram doctrinam præscripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.

JAcob Gen 49. & Moses Deuter. 33. DEI ministri, populo Israëlitico fata ventura, ex instinctu Spiritûs Sancti, cecinerunt, ut ipsi tanto alacriùs, ad terram Patribus promissam, pergerent, nullâ difficultate deterriti: etsi apud paucos tantùm id, qvod monebant, obtinere poterant. Nos omnes ut tantò confidentiùs in viâ angustâ, Matth. 7. Act. 14. ad promissa cœli gaudia, veramq; DEI reqviem properemus, Hebr. 4. nullâ vel hostium acerbitate; qvippe qvos vicit pro nobis Christus, 1. Cor. 15. Joh. 16. vel nostrâ infirmitate; qvippe in qvâ DEI potentia perficitur, 2. Cor. 12. abstracti: DEUS ipse multa humano generi præscripsit & credenda, & facienda & patienda: ut calamitatibus velut telis prævisis minùs terreremur: Qvæ præscripta, si non servantur ab omnibus, (Multi enim vocati, pauci electi) à parvo tamen Christi grege & nonnullis reliqviis tenentur. Hâc de re Apostolus hîc habet insignem locum, qvem, cùm non careat suo multiplici usu, perpendemus cum magno animi nisu. Partes ejus constituentes duas:

Jacob & Moses Israëlitas excitant.

Nos omnes DEUS.

Harum erit I. Scripturæ in docendo necessitas.
II. Ejusdem in consolando utilitas.

PARS PRIMA.

Esai. 8. ESaiæ Prophetæ cap. 8. mandat Dominus, ut in volumine magno scribat stylo humano, (pro designando filii nomine Maher-schalal-chasch-bazo) fore, ut accelerando prædam festinet diripere Assyrius. (hæc habentur in nomine composito Hebræo) ut ita Israëlitæ tùm viventes vel sibi caveant, vel suâ culpâ pereant.

Amanuenses Dei jubentur scribere, & qvidem perspicuè. Ita etiam DEUS hinc inde Mosi, Deut. 27, 8. Exod. 17, 14. Esaiæ c. 30, 8. Jeremiæ, c. 30, 2. & c. 36. v. 2. & 28. Ezechieli, c. 43, 11. Johanni, Apoc. 1, 11. & 21, 5. mandavit, ut scribant, qvæ ipsis dictat Spiritus Sanctus, 2. Petr. 1, 21. & qvidem perspicuè, ut intelligantur, (Habacuc c. 2, 2.) idq; propterea, qvòd DEUS nolit homines à Diabolo imprudentes opprimi; sed ipsi, horum virorum DEI ac speculatorum Ezech. 3. & 33. monitu cogitent, eum involare semper ad prædam. Qvomodo etiam ipsa aliorum, vel bonorum laudatorum, qvod sibi moniti caverint, vel malorum reprehensorum, qvòd admonitiones istas securi neglexerint, *Exempla* in Bibliis hinc inde, præcipuè in V. Test. magno numero notata, valdè sunt utilia: Qvia scitum est, ex aliis periculum facere, tibi qvod ex usu sit. Ut ita, qvisqvis perit & præda fit leonis infernalis, suæ id tribuat supinæ negligentiæ: *Qvæcunqve enim ante nos sunt scripta, ad nostram doctrinam sunt præscripta.* Ad doctrinam tàm eorum, qvæ, ut verâ fide sunt amplectenda; aut ut falsa, rejicienda ac refutanda: qvàm eorum, qvæ ut bona, in vitâ moribus sunt exprimenda; vel ut mala, fugienda. Qvomodo Apostolus, has theoriæ & praxis Christianæ species, ipse evolvit, 2. Timoth. 3, 16. adeò, ut nihil omninò sit scitu necessarium, cujus notitiam & instructionem satis uberem, ex Scripturæ mari, haurire non qveamus.

Exempla.

I. LOC. COMM.

Omnia scripta Canonica utilia. SI omnia omninò, in sacris literis comprehensa, continent doctrinam nobis utilem, qvî possunt nonnulli Hæretici vel omnem Scripturam; vel totum Vetus, vel totum Novum Testamentum; vel aliqvam ejus partem ut inutilem rejicere. vide *Bellarm. lib. 1. de verbo DEI c. 6.* vel solus hic Paragraphus eorum φλυαρίας satis refutat,

futat, qvando dicit Apostolus: qvæcunqve sunt antè scripta, puta, (ut ipse Apostolus se explicat, 2.Tim.3,16.) ab hominibus, Spiritu Sancto uberiore mensurâ donatis: ne qvis temerè subsumat de libris V.Test. Apocryphis, qvos Apostolus hâc universali particulâ non comprehendit, aut in Canonem refert.

II. LOC. COMM.

HOc etiam aliqvo modo ipsum verbum Græcum προγέγραφη innuit: siqvidem προγράφω non tantùm significat ante; sed etiam præscribo, demonstro, declaro, Gal.3,1. ut rectè dicas, ac limites ex Apostolo, qvæ sunt ita antè scripta, ut sint nobis fidei morumq; dogmata præscripta. Id qvod ex κριτηρίοις, cùm internis, tùm externis Canonem probantibus, petendum. Programmata sacra.

III. LOC. COMM.

FInis sacrosanctæ Scripturæ principalis qvis sit, hîc innuitur: Nempe ut homines, qvi ea, qvæ sunt Spiritûs DEI, naturâ ignorant, imò ne qvidem capiunt declarata, 1.Cor.2. erudiantur de suâ ipsorum miseriâ & DEI misericordiâ, de DEI beneficio, suoq; officio; Cujus institutionis sive didascalias summus author, καθηγητὴς ac διδάσκαλος est Christus, Matth.23,8. & 10. Joh.3,2. & c.13,13. Qvi, ut hoc significaret, etiam duodecennis in medio Doctorum consedit, Luc.2. Nescis itaqve cum Nicodemo, Joh.3. qvomodo ad cœlum pervenias? hunc consule Magistrum, & certior fies: Ignoras eum Samaritanâ, ubi sit aqva vitæ? hunc adi: monstrabit. Latet te, ubi habeas panem vitæ, Joh.6? hûc accurre; hic summus promus condus eum indicabit, imò dabit. Fugit te, qvid facias? hunc audi; docebit vera & justa, Matth.22. Ad summam, qvæ te in sacris latent; per hunc explanatorem patent, Joh. 1,18. Luc.24,48. Tu modò discipulum te præstes discentem; Præceptor ille erit fidelissimè docens; Verùm jam per Scripturas vel lectas, vel auditas. Nos erudiunt. Christum adi & audi.

Unde LOC. COMM. IV.

ERror patet 1. Pontificiorum, qvi negant, Scripturas sacras esse legendas à Laicis: Si enim sunt ad doctrinam eorum scriptæ; qvomodo lectione illarum ipsis potest interdici? 2. Illorum, qvi existimant; tantum per auditum esse fidem, (qvod ut verum est in suo sensu Apostolico: ita non exclusivè positum invenimus, Roman. Scriptura est etiam à Laicis legenda.

man.10. v.17. Hîc enim audimus, omnia esse scripta ad doctrinam nostram: si scripta; per lectionem nos docent. Scripta enim, qvà talia, non audiuntur; sed leguntur, nisi cum Chrysostomo velis dicere: Qvando Scripturas legimus, DEUM loqvi nobiscum: unde & ipsa Scriptura loqvi dicitur.

SECUNDA PARS.

QVando Scripturas legimus, aut audimus diligenter, fidem concipimus, scientes nos habere per eam in nobis ipsis, meliorem substantiam in cœlis, (qvàm qvæ in terris est, & facilè perit, Matth.6,10.) & qvidem manentem, Hebr.10,34. Verùm, ut hanc fiduciam, velut hypothecam certissimam cœlestis hæreditatis, Diabolus nobis eripiat, nullum non movet lapidem, & varias Christiano creat molestias, qvo illam abjiciat, Hebr.10,35. His ne frangatur molestiis, patientiâ opus habet, ut, cùm voluntatem DEI fecerit, reportet rem promissam. Ibidem v.36. Nam

Patientia Christiana.

Qvid prodest sacros scire atqve evolvere libros;
Si fugienda facis, si facienda fugis?

Nil aliud, qvàm ut sciens Domini voluntatem servus, vapules pluribus, Luc.12. Vult enim DEUS nos in hâc vitâ affligi, 2.Tim.3,12. & in patientiâ possidere animas, Luc.21. Id igitur vel inprimis ex multiplici Scripturæ doctrinâ tenendum: ὑπέμον καὶ ἐλπιζέον, ferendum & sperandum, qvomodo pergit Apostolus: præscripta esse illa etiam in præceptis ac historiis V. Testamenti, ut per patientiam spem habeamus, qvam vel sanctos habuisse, (ut de Noacho, Lotho, Mose, Davide, Jeremiâ constat,) & salvatos esse: vel improbos non præstitisse suo DEO, & periisse, ut de qvibusdam Israëlitis patet, (Exod. 16. 17. & 32. capitibus, Num. 11. 13. 14. & 16. capp. 1. Corinth.10.) legimus: Et proinde illos imitari; horum autem pœnam intueri & effugere convenit: qvidq; nobis ex usu sit, inde videndum; nempe, si præstamus patientiam, etiam DEUS dat, ut, per consolationem Scripturarum, promissionum (Psal.91.v.15. & 71. & 20. Thren.3,20. Esai.43,1. & 57,19.) atqve exemplorum ex calamitatibus mirabiliter ereptorum, (veluti Josephi, Gideonis, Danielis, Mardochei,) spem firmam habeamus: eâq; tanqvam anchorâ firmissimâ & minimè fallaci, firmemus ac fundemus, in hoc mundi

ac

ac turbarum pelago, noſtram navim, Hebr.6,19. qvâ, velut cum Noacho, in arcâ circumvehimur; donec in monte DEI illa ſiſtatur, 1.Petr.3. Gen.8.

LOC. COMM. I.

CUr Scripturæ nobis à DEO ſint datæ; & cur à nobis præcipuè diligenter cognoſcendæ, hinc diſcimus: Non, ut tantum ſciamus; verùm, ad uſum transferamus. Beati enim, qvi ſciunt hæc, & faciunt, Joh.13,17. & 15,14. Confer ad hanc rem 1.Cor. 8, 2. Rom. 2,13. Jac.1,22.23. Proverb.22,17. Syr.19,20. Jacob.4,17. 1.Timoth.1,19. Et ſcies, Theologiam non tantùm in affatu & nudâ cognitione; ſed etiam in affectu, effectu & actione cõſiſtere: non eſſe tantùm (qvod hodiè tamen apud plerosqve obtinet TANTUM) materiam controverſiarum; ſed mare ſalubrium doctrinarum: & earum, qvarum vis ad actionem refertur: ut DEUM rectè cognoſcas: purè colas: proximum diligas, teq; ipſum pietati totum devoveas. Qvod niſi fit, idem noſtris hominibus contingit, qvod Iſraëlitis: qvi manna ederant, & aqvam ex petrâ miraculosè ſcaturientem biberant; 1.Cor.10. & nihilominùs peribant.

II. LOC. COMM.

CHriſtiani, qvando per Baptiſmum Chriſto & Eccleſiæ inſeruntur, ac in militiam Domini Zebaoth dicunt Sacramentum, ſtatim vident, in vexillo ſibi prælato ſymboli loco, ſcriptum, Pſalm. 34, 20. Multæ ſunt afflictiones juſti; ſed ex omnibus eripit eum Jehova. Sæpè verò hoc differt, certis de cauſis, auxilium: tùm verò tolerandum; ὑπομένειν δεῖ; ſtare ac manere decet ſub pondere, atqve durare: non verò, more ignavorum ac ſine animô militum, ſe pugnæ ac labori ſubtrahere, Hebr.10,36.38. Id notat vocabulum Græcum ὑπομονὴς longè emphaticoteron, qvàm Latinum *patientiæ*. Talis ὑπομονὴ erat in Moſe, Davide aliisq;: de qvibus Epiſtola ad Hebræos cap.11. Et qvemadmodùm terra, benè aratro proſciſſa ac protrita, reddit bonum fructum: ita pii καρποφορῆσιν ἐν ὑπομονῇ, Luc.8,15. malis probè exerciti ac fracti, & tantùm non planè contritum cor inde ſentientes, fructum ferunt perfectum, τελεσφορῆσιν, ibid.v.14. Qvemadmodum verò in bello milites animoſos reddit ſpes prædæ & victoriæ: ita nos incitabit ſpes æternæ

Chriſtianorum Symbolum.

vitæ ac gloriæ: siqvidem ὁ ὑπομείνας εἰς τέλος salvabitur, Matth. 10. εἰ ὑπομένομεν καὶ συμβασιλεύσομεν, 2. Tim. 2. Beatus enim vir, qvi ὑπομένει tentationem. Jacob. 1. Abraham à DEO valdè prædicatur ob suam fidem, qvam in patientiâ declaravit, ad mandatum DEI mactaturus suum filium, Gen. 22. Jacob. 2. Nos etiam olim beati reputabimur, si ex fide illam habuerimus patientiam; ut etiam filium, seu qvæ sunt nobis longè charissima, velut cogitationes in nobis natas, ac à nobis ortas, in honorem DEI occiderimus: hoc est: pravis nostris affectibus & concupiscentiis, qvantumvis arrideant, non indulgeamus, stantes ad montem Moriæ, seu timoris Domini.

Abrahamum imitemur.

III. LOC. COMM.

ILla autem patientia, qvia non oritur ex nobis, seqvitur apud Apostolum, unde possit haberi: videlicet ex consolatione Scripturarum, per qvas nos docet & firmat Spiritus Sanctus παράκλητος ille optimus, Joh. 16. & Christus apud Patrem etiam noster παράκλητος seu Advocatus, 1. Joh. 2. dum in illis promittunt, se in malis affore & manum porrecturos, Rom. 8, 26. & nos ad cœlum à terrâ avocant. Iidem semper nobis acclamant, ut per patientiam decurramus nobis propositum stadium, 1. Corinth. 9. respicientes ad fidei ducem & consummatorem Christum, Hebr. 12, 1. & 2. Confer Luc. 24, 26. Act. 14, 22. Illa enim est vis & efficacia vocabuli Græci παράκλησις, à παρακαλέω, advoco & adhortor, velut militiæ dux, milites animosos reddo.

παράκλησις.

IV. LOC. COMM.

DUm non habemus rem; teneamus spem: qvæ tamen DEO nixa & fixa non confundit, Rom. 5. Accedamus cum vero corde in fiduciâ, (πληροφορίᾳ, metaphor. à probè saburratâ aut oneratâ navi sumptâ, qvæ non facilè à vento evertitur, ad qvam suprà allusum in textûs explicatione) comprehendamus professionem spei non vacillantem; qvoniam fidelis est, qvi promisit, Hebr. 10, 22. 23. Idem etiam nos tandem ducet per angusta, ad augusta; per ignominiam, ad gloriam. Interea verò nos hoc agamus, ut, qvæ præscripta sunt à DEO, diligenter cognoscentes per Scripturarum consolationem, in hâc miseriâ, de futurâ gloriâ spem habeamus fir-

Spes.

firmisſimam, fore, ut, qvicqvid ſementis ad Paradiſum DEI (ubi enim Paradiſus ſitus, olim terra erat valdè fertilis) fecerimus, non pereat; ſed centuplicem, imò millecuplum olim fructum reportemus. Confer Pſalm.126,5. Eccleſ.11,1. Gal.6,7. & 8. tùm verò, qvando erit hujus Seculi meſis. Matth.13,39. Apoc.14,15. pii etiam fine fine gaudebunt, Pſal. 4,7. Eſa. 9,3. Jud.9,27. O vita beata! ô meta ſperata! ad tuam anhelamus veram juſtitiam! tuam deſideramus meram lætitiam, ſpe gaudentes, in afflictione ſubſiſtentes, in oratione perdurantes, Rom. 12,12. Amen.

DOMINICA III. ADVENTUS.

1. Corinth. 4. v. 1.

Οὕτως ἡμᾶς λογιζέσθω ἄνθρωπος, ὡς ὑπηρέτας Χριστοῦ, καὶ οἰκονόμους μυστηρίων Θεοῦ.

SIc nos æſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum DEI.

GEneſ.15,12. & cap.24. Abraham ſervo ſuo morigero ac fideli hoc dat teſtimonium, qvòd ſit filius diſcurſitationis domûs ſuæ, id eſt, procurator fidus ac diligens omnium rerum: Isq; qvi verè dicatur Eliezer, id eſt, DEus meus auxiliator, cùm DEus per ipſum benedicat Patriarchæ. Huic, qvippe cujus fidem perſpexerat, id dat negotii, ut filio ſuo unico ambiat ſponſam in regione longè diſitâ: qvod & ipſe rectè expedit, heriliq; filio uxorem adducit. Honorificum ſanè hoc, omnibusq; ſervis inculcandum ſervi boni encomium, ut idem & ipſi parare ſibi conentur. Inter ſervos autem DEI, vel primi ſunt verbi miniſtri, qvemadmodum Paulus ſe ſervum JESU Chriſti, Rom.1. Tit.1. & reliqvos etiam Chriſti miniſtros ſervos DEI, vel Chriſti, hinc inde appellat. His, qvando rectè ſuo funguntur officio, meritò des nominis hujus honorem, qvòd ſint filii diſcurſitationis domus DEI, hoc eſt, οἰκονόμοι. Et illi, qvi nihil ex ſe ſunt, veruntamen à DEO adjuti ſalvare poſſunt alios, 1.Cor.3. veri Eliezeri. Illi à DEO Patre emittuntur in mundum, ut Filio ſuo dilecto adducant ſponſam, ſeu congregent

Elieſer fidus œconomus.

Sic verbi miniſtri.

Ecclesiam, Matth. 22. Luc. 14. Joh. 3. qvod & ipsi præstant. De horum 1. *apud alios existimatione*, & 2. *ipsorum officii rectâ administratione*, 1. Corinth. 4. v. 1. agit Apostolus. Qvod dictum etiam in duabus illis partibus videbimus.

PARS PRIMA.

INter Corinthios orta erant schismata: dum unus auditorum hunc; alter illum Doctorem reliqvis præferebat, illiq; unicè adhærebat, cap. 1, 11. 12. & c. 3, 4. Illa ut tollat, adhûc Apostolus laborat, & qvodnam auditorum erga verbi divini ministros; ac vicissim horum erga illos sit officium, demonstrat: οὕτως, *sic*, & non aliter, *nos* omnes verbi ministros, sive magnis, sive parvis donis præditos, 1. Cor. 3, 5. *æstimet*, beneq; subductâ ratione de nobis ita reputet, (qvæ est verbi λογίζεσθω ab Arithmeticis desumpta emphasis; apud qvos videlicet notat, subducto calculo aliqvid certi concludo & expensum fero) ἄνθρωπος *omnis*, qvi modò est homo, ne, vel dignitate suâ magnâ, putet se impediri; vel vilitate avocari.

LOC. COMM. I.

Diversa judicia. SEmper mos ille in mundo viguit, viget atq; vigebit, ut diversa de diversis Doctoribus sint judicia: sæpè etiam schismata, ut ne qvid animo accidat novum, si hodiè id fieri videmus.

II. LOC. COMM.

Nec nimis tribuendum ministris verbi. VErbi divini ministris, nec nimis, nec minùs, qvàm par est, tribuendum. *Nimis tribuunt*: qvi vel planè illos ut Deos venerantur, qvales erant stulti illi Lystrenses à Paulo reprehensi, Act. 14, 13. 15. Si enim Angeli sancti nolunt adorari, Apoc. 19. & 22. multò minùs hi Angeli, etiamnum peccantes, illo cultu afficiendi. Peccant hîc Pontificii, adorantes Divos & Divas, qvòd magnis donis à DEO fuerint, cùm viverent, ornati, & multos docuerint; Vel, qvi ministris, qvâ ministris, vim tantam esse existimant, ut possint ipsi pro libitu, homines vel verè pœnitentes ligare; vel impœnitentes solvere. Qvales pleriq; hodiè, apud nostrates, existimantes: si modò ad Concionatores accedant, ipsisq; aliqvam confessionem, ac sine mente sonos recitent, dentq; aliqvid honorarii, à peccatis se posse absolvi; qvamvis nullam fidem, id qvod probant opera mala, habeant. *Minùs tribuunt* illi, nec rem rectâ secum reputant viâ, qvi dicentibus suis

Nec minùs.

Pasto-

Pastoribus non credunt, tàm in promissionibus, qvàm minis. Sunt enim isti ministri, si metas officii non excedant, os Dei, custodientes veritatem, Mal. 2. Item illi, qvi nil vilius aut inutilius pastore suo qvidqvam existimant, atqve ita Ammonitarum instar (Ammon plebs) ultra vulgus infrunitum nil sapientes, Legatos hujus nostri Davidis, seu Christi, (qvos ipse misit, ut ipsum Pater, Joh. 20. ut 2. Sam. 10. solentur homines in afflictione suâ,) ignominiâ afficiunt, qvos etiam pœna sua manet, vid. 2. Sam. 10.

III. LOC. COMM.

AUditorum est, ut benè subductâ ratione reputent, qvô in honore ac pretio habendi sint eorum Doctores, 1. Tim. 5, 17. qvod hîc præcipitur: ne putent parum interesse, num id fiat, an non. Qvotiescunq; igitur, (qvod fit qvotidiè) vos mercatores; cerevisiæ coctores; institores; subducitis rationes, (qvod facitis valdè sollicitis articulis) toties veniat vobis in mentem, reputare qvid DEO, Matth. 18. qvid vobis, qvid proximo debeatis, nempè: pietatem, puritatem cordis, charitatem. Imò etiam, qvid DEI Legatis in regimine Ecclesiastico, ac politico, videlicet: amorem ac honorem, seu reverentiam atqve obedientiam, Hebr. 13, 7. & 17. Rom. 13. Nisi solveritis, DEUS, ipsorum Dominus, à vobis severè exiget. Diligenter cogitandum, qvid debeamus verbi ministris.

IV. LOC. COMM.

ARbitrantur à pravis Aulicis persvasi, nonnulli Reges ac Principes; qvin etiam, qvidam Nobiles, se, qvia titulum Patronorum habent, esse superiores verbi divini ministris, in iis, qvæ spectant ad eorum officium, (persona enim omnis subdita illis esse debet, Rom. 13, 1.) seq; posse illis præscribere concionandi methodum ac modum. Audiant Apostolum: *Sic reputet nos homo.* Credo, illos nondum degenerâsse in bruta: homines eqvidem sunt; aut esse saltem volunt. Faciant ergò, qvod hominis esse Apostolus dicit, à DEO edoctus, qvi solus meliùs novit, qvæ in sacris credenda, aut facienda, qvàm mille Politici, aut pravi qvidam Consiliarii, non absimilis Achitophel, qvi persequi cupit Davidem, & Regi suo Absoloni populum restituere. Hi enim Christum semper persequuntur in suis ministris cum furioso Saule, Act. 9. & Principi omnia cupiunt tradere, ut ita illi sit pax: qvemadmodùm ipsos jubet humana ratiocinari prudentia. Patronis Ecclesiarum etiam.

SECUNDA PARS.

QVodnam verò verum omnium verbi divini ministrorum officium? & in qvo illi habendi pretio? Reputet nos omnis homo,
ὑπηρέτας. ut *ministros*: Græcè significantiùs ὑπηρέτας, tales, qvi magnum laborem exantlant, in propellendâ ac dirigendâ Christi nave, seu Ecclesiâ, velut remiges in navi, dicti ἐρέται; ab ἐρέσσω, remigo. Unde etiam ὑπηρέται, aliqvando dicuntur publici ministri, seu apparitores, qvi alio nomine dicuntur λειτουργοὶ, qvod nomen etiam eodem modo, ad Doctores verbi accommodatur in Scripturâ. Confer Act.13,2. Rom.15,16. Magnus igitur, variusq; labor ac onus ipsis impositum denotatur, hâc appellatione. Cujus verò sunt ministri? Num Consulis & Senatûs? num Patronorum, Nobilium, Principum? non ita, in sacris qvidem. Nam si illis plus nimiò placent, vel in malis, Christi ministri non sunt, Galat.1,10. Qvippe duobus contrariis Dominis simul servire neqveunt, Matth.6. Sed *Christi* Regis Regum, & Ecclesiæ suæ capitis, qvi ipsos vocavit, dignos fecit, 2.Cor.3,5. & beabit,2.Tim.4,16.Matth.24. Hoc igitur officium sustinent, ratione DEI; cujus sunt ministri laboriosi; Ratione verò auditorum sunt Magistri gloriosi. Sic, inqvit Apostolus, reputet
οἰκονόμοι. nos omnis homo, *ut dispensatores*, Græcè ἐμφαλικώτερως. οἰκονόμους, tales, qvi omnia officia in magnâ DEI domô, seu Ecclesiâ distribuant, pensa velut dividant, & cibos dimetiantur; qvæ sunt œconomorum officia, unicuiq; in Ecclesiâ viventi, in statu Ecclesiastico, Politico, Oeconomico, qvid sit faciendum; qvid omittendum, præscribant. Verùm unde? Non ex suo cerebro; sed ex Scripturis, seu mysteriis DEI. Est enim non humanarum ratiocinationum; aut placitorum; sed DEI mysteriorum dispensator, omnis probus concionator. O officium supra omnia officia, ut honore, ita labore plenissimum!

LOC. COMM. I.

Continens observationem qvandam Grammaticam.

כ, ὡς, id est, verè. PArticula ὡς, sæpè in Novo, ut כ in V. Testamento significat rei, cui attribuitur, non tàm similitudinem, qvàm ipsam identitatem. Confer Gen.25,33. 1.Sam.9,13.Psalm.122,3.Nehem.7,2.Esth.1,18. Esa.1,9, Dan.7,13. Joh.1,14. 2.Cor.6,4. Phil.2,8.

II.

II. LOC. COMM.

ECclesia Christi est velut navis & arca Noachi, in qvâ qvi continentur, salvantur, pereuntibus reliqvis in mundi hujus diluvio, Gen.7,1. 1.Pet.3,20.21. Ad clavum sedet, & summus illius gubernator est Christus: qvi qvandoqve, ἐν τῇ πρύμνῃ, seu parte navis posteriore, dormire videtur, exortâ tempestate, Marc. 4,38. Ejus remiges ac ministri sunt Doctores verbi; qvod ut significaret Christus, Piscatores multos vocavit ad Apostolatum, Matth.4. Luc.5. Joh.1. ut verò cum magnis difficultatibus & laborum & tempestatum remiges, sic Concionatores cum malis vitiis semper conflictantur. Illi se solantur, cùm vident portum; hi cùm respiciunt ad cœlum, in qvo ipsis magna reposita merces, Matth.5,12. Ecclesia navis Christi.

III. LOC. COMM.

SI sunt ministri Christi tantùm: qvo jure qvidam malè-feriati Politici audent persvadere Principibus, ut hi publicis edictis Concionatoribus imperent, qvid & qvomodo doceant? vide Aulicopoliticum Hutteri. Crimen læsæ Majestatis perpetrant, cùm sibi potestatem, soli Christo debitam, usurpant.

IV. LOC. COMM.

SI ministri verbi sunt œconomi mysteriorum DEI, ab illis oportet & te auditorem exspectare cibi demensum & laboris pensum, hoc est, discere ex illis, (si nescis ipse ex sacrarum literarum lectione diligenti, aut si etiam scis, ab illis confirmari) qvid credas, qvô ciberis, qvô potêris in vitam æternam, qvomodo rectè te in domo DEI geras; & decet te etiam, Doctorem, nullum in domo DEI præterire, qvemadmodum diligens paterfamilias, & omnibus cibum dat; & qvod agant, assignat, nullum relinqvens otiosum. Ministri verbi Oeconomi.

V. LOC. COMM.

SI sunt illa, qvæ docentur in verbo Dei, mysteria, Qvid frustrà illa perserutari nititur humana ratio? Qvod verbum diligenter inculcandum Calvinianis & Photinianis. DEUS autem, qvi mysteria sui verbi ad nostram salutem revelavit, nobis det ὑπηρέτας fortes, & οἰκονόμους fideles, & animum, qvi tantum agnoscat bonum. Mysteria.

DOMI-

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Phil. 4. v. 7.

Ἡ εἰρήνη τοῦ Θεοῦ, ἡ ὑπερέχουσα πάντα νοῦν, φρουρήσει τὰς καρδίας ὑμῶν, καὶ τὰ νοήματα ὑμῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

PAX DEI, qvæ superat omnem intellectum, custodiet corda vestra & sensus vestros per Christum JESUM.

1.Reg.5,17. I. REg.5. v.17. & 18. & cap.6.v.7. scriptum legimus, qvòd lapides & ligna, qvæ Salomon ad templum DEI adhibiturus erat, longè antè sint præparata, qvàm ipsi structuræ insererentur, cùmq; templum ædificaretur, neqve malleus, neqve securis, neq; ullum instrumentum ferreum fuerit auditum. Hæc non ineptè cum Ecclesiâ conferri possunt, tùm qvòd illa sit in N. Testamento templum DEI, Eph.2,19.20.21. 1.Petr.2,4 5. & magna illa domus DEI, 1.Timoth.3,15. Hebr.3,3. & 6. imò qvòd singuli fideles sint templum DEI, 1.Cor.5,16. & cap. 6,19. 2. Cor.6,16. tùm, qvòd hîc plus sit Salomone, nempè Christus, Matth.12,42. verè Princeps pacis, Esa.9, imò pax ipsa, Mich.5,5. per Salomonem in multis adumbratus, unde multæ inter sese permutantur prædictiones de illis, 2.Sam.7,12. Ad hoc verò templum N. Testamenti reqviruntur lapides vivi, Eph.2. (vide Amos 9,9.) & ligna ex paradiso DEI, imò in ipso germinantia, Psal.1,3. qvia autem ad structuram per se sunt inidonea, Joh.3,3. præparanda sunt, anteqvam plenariè ita inserantur, ut in æternum in illo templo maneant. Qvemadmodum verò ibi illa præparatio fiebat, in aditu terræ sanctæ, ita hîc dum sumus in viâ ad vitam æternam, qvando autem jam sunt inserta, non audiatur in hoc templo malleus, id est, lex condemnationis, ut malleus conterens petras, Ezech.36. Jerem.23,29. non enim sunt sub lege, Rom.6,14. & lex illis non superincumbit, 1.Tim.1, 9. neq; istis adhibeatur securis, id est, excisio, Matth.3,10. Rom.11,20.21.22.

Non hîc malleus;

Securis;

Joh.

Joh.15,2. neqve ullum instrumentum ferreum, id est, nulla plaga conterens seu perdens; Confer Levit.26,19. Deut. 28,33. & 48. Talia neqve circa pios, neqve ab ipsis audiantur, qvando crescunt in ædificium DEI ipsi, qvantum in ipsis est, Rom.12,18. sint cum omnibus pacifici, qvalis Christus fuit, Matth.12,19. à qvo meritò discunt hanc mansvetudinem, Matth.11,19. qvò spectant omnes promissiones Prophetarum de pace altissimâ Ecclesiæ in N.Testamento, Es.2. & cap.11.Mich.4. Verùm respectu mundi pacem nunqvam habent, Matth.10,34. qvia non sunt de mundo, Joh.14. & 15. Sed rectè sibi in memoriam revocant: Instrumentum ferreum.

Spernuntur mundi prælia pace DEI.

Gottes Friede macht/
Daß ich der Welt Vnfried nicht acht.

Joh.16,33. Qvemadmodum igitur Salomonis tempore summa erat securitas in Judæâ: Sic etiam in Christo est maxima animi tranqvillitas, Mich.5,5. Rom.5,1. qvam ipse velut κειμήλιον suis ex prælio retulit Christus, ex mortuis redivivus, Joh.20,19. Hanc autem qvia non semper sentimus: siqvidem exteriùs pugnæ, interiùs terrores, 2.Cor.7,5. operæ pretium est in conspectu habere promissiones de semper duraturâ pace inter media bella, ubi velut gemma eminet Apostolicum illud dictum Phil.4,7. cujus partes esse possunt duæ:

I. De Pacis divinæ, qvam Ecclesia habet, dignitate.
II. De ejusdem, qvam suis civibus præbet, securitate.

PARS PRIMA.

PArs prior complectitur 1. *dicti occasionem*: 2. *Pacis commendationem*. *Illam* qvod spectat, à particularibus monitis vers.1. 2. 3. datis de qvibusdam hominibus salutandis & in officio continendis, v.4. ad generalia monita descendit, & qvomodo coram DEO & aliis hominibus, & erga seipsos se singuli gerere debeant, declarat: *Cum DEO: In ipso semper gaudendum:* qvia ipse est solus solida gaudendi materia, qvi solus habet omnia, & habet in se infinita secula, unde semper gaudere possimus: *Cum hominibus, ut sint æqvanimes*, atqve ita, ut omnibus hoc innotescat. Multi enim multa de hâc virtute dicunt, sed parùm probant: *Erga nos ipsos*

per ἄρσιν, non nimiis curis maceremus; & θέσιν, sed precibus Domino rem commendemus, cui specialis ratio adjungitur, *quia Dominus prope est*; ideòq; piis nihil deesse poterit, si modò ipsum ritè colant.

LOC. COMM. I.

HInc discimus, qvodnam sit gaudii veri fundamentum, nimirùm si erga DEUM piè, erga proximum justè, erga nos ipsos castè vivamus, Tit.2,12. & ita suum cuiqve tribuamus. Hinc enim omnis tristitia, qvòd peccavimus & injusti fuimus, Dan. 9. Vis ergò gaudere? Cole Jehovam cum reverentiâ, & exulta cum timore, Psal. 2,11. Illud ob spei firmitatem: hoc ob tuam imbecillitatem. Jam vide, qvî fiat, qvòd multi tam multis curis se angant? Vel hoc fit, qvòd DEUM non habent propitium, ut Cain, Saul, Judas, &c. vel qvòd ipsi non condonent proximo, Matth.18. Col.3,13. vel qvòd congregent divitias, nescientes qvis recepturus sit eas, Psal.39,7.

II. LOC. COMM.

QVod multi, qvemadmodum habent solam speciem pietatis, ita etiam Christianæ hilaritatis, 2.Tim.3,5. Tit.1,16. siqvidem non innotescunt verè ipsorum bona opera, qvod hîc bis reqviritur.

POSTERIUS MEMBRUM

Pacis commendationem & gaudii tanti rationem continet.

ERgòne Paule, dicat qvis, gaudendum etiam in afflictionibus, qvibus premuntur justi? Omninò, Rom.5,2. & 12,12. 2.Cor.6,10. Unde verò hoc? ad id jam respondet Apostolus. Ratio est, qvia *nihil potest vos separare â DEO*, vid. Rom.8,35.36.38.39. & proinde nil qvicqvam potest eorum temerare gaudium. Nam ita καὶ pro *qvia*, hoc loco accipiendum, ut Esa.64,5. Psalm.108,13. Gen. 20, 3. & καὶ, Ebr.4,13. 1.Joh.3,20. Colos.1,24. & cap.2,5. *Pax*, εἰρήνη dicta, qvòd corda hominum debeat εἰς τὸ ἓν εἴρειν, id est, in unum connectere: qvod cùm fit, & jam pax est, gaudium etiam seqvitur: qvia in pace etiam homines de suis bonis lætantur. Vide qvæ dicta sunt Mich. 4,4. & Zachar.3,10. etiam in rebus spiritualibus, Rom.5,1. Qvia pax optima rerum, qvas homini noviſſe datum est. Verùm non omnis pax hoc præstat, qvia qvædam est mala, qvæ inter malos, & ob malum

lum finem: sed unica pax illa Dei, ἡ εἰρήνη τοῦ Θεοῦ, qvæ non est ut pax mundi incerta: de qvâ valet tritum illud: *Bellum pax rursus &c.* imò **Man kan nicht lenger Friede haben/als sein Nachbar wil.** Sed non ita cum pace Dei agitur, qvippe qvæ durat, nec eripi potest, qvia non datur, ut mundi pax, Joh. 14,27. Commendatur autem *ab Autoris excellentiâ & suâ ipsius eminentiâ.* Ab *Autore*, qvia est Dei, ideòq; firma & secura est. Simile: Si enim Imperator det alicui salvum conductum, tutus est in toto Imperio: qvantò magis igitur nos tutos præstat pax Regis Regum? 1. Tim. 6,15. Ab ipsius *eminentiâ*, qvando dicit: ἡ ὑπερέχουσα πάντα νοῦν, *qvæ exsuperat omnem mentem*, (ὑπερέχω, superteneo, emineo, præstantior sum, antecello: de Magistratu dicitur, Rom. 13. 1. Petr 2.) Sic igitur hæc pax reliqvas supereminet omnes, ut Princeps: imò reliqvam omnem pacem gubernat, & ubi ipsa non præcellit, ibi politicam pacem Diabolus citò convellit. Hanc autem non potest turbare: qvia exsuperat, non tantùm hominum, sed omnem, h. e. omnium etiam Angelorum & Diabolorum mentem, & proinde, qvia omnibus creaturis est superior, ab illis violari neqvit.

Loc. Comm. I.

QVænam nostra esse debeat consolatio, qvando à Diabolo & mundo omnia turbari videmus, Psal. 6,3? Hæc, qvòd qvamdiu sumus in Christo, nobis turbæ illæ nihil nocere possunt, Rom. 8,28. eò qvòd pacem cum Deo habeamus, Rom. 5,1. Ideòq; confidenter dicere possumus: *Dominus adjutor meus, non timebo: qvid faciant mihi homines vites?* Psal. 118,6. Si enim Elisæus poterat suum solari ministrum inde, qvòd multi Angeli ipsi adessent, 2. Reg. 6,16 multò magis nos cum Deo erimus tuti, Psal. 56,4. & 5. Ubi notandum, qvòd *Pacis* nomine Hebræis veniat omnis generis felicitas. Nobis igitur, qvando datur Dei pax, etiam dabitur felicitas. Id qvod vetus apud Judæos usitata salutandi formula volebat: *Pax tibi, seu vobis.* Et benedicendi formula, præscripta Num. 6,16. idem indicat.

II. Loc. Comm.

PAcis Dei amplitudo & Majestas cernitur *1. In locorum varietate.* Est supra nos in cœlo, Luc. 19,38. infra nos cum inferno, 1. Cor. 15,17. circa nos in mundo, Luc. 2. Johan. 16,33. intra nos in pectore,

1.Joh.3,21. ante nos, Psal.79,8. post nos, Psal.23,6. Salomonis qvidem tempore tota Judæa erat qvieta; sed circa illam multa bella; Augusti tempore, qvando Christus nascebatur, terra Romanis subjecta erat pacata, verùm externa regna non item: Christi verò Regnum ubiq; habet pacem. Is enim regnat à mari ad mare, & usq; ad fines terræ, Psal.72,8. 2. *In temporis, qvamdiu est, diuturnitate.* Illa pax, de qvâ antè, sub finem vitæ Salomonis desinebat, & Augustus pòst cum Parthis aliisq; multa bella gerebat. Sed pax DEI semper durat, ut pii non tantùm in pace vivere, sed & mori potuerint, ut de Patriarchis & multis piis Regibus legere est. 3. *In bonorum, qvæ affert, multitudine,* qvæ sunt & temporalia, ut conscientiæ tranqvillitas, qvæ juge conviviũ, Prov.15,15. animi hilaritas, & summa securitas, & æterna corporis glorificati dignitas, Phil.3,21. animi illuminati perspicacitas, 1.Cor.13,10.12. gloriæ datæ perennitas, 1.Thess.4,17. 4. *In malorum, qvæ propulsat, magnitudine:* qvæ sunt illis bonis, de qvibus jam dictũ, contraria; scil. conscientiæ perturbatio, animi tristitia & horror, summaq; anxietas, Rom.2. & demùm cruciatûs æternitas, Matth.25.

III. LOC. COMM.

QVicqvid homines faciunt, illud vel ipsi suæ mentis perspicacitate invenerũt, vel à Diabolo ipsis suggeritur. Verùm cùm hæc pax superemineat omnem mentẽ, neq; Diabolus nôrit, qvô pacto illam possit turbare: hæc est firma illa arx, ad qvã confugit justus, & salvatur, Prov.18. Discipuli Christi Luc.24,23. curarum pleni, tristesq; se conferebant Emaunta, h.e. in arcem. Nos tristes ad hanc munitionem seu arcem confugiamus; Qvando igitur mundus te lacessit: tu cogites, illum non intelligere, qvanta hæc pax sit, maneasq; in metis vocationis tuæ, nec sinas te in pinnaculum templi evehi à Diabolo, multò minùs te desinde præcipitem, Matth.4.

IV. LOC. COMM.

QVia DEUS est Pater omnium, Matth.2. Eph.3. & nomen εἰρήνης hoc vult, simus studiosi servare vinculũ pacis, Eph.4. qvantũ in nobis est, cum omnibus, Rom.12. Nam DEUS non est autor turbarum, 1.Cor.14. Illi igitur, qvi pacem hanc turbant, pacẽ hanc DEI non habent: imò qvi omnia turbant, à qvo spiritu regantur, videant. Ismaël illudens tantùm Isaaco, ex ædibus paternis ab Abrahamo ejicitur, Gen.21. Gal.4. qvantò igitur magis pacis publicæ perturbatores à se

DEUS

DEUS pacis ejiciet. Si enim David nullos malos ministros aulicos secum ferre potuit, Psal. 101. multò minùs DEUS in suâ aulâ cœlesti feret, in qvam nil coinqvinatum, aut immundũ intrabit, Apoc. 22. Pſ. 15. Qvin etiam non tantùm ita post hanc vitam ex pœnâ talionis hi inqvieti semper erunt inqvieti; verùm etiã in hâc vitâ, qvia improbis nulla est pax, Es. 48, 22. & 57, 21. (ubi Propheta alludit ad nomen יִשָׁע) & cũ talibus pacem ne ita colamus, ut fœdus cũ ipsis ineamus, Deut. 23, 3. & 6. interdicitur, ne Israëlitæ cũ Ammonitis, aut Moabitis ullo modo fœdus pacis ineant: ita etiã nos cũ mundo & Diabolo non sic agamus, ut alteram partẽ jugi ipsorũ trahamus, aut cũ ipsis in malo communicemus, aut ipsis consentiamus, ut Apostolus emphaticis verbis (ἑτεροζυγοῦντες, μετοχὴ, κοινωνία, συμφώνησις, συγκατάθεσις) effert, 2. Cor. 6, 15. 16. Nam mundi ortus, qvemadmodùm illorum populorum, est ex incestu, Gen. 19. Diabolus enim cũ sponsâ DEI adulterium committens, mundanos istos & plebẽ damnabilem procreat, id qvod significat verbum Ammon. עַם enim est *populus*.

SECUNDA PARS.

PArtis secundæ membra esse possunt tria: *1. Qvid præstet. 2. qvibus. 3. per qvem.* Comparatio hîc iterùm instituì potest inter Judices, per qvos DEUS populo suo dedit pacem, Jud. 3. & seqq. Primò legimus, qvòd pacẽ dederit Judæis, sed ad illud tempus, qvô eum timebant. 2. Illis, qvi in terrâ sanctâ manebant. 3. Per Judices, qvi populũ regebant. Ita DEUS dat animi tranqvillitatẽ temporalẽ, æternamq; felicitatem illis, qvi sunt ex fide Israëlitæ, per eum, qvi in statu humilitatis est judicatus in statu Majestatis, judicaturus totum terrarum orbem. Sed si bona hæc, qvæ sunt Christianorum propria, eripi possunt, nõ usq; adeò nobis erunt chara. Seqvitur igitur, qvomodo illa DEUS circumuniat; Id qvod indicat vox emphatica φρουρήσει, qvæ est ex ὁ ὁρῶν, *inspector*, inde est ὁ φρουρὸς, i. e. *miles præsidiarius, satelles, stipator*: unde φρουρέω, *præsidiario milite arcem vel portum custodio*. Extat verbũ illud Gal. 3, 23. 2. Cor. 11, 32. 1. Pet. 1, 5. qvem locũ confer. Notat igitur hîc ἔμφασις verbi φρουρέω, qvòd DEUS hîc verè agat Dominum Zebaoth, seu exercituum, qvi templũ suum, i. e. cor, imò corpus & animã hominis pii, 2. Cor. 6, 16. præsidiis custoditũ tenet, scil. pace suâ, seu salvo suo conductu & verbo omnipotente. 2. *Qvibus* hæc pax obtingat; dicitur his verbis: *Corda & mentes vestras*. Scriptura non Philosophorum more de animâ loqvitur, sed qvandoq;

per *cor* totum animum, ejusq; omnes facultates complectitur, qvandoq; per *cor* inferiores facultates & affectus; per *mentem* verò, intellectum ipsum & supremam animæ facultatem intelligit, id est, omne id, qvò homo est, & qvidem homo pius: id qvod particula addita ὑμῶν demonstrat, in qvantum se subjiciunt Deo, & sub ejus vexillo fideliter militant, memores juramenti, qvod in Baptismo præstitêre; & si qvid rebellionis in seipsis sentiunt, ipsi captivant omnem istum intellectum in obseqvium Christi, 2. Cor. 10. v. 5. Vivit enim cor nostrum, sed malè & in malis, atqve hinc inde vagatur, nec ordinem à Deo præscriptum facilè servat: in hunc verò, ut redigatur contra suam voluntatem, à nobis qvasi captivandum est. 2. *Per qvem?* in *Christo* JESU, inqvit Apostolus, in qvo habemus illam pacem, & qvi solus est ille Dux Michaël, pugnans pro populo suo, Dan. 10, 13. stans pro eo, Dan. 12, 1. pugnans cum suis Angelis, Apoc. 12, 7. per qvos circa pios castra metatur, Psalm. 34, 8. Et verbo Hebræo מִצְפֶּה alludit ad duas insignes historias, Gen. 32. v. 1. 2. Reg. 6, 17. Confer Zach. 1, 8. & 10. & cap. 6, 1. in Christo uncto, seu Messiâ Dei, (1.) nostro Prophetâ, dum ipsum audimus, Deut. 18, 19. Matth. 17, 5. (2.) nostrò Rege, dum ei obedimus, Psal. 95, 7. & 100, 3. & qvidem non coactè, sed voluntariè, Psal. 110. (3.) nostrò Sacerdote, dum λύτρον ab eo solutum fidei vinculo cordi alligatum custodimus, Matth. 20, 28. Rom. 3, 24. & intercessionem ejus pro nobis, flagitiis nostris non impedimus, Rom. 8, 33. 1. Johan. 2, 1. Hebr. 7, 25. & qvidem Christo JESU, qvi potest salvare, ibid. v. 25. & Matth. 1, 21. qviq; est σωτὴρ. Luc. 2, 11. perfectior qvàm Josua, dux populi Israëlitici, qvi populum in terram sanctam introduxit, Jos. 1. & qvàm Josua Sacerdos maximus populum ex captivitate reductum erudiens, Zach. 3.

LOC. COMM. I.

ILlucet hinc Dei omnipotentia, qvi, pro qvibus est, contra illos nil esse potest, Rom. 8. 31. Ipse est piis arx, & munitum propugnaculum, Psalm. 18. & 31. Salomon ædificans templum duas columnas erexit in ejus porticu, dexteram vocavit יָכִין id est, *is, qvi nos stabilit;* & sinistram בֹּעַז hoc est, *in eo robur*, 1. Reg. 7, 21. Sed hæc umbræ, Hebr. 10, 1. qvippe qvæ evanuére, cùm à Nebucadnezaris præ-

præfecto Nebuzaradane templum est incensum, 2. Reg. 25, 11. & 12. veritas autē harum columnarum est in templo Dei non manu facto, sed super Christum fundato, Ephes. 2, 20. qvi verè potest dici יָכִין id est, is, qvi nos stabiliat, 1. Petr. 5, 10. ubi sunt valdè emphatica vocabula, καταρτίσαι, à luxatis membris: & עֹז (unde Boas) seu robur, Phil. 4, 13. & cum eo Dei brachium, seu manus nos sustentans, & umbra alarum protegens, Psal. 91, 1. qvo pii, velut pulli in tempestate, ad matrem confugiunt, qvod verbum Hebræum חָסָה innuit, Psal. 2. vers. ult.

Sensit hoc præsidium *in igne* Lothus, Gen. 18. & socii Danielis, Daniel. 3. *in aqvis* populus Israëliticus, Exod. 14. Jos. 3. *inter hostiles exercitus* Elisæus, 2. Reg. 6. *inter leones* Daniel, Dan. 6. *in carcere* Petrus, Act. 12. & Josephus, Gen. 39. *in servitute* filii Israël, Exod. 1, Esdr. 1.

II. Loc. Comm.

E Lucet hinc Dei clementia, qvi adeò diligit homines, Deut. 33, 3. ut non tantùm det eis vitam, victum & amictum, Act. 14, 15. 17. & cap. 17, 26. 1. Tim. 6, 8. sed etiam adjungit suos Angelos custodes, ad qvos de nobis dat præcepta, Psal. 91, 11. ut sint nostri ministri publici, Hebr. 1. vers. ult. vigiles, Dan. 4, 10. qvia sunt Principes ac potestates, Dan. 10, 13. Qvomodo Deus ut suos pios defendat, totam suam armaturam induat, prolixè & eleganter describitur Sap. 5, 17: cui respondet ex nostrâ parte Christiani militis descriptio, qvæ extat Ephes. 6, 10. & 11. Hanc Dei clementiam sensit *Jacob*, Genes. 32. *Elias*, 1. Reg 19. *Hiskias*, 2. Reg. 19. qvam unusqvisqve nostrûm meritò cum Davide agnoscit & celebrat ex Psal. 144, 1. 2. 3. 4. 5. 6.

III. Loc. Comm.

UT totus homo est à Deo ad imaginem ipsius conditus; ita etiam in toto restauratur Dei imago, & salvatur corpus & anima: unde Apostolus rogat, ut DEUS suos auditores conservet, & sanctificet perfectè beatos & integrum spiritum & corpus, 1. Thess 5, 23. Siqvidem etiam ipsi regeniti, qvoad Spiritum ante extremum diem non ita perfectè regenerantur, ut hîc non ampliùs possint inqvinari, 2. Cor. 7, 1. Qvia verò Deus mentes & corda nostra ita conservat: demus operam, ut ipsi vicissim serviamus ex toto corde, mente & viribus, Matth. 22 37.

Tem-

Templum Salomonis ita ædificatum erat, ut muri ornarentur sculpturis incisorum Cherubinorum, palmarum, & apertorum florum intrinsecus & extrinsecus, & solum ipsum obductum erat auro intus & extra templum, 1. Reg. 6, 29. & 30. ita oportet nostrum templum, id est, nos ipsos esse ornatos *1. humanitate*, seu Christianâ charitate, (id indicatur per Cherubim, qvi habebant hominis imaginem:) *2. humilitate & patientiâ*, (palma exsurgit contra pondus:) *3. omnis generis fructibus*, & qvidem iis, qvi innotescant omnibus, (propterea dicuntur flores aperti,) qvin etiam pedes nostri stent in atriis DEI auro obductis: id est, in omnibus viis nostris sequamur verbum Dei, & vestigiis ibi expressis insistamus: siqvidem verbum est auro purius. Confer Psal. 119. & 12. & 19. Psalmos.

IV. LOC. COMM.

CHristus JESUS est ἀρχηγὸς καὶ τελειότης πίστεως, Hebr. 12, 2. Ipse A & Ω, Apoc. 1. uti hoc declaravit, qvando Israëlitas ex Ægypto eduxit, primùm eos antecedens, & viam ostendens, Exod. 13, 21. postea subsequens & contra hostes protegens, Exod. 14, 19. Is in spiritualibus utramqve facit paginam, in vitæ ingressu, progressu, & egressu, siqvidem ipse solus nobis omnia, cui sit gloria in sempiterna secula. Amen.

IN FERIA I. NATIVITATIS DOMINICÆ.

Tit. 2. v. 11, 12.

Ἐπεφάνη γὰρ ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις, παιδεύουσα ἡμᾶς, ἵνα ἀρνησάμενοι τὴν ἀσέβειαν, καὶ τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας, σωφρόνως, καὶ δικαίως, καὶ εὐσεβῶς ζήσωμεν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι.

ILluxit gratia DEI salutifera omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegatâ impietate & mundanis concupiscentiis, sobriè, justè & piè vivamns in præsenti seculo.

Exod.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730469042/phys_0036
DFG

EXod.3 v.2.& seq. Moses videns rubum ardere; & non consumi; accedere cupit, & videre Visionem istam magnam: sed auditâ DEO: *Extrahe calceamenta tua à pedibus tuis. Nam locus, in qvo stas, terra sancta est.* Nos hoc tempore videmus rubum, seu humanam naturam finitam, ab infinitâ divinâ; fragilem à potentissimâ; tenebricosam à lucidissimâ assumi: Luce gloriæ divinæ fulgere, Joh.1,14. & DEUM in præsepi jacere. Accedamus & nos, & videamus cum pastoribus hanc rem magnam, qvam nobis manifestavit Dominus, Luc.12,15. Intueamur hoc verè magnum pietatis mysterium, 1.Tim.3,16. contemplemur, qvomodo Verbum caro factum est, Joh.1. & qvomodo Verbum vitæ mortales artus induat, hoc est, dicente in hâc Epistolâ Apostolô, Tit. 2, 11, qvomodo appareat gratia DEI salutaris. Id qvando sumus facturi, acclamat etiam nobis DEUS: Extrahe calceamenta tua à pedibus tuis: desiste à pravis viis & actionibus, qvæ terræ affixæ, & omni genere sordium ac fœtorum sunt coinqvinatæ, ut calcei; siqvidem locus, in qvo jam stamus, à Christo erecti, est terra sancta, hoc est, Ecclesia. Illa prolixiùs enarrat Apostolus Tit.2,12. ostendens simul, qvomodo ex tenebris Ægyptiacis in lucem, Esa.9,1. Luc.2,9. ex servitute in libertatem, Joh.8. simus asserti, & propterea dignũ sit, ut abnegemus desideria, qvibus erga porrum, ac cæpe, & olentia reliqvæ terrâ nascentia in Ægyptô flagramus. Hanc admonitionem tempori huic convenientem, (ubi considerandum, qvomodo rectè cœli Regem excipiamus,) diligenter perpendamus, in duabus hisce partibus:

I. In impietatis omnis abnegatione.

II. In pietatis DEO ac proximo debitæ præstatione.

PARS PRIMA.

QVando Mosi Dominus apparuerat, & suæ Majestatis titulos (qvòd sit misericors, gratiosus, longanimis, & multus benignitate ac fide) proclamandos curaverat: Ipse in has preces erumpit, Exod.34,9. *Eat, qvæso, Dominus in medio nostri, qvamvis populus durus cervice sit: tamen condones iniqvitatem nostram, & compares nos in hæreditatem.* Eadem Apostolus, in hâc posteriori capitis secundi Epistolæ ad Titum parte, tractat. Siqvidem declarat; apparuisse salutarem illam DEI gratiam omnibus hominibus in Christo, (qvem

cum Patriarchis in V. Testamento locutum esse constat, & per eum se revelâsse.) Qvæ certè magna sunt beneficentissimi DEI encomia, v.11. Subjicit jam, nostrum esse, ut cogitemus DEUM ire & versari in medio nostri, proindeq; vitemus omnia peccata grandia, v.12. *tùm*, qvia expectamus Christi adventum ad judicium, v.13. *tùm*, qvia ipse nos comparavit in suum peculium, v.14. *Gratia* enim *DEI illuxit*, tempore N.T. per totum terrarum orbem, qvæ anteà Judææ finibus includebatur. Non, ut nonnulli carnales colligebant, ut ipsi liberiùs viverent, Rom.6. sed παιδεύσα, more alicujus pædagogi, *nos erudiens*. Dicis ergò: jam fit confusio Legis & Evangelii, cùm id sit Legis proprium, Galat. 3, 24. Scias, qvôd Lex directè nos corripiat; Evangelium verò indirectè: partim, dum ostendit, qvomodo Pater in proprio filio peccatum punierit, & proindè multò magis nos nefariè peccantes, impunè non sit dimissurus: partim, dum ex consequenti præmonstrat, nostrum officium, qvô tàm liberali patri, & tàm benè merito filio, ad omnia gratæ mentis officia ac studia simus obligati. Erudit igitur suo modo nos illa gratia, *ut abnegantes impietatem, & mundanas cupiditates, piè vivamus*. Qvorum *illud* vocabulum, omnia vitia contra primam: *hæc* contra secundam tabulam Legis, qvæ fiunt, fugienda esse docet. Qvænam autem sint impietatis species, & qvæ genera desideriorum mundanorum, ex declaratione Decalogi potissimùm peti potest, ne opus sit hîc longos eorum texere catalogos. Dum autem ἐρωτήσεως fit mentio, sine dubio fit respectus ad formulam Baptismi cathechumenorum, (id qvod etiam notat tempus ἀόριστον) qvâ interrogati renunciabant Satanæ, & omnibus ejus operibus, qvæ sunt hæc ipsa, qvæ nomine ἀσεβείας & κοσμικῶν ἐπιθυμιῶν comprehenduntur. Qvâ ratione & Baptismus ἐπερώτημα, sive stipulatio bonæ conscientiæ dici potest, 1. Petr. 3, 21.

LOC. COMM. I.

ERuditio hæc pædagogica, de justificatorum officio, 1. ostendit cohærentiam & consensum doctrinæ Legis & Evangelii: qvarum altera alteram non evertit; sed stabilit, Rom 3, 31. 2. admonitionem & correctionem suppeditat, contra hypocritas, qvi fidei nudam professionem satis esse putant, nec operibus bonis esse studen-

dendum. Contra qvos pugnat Jacobus cap. 2. v. 17. Et Johannem Evangelistam, Petrum & Judam, retundendæ hujus impietatis gratiâ, suas Epistolas scripsisse, testis est Augustin. *libr. de fide & operibus* c. 14. 3. ἔλεγχον subministrat contra Pontificios; qvi confessionem nostrarum Ecclesiarum, de hominis gratuitâ justificatione, ideò carpunt, qvòd bonorum operum studium tollat.

II. LOC. COMM.

ABnegatio impietatis revocat nos ad fœdus, cum DEO in Baptismo initum: ubi promisimus DEO nostro, vitaturos nos, qvæ militant adversus animam, 1. Pet. 2, 11. & filialem præstituros obedientiam Patri nostro. Absit igitur venefica illa ratio, & Diabolus, qvîcum pleriqve homines scortantur. Blandiatur ex Proverb. 7, 18: *age incumbamus ubertim amoribus, donec illucescat dies.* Tibi verò in memoriâ sit hæc Apostoli oratio: *Illuxit Dei gratia, erudiens nos, ut hæc abnegemus.* Cui si non obtemperabimus in tempore gratiæ; cum damnatis tandem clamabimus in die iræ: Sap. 5. cap. *planè aberravimus à viâ veritatis &c.* Porrò si παιδεύσεως te non pateris; nec DEUS erga te gerit patris animum, Hebr. 12, 6. Absolon patris imperium excutiens, ramis qvercûs florentis implicatur, etiam à Joabo ibidem enecatur: Tu vide, ne, dum DEI Patris castigationem spernis, & mundanis his rebus florentibus adhæres, cruciatibus te addicas æternis. Hæc igitur est filiorum DEI nota: Abnegare impietatem, & concupiscentias mundanas. Qvod si verum; ô DEUS! qvàm pauci erunt hodiè tui filii? qvam multi prorsus degenerârunt, immemores illius abrenuntiationis in Baptismo factæ? Ecce! Christus DEI Filius, fit filius hominis, ut homines reddat filios Dei: & hi dignitate illâ per impietatem se abdicant nefariè, ô cœcitatem! ô pravitatem! *Mundum* amant, qvîcum pereunte pereunt: DEUM, qvi solus est vita & salus, relinqvunt: non absimiles illis, qvi se futuros filiarum Lothi conjuges, & hujus filios ac generos dixerant; & tamen à suis, igne cœlitùs delapso jam perituris, avelli non poterant, Genes. 19. Christus hodiè tuâ causâ *nudus* in præsepi jacet; ut tu vestiaris veste justitiæ: Et tu potiùs præoptes induere peccatorum lacinias? Ille humiliatur; ut tu exalteris: & tu superbè incedis, tuis ignominiæ maculis, seu

vestibus, qvæ ex peccato, te ostentans. Ubi tua erga Patrem cœlestem devotio? ubi tua cum Christo humiliatio? Certè ille splendor nimius vestium, & sæpè ex ære alieno, concupiscentia est mundana. Exuas necesse est, si cupis placere tuo Christo. vid. 2. Pet. 3, 2. Christus hodiè in stabulo tolerat; & tu hisce diebus in lustris hoc agis, ut fœtorem augeas. Ille matris lacte contentus; tu ne qvidem mediocri cibo aut potu. Itane es eruditus? egregius sanè servus, qvi Domino jejuno est ebrius! Domino in cunis vagiente ac flente incompositum edit cachinnum! Si vis tandem cum hoc Rege cœli, in regiam ejus, post humilitatem, in majestatem ingredi: concupiscentiis tuis valedicito; sin minùs; propter eas, in mundi hujus deserto, cum Israëlitis occideris, 1. Cor. 10, 6. Abnega teipsum, Luc. 9: ut DEUS te tuamq; viam noverit, Psalm. 1.

SECUNDA PARS.

Cùm igitur, juxta Davidem Psalm. 34, 15. sit non tantùm recedendum à malo; verùm etiam bonum faciendum: audiamus porrò ex Apostolo, qvid abnegatâ impietate, & concupiscentiis pravis, studere debeamus: intra nos, erga nos ipsos: circa nos, erga proximum: supra nos, erga Deum: Ut ita his pravis desideriis relictis, temperantiæ ac justitiæ, impietate abjectâ, pietati deinceps demus operam, dum hanc vitam vivimus. Id enim notat, *ut vivamus in hoc præsenti sæculo*, (siqvidem aliud futurum expectamus, qvando Christus ad judicium venerit, v. 13.) σωφρόνως: ita ut sanâ mente simus, pravisq; nostris affectibus non indulgeamus. Est enim σωφροσύνη dicta, qvasi σώζουσα τὴν φρόνησιν, daß einer bey guter Vernunfft bleibet: qvod fit, qvando sumus compositi, atqve sobriè & modestè de nobis sentimus: Unde Lutherus vertit zůchtig. Omnes itaqve virtutes Ethicas & Christianas, qvæ hominem reddunt perfectiorem, hoc uno nomine Apostolus complectitur, atqve sic non solam Temperantiam intelligit. Qvia verò cum aliis semper versamur, porrò studendum justitiæ; ut suum cuiqve tribuamus: *Vivamus juste*, δικαίως: ita, ut singula qvasi in duas partes dissecemus, tantum, qvantum nobis debetur, sumentes, aliis, qvod suum est, relinqventes: Atqve ita juxta secundam Legis tabulam; Juxta primam verò εὐσεβῶς, *piè* vivamus erga DEUM: hoc

est,

est, rectè in iis, qvæ ad religionem cultumq; DEI, tùm internum, tùm externum reqviruntur, nos componentes, Pædagogi nostri præcepta rectè factis exprimendo.

LOC. COMM. I.

STudium virtutum, qvibus singulos operam dare jubet Apostolus, regulam vitæ omnibus præscribit, qvi dignè volunt ambulare Evangelio, Phil.1,27. Col.1,10. 1.Thess.2,12. qvos ita se gerere oportet, ne qvid in DEUM, proximum, aut seipsos committant, vocatione suâ indignum. Tempus huic cursui & studio præstitutum, commonefacit nos: 1. De assiduitate hujus curæ & laboris: qvæ durare debet sine defatigatione, Gal.6,9. 2. Thessal.3,13. donec apprehenderimus metam, & cursum consummaverimus, 2.Tim.4,7. 2. Refutat Pontificios, qvi certos dies ordinant bonis suis operibus & electitio cultui: de qvibus Matth.15,9. Col.2,16, Tales sunt inter nos, qvi uno die, cùm usi sunt cœnâ Dominicâ, putant sibi piè esse vivendum; reliqvis licere qvodlibet. Atqve hæc in genere.

II. LOC. COMM.

IN specie ex singulis discendum: 1. qvando dicit Apostolus: *erudiens nos, ut vivamus in hoc seculo*, qvòd Christiani, licet sint in mundo, tamen *non sint de mundo*, Johan.15,7. nec mundo huic se conformes gerant, Rom.12,2. Qvia hoc seculum, & qvæ sunt in eo; ut *Concupiscentia Carnis*, seu luxuria; *Concupiscentia Oculorum*, seu lascivia; & *Fastus vitæ*, seu superbia, 1.Joh.2,16. transeunt, v.17. hoc est, prætereunt: Sicut ipsa experientia edocti profitentur, damnati *in libr. Sap.* cap.5.v.9. & seqq. Qvæ omnia, qvando qvotidiè videmus, hanc ævi brevis fugacitatem in mentem nobis revocemus. Et si hujus vitæ decursus fuerit malus, seu pravus, aberrans à scopo; fuit qvidem breve delitium; sed perpetuum, & non leve cordolium. Exiguum delectamentum; æternum verò tormentum. Veruntamen pleriqve homines à Diabolo sunt occæcati, 2. Corinth.4,4. 1.Johan.2. Ut à Philistæis Simson lumine oculorum orbatus, Jud.16; Hic in se domum, sub qvâ erat perituras, subvertit: illi verò omnia bona & dona à DEO ad ejus cognitionem & cultum data, in sui perniciem convertunt.

III. LOC. COMM.

SI vivendum est Christianis, rectè celebraturis festum Nativitatis Dominicæ, σωφρόνως: qvî fit, qvod ipsis hisce diebus, qvasi longum valedicentes temperantiæ, pleriqve studeant *crapulæ*? Qvando erat venturus Angelus Jehovæ in Ægyptum, & primogenitos occisurus, omnes Israëlitæ vigilabant, parati ad iter: Jam verò, cùm venit Angelus Jehova in mundum, ut Primogenitus omnium creaturarum, & nos Dei filios adoptaturus, omnesq; vivificaturus, nos altum stertimus: nec cum illo Bethlehemum, ubi panis vitæ, abire sustinemus. Porrò, si vivendum est δικαίως: qvales sunt isti mercatores, institores, ænopolæ, caupones, qvi circa hoc tempus injustitiæ qvàm maximè student? Illi, cùm salutaris illuxit gratia ad justitiam, claudunt sua lumina, ut in tenebris maneant, & hos justus ille Salvator in numerum suorum recipiat? non ita: qvia non præstant, qvod hîc præcipit Apostolus; dum faciunt, qvod inspirat Diabolus, qvi, ut cor Judæ avaritiâ; sic horum Judæorum, hoc est injustorum, & habendi cupidine incensorum, implevit. Deniqve, si vivendum est iis, qvi cupiunt esse participes salutis, in Salvatore illucescentis, *piè*: qvàm paucis hodiè bonum tantum oblatum conferetur, qvia paucissimi sunt verè pii, qvi DEUM colunt ex animo: labiis multi appropinqvant, Matth. 15. sed cor procul abest; DEUM esse fatentur ore, factis negant, Tit. 1. Et si hîc, ut qvondam in militibus Gideonis, instituatur delectus; paucissimi, ex plurimis militibus, probi remanebunt; qvia multi vocati; pauci verò electi. Nos verò, qvi cupimus electionem nostram firmam facere, 2. Petr. 1, 10. abnegemus impietatem, & mundanas concupiscentias: Contrà vivamus sobriè, justè, piè in hoc seculo: ita futurum, ut post illud cum Angelis læti triumphemus in cœlo, 2. Tim. 4. v. 7. & 8.

DOMINICA POST NATIVITATEM CHRISTI.

Galat. 4. v. 4, 5.

Ὅτε δὲ ἦλθε τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ γενόμενον ἐκ γυναικὸς, γενό-

γενόμενον ὑπὸ νόμον: ἵνα τὺς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ, ἵνα τὴν υἱοθεσίαν ἀπολάβωμεν.

AT ubi venit plenitudo temporis, emisit DEUS Filium suum factum ex muliere, factum Legi obnoxium: ut eos, qvi Legi erant obnoxii, redimeret, ut adoptione filiorum jus reciperemus.

GEnes. 14. v. 18. 19. 20. Melchisedech Rex Salem, profert panem & vinum, & ipse erat Sacerdos DEI altissimi, & benedixit Abrahamo, qvòd vicerit suos hostes; hic verò ipsi dabat decimas. Pleraqve hujus historiæ explicat (licet breviùs) Epistola ad Ebr. cap. 7. v. 2, 3. usqve ad versum 11. Comparationis membra hæc ibi sunt præcipua:

1. *Ille erat Rex & Sacerdos*; Christus etiam Rex, generatione ab æterno, Psal. 2. creatione, Psal. 24. qvia nos creavit. Sacerdos passione, qvando seipsum, non victimam aliam obtulit, Ebr. cap. 7. v. 8. 9. 10. Utrumqve est redemptione, ut in secundo articulo. Hinc Ecclesia est ejus peculium, 1. Pet. 2, 9. Qvomodo? vide Ose. 2. ubi describitur. Confer etiam locum Apoc. 1, 5. 6.

2. *Ille erat Rex justitiæ, ut nomen clucbat, & qvidem in Salem, id est, loco pacis*; Christus est Rex non tantùm justus, Zach. 9, 9. fortis, Psal. 110, 2. gloriosus, Psal. 24. Sed etiam Rex justitia nostra, Jer. 23, 6. cap. 33, 16. Continetur in eo dicto totius redemptionis nostræ mysterium. Qvoqve dicto solo convertit Judæum in patibulo pendentem. D. Jacobus Andreæ. Vid. consil. Bidenbachii in secundâ dec. ultim. Cùm verò justi sumus, pacem habemus cum DEO, Roman. 5, 1. atqve ita habitare incipimus in pace, qvia est ille pax. vide Mich. 5, 5. Ille per Schelomonem in multis adumbratus, 2. Sam. 7, 12. Ps. 72.

3. *Ille ratione scriptæ genealogiæ proponitur spectandus sine principio & fine*; Hic reverâ talis: Est ἀμήτωρ, qvoad divinitatem, ineffabiliter genitus: ἀπάτωρ, qvoad humanam naturam, ineffabiliter conceptus & natus. Ubi nota 1. qvæ in typo sunt umbratilia, in antitypo sunt realia, ut ipsa duo Testamenta differunt. 2. Apostolus hîc accommodat, qvæ in genealogiâ habentur, & ex Ps. 110. demonstrat.

4. Ille

4. *Ille Abrahamo superior, qvatenus hic ipsi dedit decimas:* Sic Christus caput est Ecclesiæ, 1. Cor. 15. Eph. 1. & 5. 1. Cor. 12. & à Christo omnis benedictio, Gen. 12. cap. 15. Gal. 3. & 4. & in ipso vincimus hostes nostros, 1. Cor. 15, 25. 57, nos longè superiores. Nos addimus ex historia:

5. *Ut dedit Abrahamus decimas, sic nos qvoqve decimas:* id est, juxta decem præcepta Decalogi virtutes præstemus, offeramusq; Christo vitulos labiorum, Hos. 14, 2. imò nos ipsos, Rom. 12, 1. Utrumq; enim notabant etiam in Veteri Testamento decimæ, ita superreliqva venire benedictionem. Hunc verò Christum, de qvo tàm multa in hâc, aliisq; historiis, nosse, est mortalibus ipsa vita, Johan. 17, 3. idq; juxta personam & officium. Qvæ omnia, qvia in dicto Galat. 4, 4 5. sunt, hoc tempore id videamus, ut dum de eo dicimus, eumq; diligimus, ad nos tenore promissionis spiritualiter veniat, Johan. 14. ut & ipse Sponsus noster dicat nobis ex Cant. 1, 8 qvandoqvidem ignoras (siqvidem ex parte cognoscis) egredere, & pasce capellas tuas super tabernacula illorum pastorum, qvi me videbant Bethlehemi in præsepi jacentem, Luc. 2, 16. Partes erunt duæ:

I. De Personâ, & in hâc duabus naturis.

II. De Officiô.

PARS PRIOR.

IN hâc parte duo membra principalia notanda: *I. Dicendi occasio; II. Personæ Christi descriptio.* In hâc verò sunt *1. divinæ naturæ asseveratio; & 2. humanæ per aliqvot circumstantias & argumenta facta probatio.* 1. Occasio est hæc: Qvando Apostolus dixit cap. 3, 24. *Lex fuit pædagogus noster in Christum;* (qvod de lege ceremoniali & forensi, sub qvâ v. 23. ἐφρουρούμεθα, qvæ c. 4, 3. elementa mundi dicuntur: De hâc etiam lege Col. 2, 20, qvæ cessavit jam nato Christo, in primis intelligendum: In accommodatione verò de morali potest usurpari, qvod & illa suô modô nos ad Christum adducat.) Idem clariùs explicare aggreditur cap. 4, 1. similitudinem ab infante sumptam uberiùs exponens. 1. In qvibus conveniant Israëlitæ in V. T. cum minorenni, v. 1. 2. 3. 2. Qvomodo mutata sit illorum conditio in N. Testamento, & jam sint adulti & sui juris & emancipati, v. 4. unde incipit hoc dictum.

LOC.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730469042/phys_0044
DFG

LOC. COMM. I.

Discenda hîc 1. *DEI benevolentia*, Prov.8,30.31. qvi nobiscum velut pueris agit, donec adolescamus in virum, Eph.4. vide Deut. 32,9. Tales nos omnes, Psal.103. DEUS ergò, qvandò per Legis transgressionem eramus perditi, Legem tulit, qvæ prodesset, nos constringendo, & qvasi servos faciendo, ut ad libertatem adspiraremus.

2. *Veteris Testamenti infantia*; qvemadmodum illi coguntur multa qværere: sic illi, Jerem.31. qvemadmodùm nondum habent actu usum, sed usumfructum: sic beneficia Christi habebant, non ipsum. Sit hîc ἔλεγχος contra Calvinianos, qvi statuunt, pios V. Testamenti habuisse eandem substantiam Sacramentorum nobiscum, 1.Cor.10,3.4. 2. Contra Anabaptistas & alios, qvi statuunt, habuisse tantùm promissiones de rebus corporalibus.

3. *Ceremoniales leges fuêre elementa mundi, & peritura*: Sic hodiè de Ceremoniis etiam judicandum. Contra Pontificios: Salvari enim per illas non possumus. Ut etiam contra Calvinianos, dum sumus in hoc mundo. Purpura Regem non facit, sed ornat & declarat: Sic illæ 1.Corinth. 14.

II. PERSONÆ CHRISTI descriptio continet 1. *Divinæ naturæ asseverationem*, qvando dicit: *DEUS*, Pater & fons Trinitatis, *misit suum Filium*, ὁ Θεὸς τὸν υἱὸν, ille verus misit Filium ab æterno à se genitum, Psal.2,6. non adoptivum, non titulo à se saltem donatum; sed suum, qvi est ὁ μονογενὴς, Joh.1,18. cap.3,16.18. ἴδιος, Rom, 8,32. cujus DEUS Πατὴρ ἴδιος, Joh.5,18. Filius autem solet gigni. Vide Prov.8,22. קָנָנִי 23. נִסַּכְתִּי 24. 25. חוֹלָלְתִּי Psal.51,7. Qvòd autem illa Sapientia sit DEI Filius, probatur ex N.Testamento, tùm in genere, qvia eadem ipsi Johannes cap.1. Paulus Col.1,16. Ebr. 1,12. tribuunt, qvæ h.l. Salomon Sapientiæ: tùm in specie, qvia ita dicitur expressè Matth.11,19. Luc.7,34.35. Confer Luc.14,49. & Matth. 23,34.

LOCI COMMUNES.

I.

CHristus est verus DEUS, 1.Joh.5,20. magnus, Tit.2,12. παντοκράτωρ, Apocal.1,8. Κύριος ὑπὲρ πάντων, Rom. 9, 5. μόνος δεσπότης Θεός, Jud.4. Κύριος τῆς δόξης, 1. Corinth.2,8. Est ille Filius, per qvem

reliqvi adoptantur, Johan.1,12. ἔλεγχος contra Photinianos, Arrianos &c.

II. LOC. COMM.

SI DEUS non tàm misit, qvàm ἐξαπέστειλε, non tùm cœpit existere, sed longè anteà, nempe ab æterno fuit, Joh.1,1. Sed contra objicitur: In humanis esse firmum hoc argumentum, non in divinis, ubi DEUS facit existere, qvæ non sunt, qvando vocat, & ipsum posse in momento creare & mittere. Resp. N. 1. de hoc, siqvidem Scriptura expresè dicit, qvòd Filius expresè fuerit, anteqvam mitteretur in mundum. 2. à posse ad esse non valet consequentia. (*reliqva obiter ex disp.*

III. LOC. COMM.

FIlii triplices in Scripturâ, 1. *per nativitatem*, eamq; vel æternam, Psal.2. in divinis, ubi nullum tempus: vel temporalem, ut homines: 2. *per creationem*, ut Adamus, Luc.3. Angeli, Job.38. 3. *per adoptionem*, ut pii, Joh.1,12. & v.6. & seqq.

II. *IN NATURÆ humanæ probatione, est duarum circumstantiarum explicatio, & ipsius certa demonstratio.* Prima circumstantia est QVANDO? *Cùm venit temporis plenitudo:* Hebraismus est pro tempore pleno. Illud autem plenum Scriptura vocat tempus, qvod omnes suos articulos definitos habet: Sic etiam Ephes.1,10. Sicut autem dies dicitur impletus, qvando venit Act. 2,1. Luc.2,6.21.22. Ita tempus plenum, cujus dies præstitutus adest. Temporis autem nativitatis Christi præfinitio est in genere, καὶ ἐν τῷ πλάτει, Gen. 49,10. dum adhûc Juda erat tribus peculiaris: & in specie ac certò Daniel.9,25, septimanæ septem sexaginta & duæ sunt collecti anni 490: ita ut dies pro anno habeatur, ut aliàs sæpè in Bibliis, Num. 14,34. Ezech.4,6. Absolutis verò istis oportuit Christum nasci. Verùm de ipso anno præcisè sumto Chronologi videantur Calvis: in Isag.Chron.c.44. Mensch. lib.2.Chron. sacræ parte 3. c.1. De mense etiam coram rudi populo taceamus, sapiamus cum Doctis, loqvamur cum vulgo; qvia non est fidei articulus. Si qvid statuendum est; est initium Octobris. Nos hoc scimus, tùm fuisse hanc plenitudinem temporis, cùm omnes prophetiæ præcedentes nativitatem Christi sunt impletæ, & à Daniele constitutus annorum numerus

jam

jam ad finem properabat. *Septem* verò hebdomadæ ibidem præponuntur, qvia tot ferè *usqve ad perfectionem* templi ac urbis consumebantur. Confer Joh.2,20. ubi 46. anni numerantur.

LOCI COMMUNES.

I.

NOn est nostrum, nosse temporum articulos, Actor. 1. sed sperare, fore, ut DEUS, sicut promisit, veniens veniat, Hab. 2,4. qvod enim videtur, non est spes, sed res. *Qvando*, ne præscribamus, Judith.8. Ipse novit cum tentatione eventum præstare, 1.Cor.10. Sic inqvisiverunt diligenter Prophetæ, 1. Pet. 3, 10. 11. qvod laudatur, DEO tamen commendârunt eventum, Luc.10,24. Exempla Josephi, Davidis, claudi, Act.3.

II. LOC. COMM.

DEUS tandem suas promissiones complet veraciter; Et, si dedit Filium, qvomodo non etiam cum eo omnia? Roman.8,32. Hinc collige jam singula: Pauper es? dabit victum & amictum, qvibus sis contentus, 1.Tim.6. Es morbo afflictus? sanabit, si non priùs, saltem in alterâ vitâ, cùm induet incorruptibilitatem hoc corruptibile, 1.Cor.15. Amicorum infidelitas te cruciat? DEUS tandem duplices corde removebit. Cur verò? qvia dixit & mentiri neqvit: Tùm verò hoc faciet, cùm veniet plenitudo temporis, seu ut canit Prudentius: *Veniant modò tempora justa; Omnia habent tempus*, Eccl.3. Si hoc in rebus mundanis, multò magis apud DEUM, ille tempus facit & novit: **Er weiß wol wenns am besten ist/vnd braucht an vns kein arge List.**

III. LOC. COMM.

QVia DEUS certo temporis spatio adventum Christi circumscribit, isq; jam effluxit, is venerit, necesse est. Nota hîc ἔλεγχον contra Judæos, qvi id contra conscientiam negant.

Secunda circumstantia est QVOMODO? ἐξαπέστειλε, *emisit*. Cùm enim DEUM nemo vidit unqvam. Unigenitus Filius, qvi est in sinu Patris, venit, & notitiam ejus dedit, Joh.1,18. emissus à Patre, non tantùm ad annunciandum, Es.61,1. Luc.4,18. sed etiam ad redimendum, Matth.18,11. Luc.15. Emisit verò tanqvam Legatum suum, seu Ἀπόστολον, Ebr.3,1. vide Matth.15,24. Joh.6,40. & 20,21. unde Angelus

hova hinc inde in Veteri Testamento appellatur, Exod. 3,20. Genes. 48. Hos. 12. Mal. 3,1. & à Patre in mundum est egressus, Johan. 16,28. Qvando verò Apostoli dicuntur ita missi, Joh. 20,21. similitudo qvædam, non omnimoda æqvalitas intelligitur: videlicet ratione doctrinæ & potestatis clavium, per qvam & hi possunt salvare; ipse verò est fundamentum, 1. Corinth. 3. & Redemtor generis humani solus, cùm non sit per se in ullo alio salus, Actor. 4. & 10.

Nota etiam, qvòd missio præcedat ex parte nativitatem, ut vides hîc expressè, qvia seqvitur γενόμενον. Falsum igitur, qvod objicit Enjedinus, esse planè idem. Neq; instantia qvidqvam probat: γενόμενον est præteriti temporis. Resp. est ἀόριστον: sed ponamus significationem esse talem, rectè; qvia, qvando Paulus hæc scribebat, jampridem incarnatio facta erat. Interim possumus largiri ratione manifestationis externæ, priùs oportuit Christum concipi & nasci, & posteà mundo declarari. Inclusivè igitur, non exclusivè, ut vult Enjedinus, hæc sunt intelligenda.

Alia objectio: Christus missus est, ut redimeret. Christus docendo redemit: Docere autem cæpit, cùm esset natus annos 30. E. tùm primùm emissus. Resp. N. Non tantùm docendo cœpit redimere, sed ut Paulus docet, qvando sub Lege esse cæpit, qvod statim à nativitate factum; hûc circumcisio, purificatio &c.

LOCI COMMUNES.

I.

DEI φιλανθρωπία, qvi ne periret servus, mittit Filium, imò in mortem tradit, ut habeat ille vitam, Johan. 3,16. facit peccatum, 2. Cor. 5,21. vide Tit. 2,11. 12. 13. 14 & 3,4. pro inimicis, Rom. 5,10. 1. Johan. *Epistolâ totâ*, hic amor DEI graphicè depingitur. Magnus amor Davidis in Jonathanem; hic major Davide. Hic ex parte cum Christo potest comparari: Absolon nobiscum, 2. Sam. 18. Nos igitur vicissim & DEUM Patrem, & proximum fratrem diligamus.

II. LOC. COMM.

QVia Christus Legatus est Regis Regum, imò Regis filius, eum omni reverentiâ excipiamus, Ebr. 2. v. 1. 2. 3. Non cum malis vinitoribus ejiciamus, Matth. 21, 38. Aliàs DEUS reqviret, Deuter.

ter. 18, 19. Vide Davidem, cujus Legati minùs honorificè habiti, 2. Samuel. 19.

III. Loc. Comm.

Cur DEUS misit Filium? Ut nos reconciliaret. Reconciliamur autem cum DEO per verbum & Sacramenta, 2. Cor. 5, 18. 19. 20. Aliàs ille Rex vocans nos ad nuptias, ad cœnam magnam, irascetur, Luc. 14. Matth. 22. Vasthi rejicitur uxor & sponsa Ahasveri: Nos possumus esse regina cœli, imò per Christum sumus, Psal. 45. Eph. 5. Hos. 2. sed qvando contumaciter detrectamus, sponsi & domini nostri imperium, à regno abdicamur, & filii regni ejiciuntur, Matth. cap. 8.

Naturæ Humanæ Probatio in his verbis consistit: γενόμενον ἐκ γυναικὸς. Qvid γενόμενον? Factum, non simpliciter natum, juxta ordinem naturæ: qvomodo autem præter rerum seriem hoc factum? Luc. 1, 35. πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπί σε, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι. Prior phrasis notat planè peculiarem & mirabilem præsentiæ modum: Venit qvidem Spiritus Sanctus aliis, & ad alios: sed super alios non nisi tùm, cùm mirabilia fiunt, qvæ supra omnem naturam. Sic ἐπισκιάζειν, seu posterior phrasis non de generali Dei protectione est accipienda, Psal. 91. 1. sed de peculiari, ut de Christi discipulis usurpatur in monte, Matth. 17, 5. Marc. 9, 11. sicut & accipitur, qvando de maximè miraculosâ sanatione per Petri umbram agitur, Actor. 5, 15. Est autem qvoad rem idem, sive *factum*, sive *natum* vertas illud Græcum γενόμενον (qvod Beza non vult in notis,) qvia dicitur Luc. 1, 35, γεννώμενον, & de Mariâ, qvod ἔτεκε, Luc. 2, 7. Unde Luth. h. l. non malè, **geboren**. Qvod enim ex virgine nascitur, singulare est, nec communi modô fit; qvando autem dicitur γενόμενον, simul temporalis Christi secundùm humanam naturam indicatur nativitas, qvia qvodcunqve fit, fit in tempore: Unde suprà; *Cùm venit plenitudo temporis.* Unde verò factus, seu natus Christus homo? ἐκ γυναικὸς, *ex muliere*, Mariâ scilicet, qvæ ratione sexûs talis, non ratione statûs, aut conditionis conjugalis, siqvidem *virgo fuit partum post, in, & ante suum*, Esai. 7, 14. הָעַלְמָה erit prægnans, & pariet: Nam nomen γυνὴ est commune, denotans sexum sæpè, & opponitur ἀνδρὶ, ut aliàs זָכָר & נְקֵבָה. Cur verò potiùs hoc loco γυναῖκα, sicut

sicut & Joh.2,4. & 19,26. vocat, qvàm παρθένον? (1.) qvia Genes. 3,15. fit mentio seminis mulieris, qvô hîc respicit Apostolus, qvæ mulier, seu אִשָּׁה ratione sexûs fuit ex semine Davidis, Matth.1. Luc.3,23. cui hoc promissum, 2.Sam.7,12. (2.) Qvia erat desponsata, Luc.2,5. & proinde jure & opinione hominum, qvi rem non satis exactè noverant, erat uxor Josephi, licet non usu, Matth.1,18. Unde Christus Filius Josephi dici putabatur, Luc.3,23. Nam in Scripturâ sponsæ sunt uxores, Genes. 29,21. Matth.1,20. Unde cum illis adulterium dicitur committi, Deuter.22,24. Hos.4,13; Et sponsi dicuntur viri, respectu conjugis ducendæ, Matth.1,19. respectu parentum ejus, Generi appellantur, Genes. 19,14. Ἐκ autem est valdè emphaticum, & notat ex ipsâ substantiâ Mariæ esse Christum factum, ut suprà ἐξαπέστειλε, qvòd Filius ex sinu Patris venerit, Joh. 1,18: Sic h.l. Unde non tantùm τὸ ἐν αὐτῷ γεννηθὲν, Matth.1,20. sed etiam in Symbolis Apostolico & Niceno, natum ex Mariâ, Athanasii autem, ex substantiâ mulieris natum esse Christum confitemur.

LOCI COMMUNES.

I.

NAtivitas Christi, imò incarnatio Filii DEI est mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis. Cypr. de Nativ. Christi: *Non mundi hujus staturam admiror, miror DEUM in utero virginis, omnipotentem in cunabulis, qvomodo verbo DEI caro adhæserit.* Sic & nos miremur exemplo piorum, qvi de illâ audiebant, & parentum Christi, Luc.2,18.33. Dicamus cum Davide: *Domine, qvid est homo, ut sic agnoscas eum, & filius mortalis, ut ita rationem ejus habeas?* Psal.144,3. A Domino est hic, puta Christus, lapis angularis & fundamentum Ecclesiæ, estq; mirabilis in oculis nostris, Psalm.118,23. qvid? qvod ipsi Angeli cupiunt introspicere, 1.Petr.1,12. adde 1.Tim.3,16. Deinde hîc etiam miramur, qvòd Christus homo sit factus Dominus omnium, Act.2,36. & melior Angelis factus, Ebr.1,4. & qvòd factus sit nobis à Patre sapientia, justitia, sanctificatio, & redemtio, 1.Corinth.1,30. Nota hîc ἔλεγχον: Desinant igitur multi, ut Calviniani & Photiniani, hæc omnia ad naturæ ordinem exigere: Reliqvi homines simpliciter nascuntur; Christus ita, ut fiat, & qvidem per ἁγιασμὸν Spiritus Sancti, ex virgine.

II.Loc.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730469042/phys_0050
DFG

II. LOC. COMM.

QVia à DEO Patre & Spiritu Sancto Christus homo est factus: agnoscamus DEI Patris φιλανθρωπίαν, qvi dedit suum Filium, eumq; unigenitum, Joh.3,16. Jacob cùm haberet multos filios, & unum Josephum amitteret, renuit consolationem admittere, Genes.37. Maria cùm Christum ad tempus non haberet, cum curâ & angore eum qværebat, Luc. 2. Imò cùm videbat pati, gladius pertransibat animam, ibid. Cogita jam de DEO Patre, ubi amor in Filium ἀγάπητον Matth.3. & 17. longè purior & ardentior. Ille non tantùm tradit, sed & in mortem, & qvidem crucis, Phil.2. imò delectatur eum conterere propter nos, Esa.53. O ineffabilem DEI amorem! Rom.5. Johannes in totâ priori Epistolâ.

III. LOC. COMM.

Ἐκ γυναικὸς. Sit *Consolatio*. Est enim caro de carne nostrâ: Ergò non aversabitur nos; Est jam frater noster, Joh.20. Confer Josephi fratres, Gen.50, petentes, ut condonet fratribus. Imò hic pro nobis intercedit. Vide Ebr.2,17.18. & cap.4,15.16. & cap.5,2. Sit etiam *Doctrina*: Est verus homo, qvia ex homine natus; Habet igitur & animam & corpus, voluntatem item humanam, & similis est fratribus in omnibus, excepto peccato, Ebr.4,15. Sitq; ἔλεγχος contra Marcionitas, Anabaptistas & Apollinaristas, imò etiam Flacianos superiori seculo. (*Marcion*: dixêre non ex muliere; *Anabapt*: per mulierem, ut canalem; *Apollinar*: non habere animam rationalem; *Flacian*: totâ specie differre à naturâ.)

IV. LOC. COMM.

MUliere. Per mulierem peccatum in mundum introductum primum, Genes.3. 1.Tim.2,14. (secundum qvid) 2.Cor.11,3, per mulierem etiam salus reddita generi humano, qvia sola Salvatorem genuit, Luc.2,10.11. sine virili semine, Luc.1,34. Matth.1,18. qvomodo etiam mulieri primùm Christus post resurrectionem appareret, Marc.16. Hæc mulier autem, cùm fuerit virgo purissima, Christum ejus filium esse verum Messiam firmiter credimus, qvia de illo solo hoc fuit prædictum Genes.3. Semen mulieris Genes.49,10, שִׁילֹה affixum ejusq; punctum indicat, ipsam esse in terris & patrem & matrem; unde Christus ratione humanæ naturæ ἀπάτωρ, Hebr.

Hebr. 7, 3. Qvòd verò desponsata mulier fuerit, docet, conjugium DEO non displicere, qvod contra Pontificios vel hinc probari poterat: sed non est hujus loci. De modo si qværatur, Num Maria clauso utero pepererit? Respondeo cum Chemnit. ex Harmon. Evang. cujus verba citavi in Exerc. Alii verò possunt suo abundare sensu.

V. LOC. COMM.

QVando anteà audivimus Christum esse Filium DEI, DEUM verum, & hîc esse verum hominem, filiumq; hominis: nunc inde resultat, qvòd sint unitæ duæ naturæ personaliter & unus Christus, 1. Cor. 8, 6. 2. Cor. 5, 15. & 11, 2. Rom. 5, 15. Matth. 23, 10. Unde vocabulum unionis etiam sumptum, ut qvàm proximè ad Scripturam accederemus. *Factus* autem cùm dicitur, non innuitur mutatio, sed unio duarum naturarum: Sic de animâ & corpore, Gen. 2, 7. 1. Cor. 15, 45. Nulla igitur hîc conversio vel confusio naturarum, qvod contra Eutychen notandum.

PARS POSTERIOR.

HActenus de Personâ Christi; nunc de *Officio*: Propterea enim oportuit Filium DEI fieri hominem, ut Mediatoris officio posset ritè fungi, 1. Joh. 3, 8. In hoc apparuit Filius DEI, ut opera Diaboli dissolvat. Officium illud duo nomina indicant: *CHRISTUS*, qvòd sit futurus Propheta, Rex, Sacerdos; *JESUS*, qvòd sit redempturus suum populum. De hoc officio tria Paulus h. l. habet: *1. Ipsum officium Christi synecdochicè denotat. 2. Ejus beneficium itidem dupliciter indicat. 3. Hujus applicandi medium demonstrat.*

DE PRIMO hæc verba sonant: Γενόμενον ὑπὸ νόμον. Γενόμενον iterùm hîc non notat agi de eo, qvod fit secundùm naturæ ordinem, sed qvod est præter, imò longè super eum: Ita enim Christus erat Dominus Legis, Legiq; nihil debebat, qvippe qvæ lata hominibus, non DEO, (qvanqvam DEUS, qvi est sibi ipsi lex, & non contrarius, contra suam Legem non faciat,) sed gravissimâ de causâ, & ut Veteres loqvuntur, κατ' οἰκονομίαν, DEUS, cùm homo satisfacere Legi non posset, sub Legem factus est, h. e. ei subjectus, qvoad obedientiam & pœnam fuit. vide Rom. 8, 3.

Nota hîc; qvid sit ὑπὸ νόμον, Paulus explicat Rom. 6, 14. & v. 21. *ratione maledictionis* hoc intelligitur, qvemadmodum pondus

id,

id, cui incumbit, premit: Et hoc est sub eo. vide Psal. 69,1. &c. Nostra enim peccata sunt gravia, Psal. 38,5. Christus verò Agnus DEI αἴρει, tollit in humeros suos tanqvam onus in se, Johan. 1,29: Et ab hâc phrasi diligenter distingvendum est ἐν νόμῳ, seu ἔννομον, 1. Cor. 9,21. in præceptis DEI ambulare; id enim omnibus piis convenit: sub Lege autem esse, Christo, qvatenus satisfecit pro omnium peccatis, & illis competit, qvi Christi satisfactionem respuunt; qvatenus à maledictione, ut poterant, per fidem non liberantur. De Christo verò, qvomodo intelligenda sit hæc phrasis, Paulus explicat Gal. 3,13. NB. κατάρα, (qvi locus cum hoc conferendus) & 2. Corinth. 5,21. & Esa. 53,9.10. (juxta Vulgat. juxta Jun. 6.7.) Jehova facit, ut incurrat in eum omnium nostrûm pœna. Exigitur pœna, & ipse affligitur: Sic igitur Christus ὑπὸ νόμον ratione maledictionis, sed idem etiam ratione impletionis, Matth. 5,17.

LOC. COMM. I.

DOminus Legis fit ipsi propter nos obediens: patitur se circumcidi, & in templo pro se offerri, Luc. 2. Et cùm nemo Legem facere posset, nec per sacrificia in se considerata, salvari, ipse venit, *ut faceret voluntatem DEI*, Psal. 40. Ebr. 10. Alii simulant hypocriticè, ut Scribæ & Pharisæi, Matth. 19. vel coguntur fateri, se esse servos inutiles, cùm fecerint, qvæ potuerint, Luc. 17. Ipse verò factus est ille servus DEI, Esa. 42,1. & cap. 53,1. qvi cùm esset DEUS, formam servi ad tempus assumsit, Phil. 2,7. qvod qvidam veteres Christo attribuere noluerunt: Sed vide L. J. Drus. lib. 16. obser. 12. Sit *Consolatio*: Ut fieremus liberi per Filium, Joh. 8. oportuit eum servire, & Legem implere, Matth. 5.

II. LOC. COMM.

SI sub Lege fuit, maledictio pro nobis factus, Gal. 3. per ipsum, ut semen benedictum, super nos venit benedictio, Genes. 12. Gal. 3,16. ut sub ejus vestibus salutis, Esa. 61. & bonæ fragrantiæ, Eph. 5,2. (cùm nostra peccata in conspectu DEI fœterent, Psal. 38,6.) tanqvam primogeniti, Col. 1,15. à Patre ab æterno, Ebr. 1,6, benedictionem auferamus: ut olim Jacob vestibus Esavi indutus Genes. 26, benedicebatur. Ille factus est peccatum, ut fieremus justitia, 2. Cor. 5,21. Ille mortuus est, ut habeamus vitam, Joh. 10,10.15. Factus est pauper, ut

nos ditet, 2.Cor.8,9. de cœlo descendit, ut nos in cœlum possemus per eum ascendere, Joh.1,52. De scalâ Jacob hîc dici potest. Infernum devicit, ut nos victos & vinctos liberaret, Hos. 13. & 1. Cor.15. *& nil horum propter se, ô homo! sed propter te*, Bernh.

III. Loc. Comm.

Ὑποδιδασκαλία. David erat Rex unctus, 1. Sam. 17. sed tamen ut servus fugitivus hinc inde vagabatur â cap.18. sex annos. Rex ille manebat, sed non usurpabat regiam dignitatem ac potestatem: Sic Christus erat Rex Regum, habebatq; omnia: verùm ut posset pati & mori, per οἰκονομίαν retrahebatur, qviq; erat summus, factus est infimus, non homo, sed vermis, Psalm. 22. ita pressus, ut ex corpore sangvinis guttæ stillarent, Matth.26. ut ita nulla species in eô esset, Esa.53 qvi erat speciosus inter filios hominum, Psalm. 45. Sit ἔλεγχος: Si factus est sub legem, non venit ut novus Legislator, qvod ajunt Pontificii. Nota etiam hoc contra Photinianos, qvi dicunt, Christum tantùm monstrâsse viam ad vitam docendo & moriendo: His oppone ἐκτὸς νόμου, & explicationem Apostoli suprà monstratam.

IV. Loc. Comm.

Ἔλεγχος. Hinc tamen cave, ne inferas; *tantùm passivam* Christi *obedientiam* nobis imputari, cum Piscatore: de qvo errore alibi dicitur.

SECUNDUM MEMBRUM. Beneficium duplex ex officio redundans declarat. Propterea enim factus est Christus, seu Messias, Propheta, Rex, Sacerdos, ac victima pro peccato, *ut eos, qvi erant sub lege, redimeret*, & (qvi sibi non deessent ipsi) *adoptionem in filios Dei* perciperent.

Particula ἵνα causalis, errorem proximè præcedentem destruit, docetq;, ideò fuisse Christum sub lege & in lege per dispensationem, non ut pro suâ personâ satisfaceret, sed propter nos, ut vinctis solutionem prædicaret, servis libertatem, captivis dimissionem adferret, Esa.61,1. Luc.4,18. (ἃ ἕνεκεν ἔχρισέ με.) Qvinam autem illi fuerunt? Resp. omnes omninò homines, siqvidem omnes egebant gloriâ Dei, Rom. 3, 9.10.11.23. & non erat, qvi faceret bonum, ne qvidem unus, Psal.14. Omnes ergò peccatores Lex accusabat

bat & damnabat: Illos verò, qvi ita erant sub lege concluſi, Galat. 3, 22. & 23, Chriſtus ſolutò preciò, ſeu λύτρῳ, nempe ſuô ſangvine, Matth.20,28. 1.Pet.1,18.19, exſolvit & redemit, qvæ eſt verbi ἐξαγοράσῃ ἔμφασις. Confer 1.Cor.6,20. 2. Petr. 2,1. Gal.3,13. 1.Cor.7,23. Apoc.14,6. & inprimis Apocal.5,9.10. Cui adjunge, ſi placet, loca, ubi vox ἀφ,ποιεῖσθαι & ἀφ,ποίησις habetur, Act. 20,28. Epheſ. 1, 14. 1.Theſs.5,9: Sic idem notant ἀντίλυτρον, 1.Tim.2,6. λύτρωσις, Ebr. 9,12. ἀπολύτρωσις, ibid. v.15. qvibus omnibus vox *meriti* includitur, qvod propium neqve in Hebræâ, neqve in Græcâ lingvâ nomen habet: Illi autem reſpondet Hebræum גְּאֻלָּה, qvæ eſt redemtio per precium, Ruth.4,6. Jerem.32,7. Vide legem Levit. 25,25. & Deuter. 25,5. Noſtra omnia erant deperdita debitis noſtris: Chriſtus verò, ut eſſet nobis גּוֹאֵל, factus eſt homo, & ita propinqvitate ſangvinis dato precio redemit. Et hoc eſt, qvod ita Jobus cap.19,27. de hôc גּוֹאֵל triumphet.

Diſtingvе autem hîc inter *acqviſitionem* & *applicationem* meriti Chriſti: *Illa* ad omnes omninò homines; *hæc* non item: qvia per media fit, qvæ negliguntur à pluribus, & ſic illa miſericordiæ divinæ volunras cùm impeditur, juſtitiæ in plerisqve impletur. Eſt igitur ſecundum ex priori reſultans, dum homines debito modo (de qvo in membro ult.) ſe gerunt, *adoptio in filios Dei*. Apoſtolus in Græcâ lingvâ unâ voce compoſitâ rem totam declarat, dum nominat υἱοθεσίαν. Eſt autem hæc, qvando qvis certis de cauſis, qvem non genuit, in filium & hæredem adoptat, isq; dicitur filius adoptivus. Græci alios filios eſſe per γένεσιν, ut natos; alios per θέσιν ajunt. Illius generis eſt ſolus Chriſtus, unde unigenitus à Patre ſolò: Nos verò à totâ SS. Trinitate regeniti adoptamur, per eum ſatisfacientem & nobis cœlum promerentem, ac donantem. Confer autem hæc loca Rom.8,14.15.16.17.18.19.20.21.22.23. Rom.9,4. Eph. 1,5. Bernhard: *Jure tuum duplici cœlum eſt, pie Chriſte, qvia hæres*
Es Patris, & qvia Lex præſtita tota tibi,
Jus mihi donâſti hoc, ſervâſti, Chriſte, Tibi illud.
Summo igitur cœlum vendico jure mihi.

Comparationem hîc inſtitue inter filiam Pharaonis adoptantem Moſen Exod.2. & DEUM, qvem, unde, ad qvid, qvomodo curaverit. Hæc eſt dignitas dignitatum, fieri filium DEI, Johan. 1, 12: Sic inter

Manassen & Ephraim, Gen. 48. qvando adoptabantur in tribus duodecim & possessionem terræ Canaan.

LOC. COMM. I.

UT, ἵνα,] Finalis causa incarnationis, passionis, & resurrectionis Christi, nempè nostra salus. In Symbololo Niceno: *Qvi propter nos homines & propter nostram salutem &c.* Matth. 18,11. Luc. 19,10. *venit &c.* Errant enim 1. qvi putant, tamen eum futurum hominem, etsi nos non lapsi, *Calv. lib. 2. Inst. c. 12. sect. 4,5.* 2. Errant Pontificii, qvi dicunt, Christum patiendo sibi aliqvid promeruisse, abusi dictis Luc. 24,26. Psal. 110. v. ult. Phil. 2,8.9. Ebr. 2,9. ubi describitur consequentia ordinis, non causalitatis. Sic non minùs iidem errant, qvando Mariam in opere Redemtionis & intercessionis Christo adjungunt, aut opera Sanctorum. Errant 3. & Photiniani, qvi Christum propterea venisse in carnem dictitant, ut docendo viam ad cœlum ostenderet. Qvid igitur oportuit mori? Subordinata autem non pugnant: ut Propheta venit, sed non tantùm, verùm etiam ut Sacerdos.

II. LOC. COMM.

CAlviniani hinc refutantur, qvi Christum non pro omnibus hominibus esse passum dicunt, contra expressa hæc testimonia, Joh. 1,29. 1. Joh. 2,2. imò qvi erant sub lege, illos Christus suâ morte redemit. Omnes autem omninò homines sunt sub Lege. E. Neqve est, qvod dicant, tantùm Judæos hîc intelligi: Tu contrà optimè nota, qvod de illis hîc dicatur, qvi habeant Legem, in Lege glorientur, Rom. 2,22. Sed etiam gentes sub Lege sunt, Roman. 3,9. πάντες, & 19, πᾶν στόμα ὑπόδικον, v. 20, πᾶσα σὰρξ, v. 22. οὐ γάρ ἐστι διαστολή.

III. LOC. COMM.

QVia sumus precioso sangvine Filii DEI redemti: caveamus eum iterum conculcare, Ebr. 10,29. & meminerimus nos esse Christi peculium, Exod. 19,6. Deuter. 7,6. 1. Pet. 2,9. in secundo Articulo: cujus commatis explicationem habemus apud Apostolum Roman. 6,3.4.5.6.11 18.22. Et qvia Christus pro nobis factus est Patri obediens, Phil. 2,8. servus DEI, Esa. 53,1, ille, qvi amat suum herum, cui aures sunt perforatæ, qvòd velit in æternum ipsi servire, Psal. 40,7.

Exod.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730469042/phys_0056
DFG

Exod.21,6: Nos etiam simus obedientes servi, & semper audiamus. Simul autem, qvando audimus, nos redemtos esse, cogitemus, peccatis nos vendi & tradi Diabolo, & propterea ne iterùm in captivitatem retrahamur, caveamus labi contra conscientiam. Et h.l. æstimandum, qvantus amor Christi in nos, qvi tàm preciosô λύτρῳ nos redemit, & proinde eum amemus vicissim, 1. Joh. *per totum.*

IV. LOC. COMM.

POtest his addi:] Si sumus filii Dei facti, & hæredes sumus DEI, & cohæredes Christi, Rom. 8,17. imò fratres, Psalm.22. Ebr.2. Et habebimus in ipso hæreditatem, in hâc vitâ gratiæ, Joh.1,14.16. justitiæ, Jer.23. sanctitatis, 1.Cor.1. libertatis, Joh.8. In alterâ vitâ gloriæ, Esa.64. 2.Tim.4. perfectæ lætitiæ, Joh.16.

TERTIUM MEMBRUM explicat ipsam horum beneficiorum applicationem, idq; unicâ voce καταλάβωμεν, id est, reciperemus. Palma in medio posita est omnibus, omnes possunt potiri, qvi non spernunt, 1.Corinth.9,24. Currendum, ut apprehendamus τοῖς ἔμπροσθεν ἐπεκτεινόμενοι κατασκοπὸν διώκωμεν, Phil.3,14. ἀγὼν τὸ βεβαῖον certandum, 2.Tim.4,7. fides servanda. Servis omnibus licebat exire anno jubilæo: Christus illum annum prædicat, Luc. 4, 19. sed multi nolunt liberari ex Satanæ laqveis, 2.Timoth. 2,26. Cyrus potestatem dabat omnibus redeundi, sed multi nolebant: Sic Christus omnes solvit, sed nolunt exire. Confer Luc. 8,14. Qvi igitur non arripit, nihil accipit. Unde fidei proprium λαμβάνειν, καταλαμβάνειν, ἀπολαμβάνειν, Johan.1,12.Col.2,6. 1.Cor.15,1. Hic duæ manus, Dei offerens verbum & Sacramenta: tuam oportet obviare, id est, fidem: aliàs nil capis, Joh.1,11. καταλάβωμεν adhûc, qvatenus promisit DEUS, ut Jacob luctans cum eo, Gen.32,25. & 35. Confer Joh.17,8. Actor.10,43. Rom.9,30. Galat.3,14. Phil.3,9. Ebr.4,16. & 9,15. & velut in ædes pectoris intromittere. Sic *tertia Epistola Johannis* v.8. Confer Apoc.2,20. Ne qvis verò hoc loco dicat, ita nos per actionem & opera nostra justificari, cùm apprehendere sit opus, sciendum, Grammaticè qvidem verba hæc activè significare, Logicè autem & Theologicè ex naturâ relativorum & rei, de qvâ hîc agitur, naturâ, passivè, ut manus mendici recipiendo patitur sibi benefieri.

LOC. COMM. I.

QVandocunq; manus noſtras videmus, (videmus autem ſemper) cogitemus de manu fidei longè magis neceſſariâ, qvâ apprehendamus porrecta nobis bona, eamq; ut habeamus, qvod neceſſarium eſt, ſedeamus ad pedes Chriſti, Luc. 10, 42. nec cum Marthâ nimis multum tumultuando nos fatigemus. Multi verò patiuntur ſibi ab infernali Adonibezeck, id eſt, domino fulguris diſpergentis, manus præſcindi, Jud. 1, 6. 7. aut ſaltem delaſſari. Vide de Moſe Exod. 17, 12. Suppone lapidem, ſeu petram Chriſtum, qvo poſſunt ſuſtentari.

II. LOC. COMM.

Ἔλεγχος contra Calvinianos, qvî fiat, qvòd multi non ſalventur? qvia nolunt ἀπολαβεῖν; Chriſtus vocat: nolunt venire, Luc. 14. Matth. 22. vult ſub alas colligere: nolunt, Matth. 23. Spiritum Sanctum offert, & petentibus dat, Luc. 11: ſed illi reſiſtunt, Act. cap. 7. Jam ergò ſeqvitur Juſtitiæ Decretum, Prov. 1. Matth. 16. Sed tu, qvi bonus, & cupis ſalvari, ne facias cum illis, verùm potiùs ut illi Num. 21, 9. Hûc refer & applica hiſtoriam de ſerpente æneo. Serpens nos momordit, ſed intuere Chriſtum, Joh. 3, 14, exaltatum in cruce, Joh. 12, 32. 33, & velut æs, ſangvineum ruborem profundentem. Exod. 15, 23, de Marâ hûc applica. Illud lignum eſt hîc Chriſtus, 2. Reg. 4, 40. Mors in ollâ, ſed farinam affudit: Tu panem vitæ, Joh. 6. purum granum tritici, Joh. 12, 24. omniaq; dulceſcent; cape igitur, qvantum ſufficit.

III. LOC. COMM.

SI accipimus υἱοθεσίαν ex Chriſti beneficio, non afferimus, non promeremur. Ἔλεγχος contra Pontificios, neqve gloriemini, Jerem. 9. 1. Cor. 1. & cap. 4, 7. Huic igitur, DEO Triuni, ex qvô omnia, qvæ posſidemus, qvæ ſperamus, accepimus, Patri, ex qvô, Filio, per qvem, Spiritui Sancto, in qvo omnia, Rom. 11, 36. 1. Cor. 8, 6. Epheſ. 4, 6. agamus pio ore & corde gratias, referamus, qvantum licet, ſancto more, exprimamus noſtram filialem obedientiam erga ipſum & proximum vero amore, & ita operemur ſalutem noſtram, propter qvam Chriſtus deſcendit de cœlo, in ſincero timore ac tremore, Phil. 2, 12. Pſal. 2, 11. 12. Amen.

IN

IN DIE CIRCUMCISIONIS CHRISTI.

Galat. 3. vers. 25. 26. 27.

Ἐλθούσης δὲ τῆς πίστεως, οὐκέτι ὑπὸ παιδαγωγόν ἐσμεν. Πάντες γὰρ υἱοὶ Θεοῦ ἐστε διὰ τῆς πίστεως ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Ὅσοι γὰρ εἰς Χριστὸν ἐβαπτίσθητε, Χριστὸν ἐνεδύσασθε.

AT postqvam venit fides, non ampliùs sub pœdagogo sumus. Omnes enim filii Dei estis, eò qvòd credidistis Christo JESU. Nam qvicunqve baptizati estis, Christum induistis.

QVando jam veteri elapsô, novum annum, DEI gratiâ, ingredimur, (qvod ut feliciter fiat, ex Psalm 118. clamamus: *Domine, prosperа qvæso &c.*) Præterqvam qvòd Christi & piorum probata exempla semper seqvimur, nunc trium meritò imitamur facta: *1. Noachi retrospicientis; 2. Populi Israëlitici mandatum DEI adspicientis;* & *3. Davidis suo regno rectè prospicientis.* Cum *Noacho* jure post nos respicimus, diluvium peccatorum & pœnarum, qvod in arcâ Ecclesiæ sustentati, sumus egressi; dum alii circa nos eodem sunt submersi. Vide enim hæresi variâ Regna obscurata; dum nobis purum DEI verbum illuxit, Esai. 60, 2: Alii, & vicini & longè dissiti Ducatus bello qvassati; & tantùm non consumpti; Noster in pace floruit. Aliæ urbes peste fuerunt infectæ; nostram beavit aëris salubritas. Qvid retribuamus Domino? Ps. 116. Cum Noacho salvus ei sacrifices, Gen. 8, pura non animalia; sed labia, Hos. 14. sed corpora, Rom. 12, & tuis flagitiis pœnas attrahere, aut cumulare ne pergas, Rom. 2, 5. Cum *Israëlitis* porrò jam à DEO moniti ex Ægypto hujus mundi, in qvo hactenus flagitiis velut tenebris immersi, sumus commorati, egrediamur mense Abib, seu novarum frugum, Exod. 13, 4. novos bonos fructus sub initium no-

novi anni proferentes, & panes azymos, ibidem v. 6. synceritatis puta, ac veritatis comedentes, 1.Cor.5. Cum Davide tandem 2. Samuel.6. 1.Chron.13. arcam Dei, supra qvam erat propitiatorium, adducimus, hoc est, Biblia, Deiq; verbum majori cum diligentiâ legimus & perpendimus, illiq; impositum verum propitiatorium Christum JESUM, fidei oculis adspicimus, Rom.3. novo cordi, ut ille plaustro, à Deo exorato, Psalm.51. ac Ezech. 11. & 36, dato, eum (scil. Jesum) imponentes: qvod fiet, si veterem hominem cum veteri anno exuamus, & cum novo novum induamus, Eph.4, dicentes: *Ecce vetera transierunt, & omnia facta sunt nova*, 2, Cor. 5. Qvòd si ritè à nobis factum fuerit: cum Noacho in montem Dei, Psal.15. cum Israëlitis in Dei reqviem, Hebr.4. cum Davide in Zionis ac Hierosolymæ supremæ arcem ingrediemur, Hebr.12. fruituri semper cœlô novô & terrâ novâ, Esa.66. Apoc,21. Qvomodo autem hoc præstare qveamus, & unde nobis tantæ vires, Apostolus declarat Gal. 3,26.27. nempe ut Noachus per arcam in diluvio; sic nos per Ecclesiam & Baptismum salvamur, 1.Pet.3,21. Ut Israëlitæ per mare rubrum; sic nos per calamitatum cumulum (qvod futuri Baptismi est typus, 1,Cor.10,2. Rom.6,) hujusqve mundi desertum transeuntes, tandem beamur; & veluti David cum amiculo lineo accinctus in Deo suo exultabat, 2.Sam.6.14. ita & nos Christo induti gloriemur, Esa.61,10. Dicti partes possunt duæ constitui:

I. *Declaratur DEI Patris misericordia, in fide nos in filios adoptantis.*

II. *Exponitur Filii benevolentia, suæ justitiæ vestem in Baptismo nudis adaptantis.*

PRIMA PARS.

ISraëlitæ à Pharaone ejusq; servis duriter afflicti, (ut Deus longè prædixerat Gen.15.) tandem à Mose liberatore suô in libertatem vindicantur, Act.7. v.25. & 35. & populus ille, filius Dei primogenitus adoptatur in Christo, Exo.4,22. Nos omnes sub Diaboli regno detenti, æternumq; affligendi, à Christo liberati, qvotqvot in eum credimus, filii Dei reddimur, Joh.1,12. Hoc Apostolus aliis verbis v. 23. & 25. ita effert: *Antequam veniret fides*, & promissio de Christo, in qvê omnis fides respicit, *sub lege*, velut præsidio constituto, ad carcerem

rem custodiebamur, & omnes concludebamur: qvando autem jam in N. Testamento *venit Christus*, ceu fidei objectum præcipuum, *non amplius*, qvi ad illum confugimus, *sumus sub pædagogo*, à qvo cogamur. *Omnes enim vos estis jam filii Dei, per fidem in Christo JESU*, à qvo & per qvem fide apprehensum solvistis legi debitum: atqve ita jam soluto debito, emisi estis liberi, & simul in numerum filiorum Dei adoptati, qvò hæredes bonorum cœlestium evadatis.

I. LOC. COMM.

TUm desinit coactio Legis, qvando venit hæc justitia summi Regis. Hic enim Filius natus nobis, & à DEO strenæ optimæ loco datus, jugum oneris populi sui, & virgam humeri illius contrivit, Esa. 9. v. 4. & 6. ut per eum liberati ex manu inimicorum, ipsi serviamus, Luc. 1. v. 74. & 75. Qvemadmodum, anteqvam venirent salvatores, de qvibus libro Judicum cap. 3. & seq. Israëlitæ graviter à suis hostibus opprimebantur; Illis autem jam datis, cessabat ista tyrannis. Et hîc jam locus dicendi est, de multiplici liberatione per Christum nobis allatâ, nempe à jugo peccati, mortisq; æternæ. Confer Ose. 13. Psal. 130. Joh. 8. Rom. 8. Gal. 3: porrò, à jugo illo intolerabili Legis ceremonialis, Act. 15. Gal. 5: & demùm à traditionibus humanis, Col. 2. Videamus modò, ne nostrâ libertate abutamur, Rom. 6.

II. LOC. COMM.

OMnes credentes, qvamdiu credunt, sunt filii Dei; sed possunt multi filii regni, propter inobedientiam, ejici, Matth. 8. sicut Ismaëli contigit, qvem immorigerum scimus ab hæreditate paternâ exclusum fuisse, Gen. 21, 12. Gal. 4, 22. & 30.

III. LOC. COMM.

SI filii Dei sumus, DEO Patri & Christo nostro fratri obediamus; non Diabolo: Et hûc spectat, sub novi hujus anni initium, severa admonitio, de Novâ obedientiâ ab omnibus filiis Dei præstandâ. Christus enim suæ lætitiæ vinum, in utres nostri cordis veteres non infundit, Matth. 9, & nos, qvi ita coram nostrô Josuâ apparemus, cum saccis tritis, utribus ruptis, & calceamentis resartis, perpetuæ servituti ac maledictioni addicimur, Josuæ 9. v. 4. 5. & 23.

IV. Loc. Comm.

QVando Apostolus dicit, *in Christo*: Monemur extra hunc, de liberatione ne cogitandum qvidem; siqvidem locus non est divinæ gratiæ; nisi satisfactum sit ejus justitiæ. Unde cum fide Christum apprehendente, ac gratis nos justificante, sangvis Christi velut pretiosissimum λύτρον, 1. Pet. 1, 18. 19, necessariò conjungitur, ad demonstrationem justitiæ divinæ, Rom. 3, 25. Unde duo fluunt προσήματα contra Photinianos observanda. Prius: qvòd fides hoc loco non possit esse obedientia nostra erga Dei mandata: qvia est promissionis de Christo exhibendo declaratio & acceptatio, suprà v. 22. 23. Posterius: qvòd nostri respectu, in justificatione omnia gratis; respectu Christi, nulla obtingant, sed omnia ex merito, qvia solvens pro nobis, Psal. 69, 15, nos ob debitum in carcere obstrictos, Matth. 18, liberavit, Gal. 3, 23.

SECUNDA PARS.

MIra hæc qvidem; sed tamen vera est mutatio in Christo & hominibus: ut, dum Ipse fit filius hominis: hi fiant filii Dei; dum Ipse fit servus, Phil. 2: hi fiant domini, Rom. 8. 1. Corinth. 15; dum Ipse fit pauper: ut hi fiant divites, 2. Cor. 8; Ipse reputatur pro nobis maledictio: ut in nos veniat benedictio, Gal. 3; Habetur injustus, Esa. 53: ut nobis obtingat justitia, 2. Cor. 5; Ille moritur: ut nobis sit vita, Rom. 5; Is descendit in terras: ut nos ascendamus per eum in cœlum, Joh. 1. & 3. Unde autem nobis illa tanta bona obtingunt? primitùs *ex Baptismo*, respondit Apostolus: qvotqvot enim adulti verè credentes sunt, (qvod in versu 26. habetur:) & parvuli omnes, in Christum, ejusq; mortem ac meritum omne vobis applicatum, Roman. 6, estis baptizati & à peccatis abluti, objectâ peccatorum veste sordidâ, Christum ipsum, ejusq; justitiæ vestimentum purissimum induistis, qvô coram Dei facie nitetis splendidissimè. Confer 1. Cor. 6, 11. Tit. 3, 3. & 5.

I. Loc. Comm.

REfutantur hinc Calviniani, qvi Christi gratiam coarctantes, & omnem vim Sacramentorum evacuantes, jam tandem scribere non verentur: *Neminem prorsus, sive infans, sive adultus sit, per Baptismum regenerari*, hoc est, non regenerari per Baptismũ unum.

Apo-

Apostolus contradicit: Omnes baptizati regenerantur, & fiunt filii Dei. Utri creditis Christiani? præcipuè qvando confertis Roman.6,3. Si enim per circumcisionem à Josuâ factam, DEUS devolvit opprobrium Ægypti à totâ gente Israëliticâ, Jos.5,7.& 8: qvidni per circumcisionem non manu factam in Baptismo, Col.2,11, per JESUM nostrum, DEUS devolveret ac tolleret opprobrium hujus mundi, ac tenebrarum ejus, ab omnibus Christianis baptizatis? Certè, nisi velimus dicere, Sacramenta V. Testamenti, qvando tamen erat tempus umbrarum, esse longè præstantiora illis, qvæ sunt in N. Testamento, posterius hoc cum Apostolo cogimur asserere.

II. LOC. COMM.

SI in Christum baptizamur, eiq; inserimur, Rom. 6, omnium ejus bonorum reddimur participes. Ut palmes insertus viti trahit ab illâ succum, & cum illâ coalescit, Joh.15: Ita etiam Christiani Christo capiti implantati, succum omnem & vigorem ab eô trahunt, cujus fundamentum unicum Baptismus, tanqvam primus in Ecclesiam ingressus, Joh.3,5. Naëman restitui & à leprâ curari non poterat, anteqvam Jordanis aqvis se immergeret, 2.Reg.5: Nos à leprâ peccatorum mundari neqvimus, anteqvam salutaribus Baptismi aqvis immergimur, Tit. 3.

III. LOC. COMM.

QVemadmodum in verè & propriissimè sic dicto Baptismo, corpus primùm demergitur, deinde rursus emergit: Sic oportet omnes baptizatos cum Christo ex sepulchro resurgere ad novam obedientiam, inprimis qvando jam novus annus incipit: qvi ut sit annus gratiæ, Luc.4,19, deponamus omnes sordes neqvitiæ.

IV. LOC. COMM.

SOlent alii circa hoc tempus, de novis vestibus & aliâ phantasiâ, (ut Scripturæ illam pompam appellare placet, Act,25,23.) plus justo esse solliciti. Apostolus monet; qvam vestem novam tibi compares, nempe Christum induas. Id qvidem aliàs potest fieri etiam *legaliter*; qvando Christum in factis & moribus imitamur, Roman. 13,14. Sed de eo hîc non fit sermo: Verùm de *Evangelicâ* induendi ratione, de qvâ Matth.22,11. dum per fidem, omne Christi meritum nobis applicamus, & in hujus primogeniti vestibus pretiosis, benedictio-

dictionem cum Jacobo à patre reportamus, Genes.27. Pulchrè hoc fuit adumbratum, qvando homines lapsi & jam justitiâ Dei nudati, Genes.3,11, tunicis pelliceis, à DEO ipso factis, vestiebantur, v.21. nempe: Non poterant, nisi Agni illius Dei, Johan.1. & immaculati, 1.Petr.1. pelle, velut tunicâ vestiri: & illum oportebat à DEO fieri nostram justitiam, sapientiam, & sanctificationem, 1. Corinth.1. ut ita nostra nuditas & turpitudo, hujus pulcherrimi Sponsi, Psalm.45, pallio obtegatur. Esa.61,20, Jacob, ut indicet peculiarem suum in Josephum amorem, tunicâ versicolore eum ornat: DEUS, ut suam in nos infinitam probet benevolentiam, sui Filii unigeniti vestem donat.

V. Loc. Comm.

Si verò omnes baptizati, Christum, ejusq; justitiæ tunicam purissimam in Baptismo induerunt; qvanta cura adhibenda est, ne perdant aut polluant hanc vestem! Siqvidem est illa purpura, qvæ facit cœli Reges. Ob suam inobedientiam, Vasti Regina coronâ & veste regiâ privabatur; & homines contra Deum inobedientes illam retinerent? Ajunt Calviniani: Sed Scriptura negat, & vestimenti nomen nos monet, (id enim facilè potest deponi.) Illi veraci credimus, illamq; severam Christi admonitionem memori mente recondimus: Consulo tibi, ut emas à me vestes albas, ut induaris, nec appareat turpitudo nuditatis tuæ, Apocal. 3,18. Ut etiam Dominus dicat unicuiqve nostrorum concionatorum: Habes pauca nomina etiam in tuâ Parochiâ, qvæ non inqvinaverunt vestimenta sua: & illi olim ambulabunt mecum in vestibus albis: qvia digni sunt, Apocal.3,4. Intereà nobis Dominus inclamet: Ecce venio ut fur; beatus qvi vigilat & servat vestes suas, ne nudus ambulet, & videant omnes, qvæ in ipso sunt inhonesta, Apocal. 16,25. Qvòd si tamen peccatorum aliqvæ maculæ huic vesti adspersæ, sangvine Christi eas abluamus, 1.Johan.1. Sic olim continget nobis, ut simus inter illos, de qvibus dicit Dominus: *Hi sunt, qvi laverunt stolas, & dealbaverunt in sangvine Agni*, Apoc.7, 9. & 14.

DOMI-

DOMINICA I. POST EPIPHAN.

Rom. 12. vers. 2.

ΜΗ᾽ συσχηματίζεσθε τῷ αἰῶνι τούτῳ, ἀλλὰ μεταμορφοῦσθε τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς ὑμῶν, εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς, τί τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ τὸ ἀγαθὸν, καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον.

NE accommodetis vos ad figuram seculi hujus, sed transformemini per renovationem mentis vestræ, ut probetis, qvæ sit voluntas DEI, qvod bonum est, acceptumq; & perfectum.

DEuter. 18. v. 9. ita monentur Israëlitæ: *Qvùm ingressus fueris in terram, qvam Jehova DEUS tuus dabit tibi, ne discito facere secundùm abominationem gentium istarum*, & v. 15. *Prophetam è medio tui suscitabit tibi Jehova DEUS tuus, ei auscultate.* Eadem Paulus inculcat, Rom. 12, 2. *Primò qvidem, postqvam ingressi fuimus per Baptismum, in terram Domini sanctam, seu Ecclesiam ex gentilismo, ex tenebris in lucem*, ut ex Esa. 60, die Epiphanias audivimus, *sumus introducti, & Christiani, dum Christum induimus*, Galat. 3, 27, *facti*, Act. 11. *ne discamus denuò facere secundùm abominationem gentium, neqve aliis mundanis hominibus nos conformemus:* Sed qvod est secundùm Prophetam à DEO datum seu Christum, Act. 3, 22. unicè attendamus, & ex eo voluntatem DEI discamus. Docebit is, ut Judæos imitemur in sacrificiis, sed alio modo offerendis: in vestibus qvamlibet aliis induendis: Illi mortua; nos viva: Illi brutorum animalium; nos nostra ipsorum corpora offeramus: Illi corruptum sæpè & DEO ingratum; nos per Christum acceptas & perfectas demus cordis, oris, operis hostias: Illi veste utebantur prolixâ seu togâ, ne qvòd membrum corporis, qvod naturâ tectum esse voluit, indecorè promineret; nos, abjectis laciniis humanæ justitiæ, vestem CHRISTI integram, & salutis illud oblongum induamus pallium; ne qvod peccatum nostrum in conspectu DEI appareat.

Hoc videamus ex Apostolo per ἄρσιν καὶ θέσιν: qvid omittendum, qvid faciendum. Partes duæ sunto:

I. Prohibita conformatio.

II. Mandata transformatio.

PARS PRIOR.

DIxerat Apostolus; decere gentes, ex merâ DEI misericordiâ Christo viti & oleæ vivæ insertas, Rom. 11, 17. fructus ferre, & sua corpora, qvæ jam non amplius sunt ipsorũ; verùm Christi membra, DEO sistere loco sacrificii. Ut verò sacrificium à reliqvo grege abducebatur, in Templũ adducebatur, ibiq; mactatum offerebatur: ita etiam decet veros factos Christianos esse eximios & egregios, Dominoq; consecratos, suam carnem crucifigere, Gal. 5, 24. Inprimis autem huic mundo, velut gregi in deserto palanti ac balanti longùm valedicere, seq; ad aram in sanctuario sistere: hoc est, qvod dicit Apostolus verbo emphatico: μὴ συσχηματίζεσθε, ne conformes fiatis; neve vos eodem more & modo geratis (σχῆμα enim, in sacris literis, est externus habitus, gestus, & qvicqvid incurrit in oculos aliorum, & videntes movet, 1. Cor. 7, 31. Phil. 2, 8.) cum hoc seculo, cum hominibus mundanis: sed ut Petrus 1. Epistola cap. 1, 14. & 15, eodem utens vocabulo explicat: ut filii obedientes. αἰὼν enim, seu vox seculi, aliqvoties pro depravatissimâ & miserrimâ hominum vitâ extra Christum, ut aliàs mundi & tenebrarum nomina solent usurpari, 2. Cor. 4, 4. Luc. 16, 18. Ephes. 6, 12.

LOC. COMM. I.

REfutantur hinc ii omnes, qvi tantùm ad multitudinem, & vulgus, seu, ut Scriptura loqvitur, mundum semper respiciendum esse statuunt, ne alios, diversa seqventes, nostrâ pietate offendamus. Non ita Apostolus; qvi, ne ullo môdo maximam horum partem imitemur, studiosè monet, sicut & Salvator, Matth. 7, 13. & 14. Causam exponit Johannes Epistolâ primâ cap. 2. v. 15. Scriptura hoc à Creatore ad creaturas deficere, ex nimio & pravo amore, vocat scortari, Jer. 2. & 3. Ezech. 6. Apoc. 2, 22. Ut igitur olim rectè capitali pœnâ afficiebantur, & ex populo DEI exterminabantur adulteri, Levit. 20, 20. Deut. 22, 22; imò ob unius unum scelus tale, ferè tota tribus delebatur, Jud. 20. & 21: ita illi multò magis à regno cœlorum

lorum excluduntur, qvi idololatriæ huic sunt dediti. Confer Eph. 5,5. Jacob.4,4. Et ut Ruben committens incestum, jure primogenituræ privabatur, Gen.49,3: Ita etiam qvi cum mundo scortantur, jure illo, qvod primogenitus omnis creaturæ Christus nobis peperit, excidunt.

II. LOC. COMM.

POliticum qvidem in mundanâ sapientiâ utilissimum est axioma; Scire uti foro. Christianum verò non decet eundem habitum cum mundo assumere. Ut enim Summus Sacerdos vestibus non vulgaribus; sed iis, qvæ ad gloriam & ornatum Exod. 28,2, facerent, induebatur, DEO suo ministraturus: Ita & ille Spiritualis Sacerdos, in N. Testamento jam constitutus, Rom.15,16. 1.Petr.2,5. Apoc.1,6. Hebr.13,15, illis vestimentis, qvæ ad DEI gloriam & utilitatem proximi faciunt, sit indutus: hoc est, fide verâ & charitate sincerâ. Ut enim purpura Regem; ita & hæc cœli futuros Reges, 1.Pet.2,29, demonstrat, & qvi hâc veste caret, è nuptiis Agni turpiter ejicitur, Matth.22,22.25. Apoc. 19,9.

III. LOC. COMM.

QVia mundus hic præterit, 1.Cor.7,31. 1.Joh.2,17, & omnia mundana: Qvid igitur amemus in illo gloriam, voluptates, opes? Fluxa & caduca sunt omnia, Psal.49.11. Sap.2. & 5. cap. Psalm. 39,7. Jacob.4,9. & cap.5,v.1.2. & 3. Relinqvamus igitur ea cum Lotho in Sodomâ periturâ, neqve eò respectantes, Genes.19. Luc. 17, & in monte Domini, Psal.15, ubi tuti ac beati erimus, tendentes.

IV. LOC. COMM.

ANabaptistæ illi, qvi se vocant à mundo separatos, non habent hîc, qvod tamen dictum ponunt in primâ acie sui erroris, patrocinium; qvasi non possimus salvâ conscientiâ vestiri pretiosè; lautis cibis uti; ridere; nuptias, convivia celebrare; Musicam exercere; fœdera inire; arma gestare: qvia illa simpliciter non sunt idem, qvod hoc seculum, qvod in malam partem sumitur pro vitiis. Aliàs enim pii hæc sæpè sine reprehensione feciſſe leguntur. Vide Anabaptist. Wigand.

PARS

PARS SECUNDA.

QVid igitur faciendum tandem? dicat qvispiam. Respondet Apostolus: Duo sunt præstanda: *Exoranda à DEO mentis transformatio; & inqvirenda voluntatis divinæ declaratio. Transformamini*, μεταμορφῶσθαι: Qvod vocabulum, sicut & μορφὴ in N. Testamento non pro formâ essentiali, ac totius immutatione, sicut apud Philosophos & Chymicos; sed pro accidentali; aut etiam externâ formâ, ejusq; transformatione accipitur. Confer Marc. 16,12. Phil. 2,6.7. Gal. 4,19. Matth 17,2. 2.Cor.3,18. Qvomodo autem illa potest institui? *Renovatione*, qvæ fit à DEI Spiritu per Baptismum, in infantibus, ac primùm Ecclesiam ingredientibus, Tit. 3,5: per verbum in lapsis; dum agunt pœnitentiam, Hebr. 6: in stantibus, dum in fide manent fundati, & ex eâ benè operantur, 2. Cor. 4,16. Col. 3,10, & primò omnium *mentis nostræ*, qvæ per lapsum primorum parentum valdè obscurata, Hebr. 4,16. Post hanc autem transformationem cogitetis, eam propterea factam, non, ut vos vestrô more vivatis: sed DEO serviatis, *ut probetis vos*, velut ad lydium lapidem sacræ Scripturæ examinantes, τὶ δόκιμον, τὶ ἀδόκιμον, qvid probum; qvid reprobum in doctrinâ, in moribus; seu qvæ sit *voluntas DEI*; qvid velit vos facere & credere, juxta Evangelium & Legem, duo primaria doctrinæ Christianæ capita. *Bona*, ratione principii, medii & finis: *Placens*; qvomodo illa εὐδοκία in Christo nato concessa hominibus, Luc. 2,14, possit conservari, ut sitis εὐάρεστοι 2.Cor.5,9, in fide Hebr.11,6, & bonis operibus &c. Hebr.13,16; *Perfecta*, sibiq; semper consentiens, non mutata sæpiùs, Mal. 3,6. & ex qvâ perfecti evadunt homines.

I. LOC. COMM.

EX declaratione vocabuli μεταμορφῶσθε, & collatione locorum parallelorum, refutantur Flaciani, qvi substantialem & totalem hominis, qvoad partes essentiales, immutationem hinc probare voluerunt. Nos verò scimus, ut homo non ratione essentiæ; sed accidentium fuit depravatus in lapsu Adæ: Ita etiam horum non illius ratione in restauratione mutetur: Hûc affer comparationem à veste Sacerdotis summi, & paludamento regio, & phrasin: 1. Sam. 10,6, mutaberis in virum alium, de Saule futurô Rege.

II. Loc.

II. LOC. COMM.

REfutantur hinc Pontificii illi, qvi dicunt: *Peccati originalis sedem non esse in mente ipsâ, sed tantùm in inferioribus animæ facultatibus & viribus.* Apostolus verò vel primo loco, & maximè ut πρῶτον δεκτικὸν mentem vult renovari, cui meritò assentimur, & uberiorem hujus controversiæ declarationem aliò remittimus, Zachar. 3, ubi typus qvidam justificationis, non tantùm vestes mundæ induuntur, sed imprimis & cidaris munda imponitur capiti; vers. 5.

III. LOC. COMM.

FInis nostræ renovationis est; ut voluntatem DEI agnoscamus, agnitam efficiamus, efficientes autem vitam æternam reportemus, joh. 3. v. 29. & seqq. 1. Petr. 1, 9. Plerique igitur homines suæ vocationis finem non assequuntur, suâ culpâ: qvia nolunt probare, qvæ sit voluntas DEI; nec eam conantur præstare, Ephes 5, 17. 1. Thessal. 4, 3. 6. & 7, ut; qvi tempore Cyri manebant in Assyriâ & Chaldæâ.

IV. LOC. COMM.

SI voluntas DEI est bona; DEUS non vult, sine ullâ prævisâ infidelitatis causâ, absoluto decreto, homines damnare, ut blasphemant qvidam Calviniani. Si est bona, qvî fit, qvòd multi in calamitatibus, qvæ ex bonâ DEI voluntate infliguntur, ita contra DEUM murmurent? Dicant potiùs cum Davide ex Psalm. 119: *Bonum est mihi, Domine, qvòd humiliâsti me.* Si bona est, cur non appetitur ab omnibus? Bonum enim naturâ omnes appetunt. Fit autem, qvia ignorant, nec eam probant. Rebecca qvidem de facie ignotum sequebatur sponsum; nos non item Christum? qvem tamen de famâ benè agnoscimus.

V. LOC COMM.

SI qvis DEI voluntatem approbat in theoriâ & praxi, DEO est εὐάρεστος, & perplacet. Qvi (autem) DEO placet, hunc manent omnia bona divina.

VI. LOC. COMM.

SI DEI voluntas est perfecta, ut illi conformemur, laboremus; qvia ita erimus perfecti ac beati. Falsò, de suo Rege omnia bona pollicebatur Rabsaces, Esa. 36. Prophetæ & Apostoli de Rege cœli

longè veriùs; Ut illis credamus, faxit Christus, qvi nobis voluntatem DEI revelavit, atqve eam pro nobis perfectisſimè implevit.

DOMINICA II. POST EPIPHAN.

Rom. 12. verſ. 6.

Ἔχοντες δὲ χαρίσματα κατὰ τὴν χάριν τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν διάφορα: εἴτε προφητείαν κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως.

HAbentes dona juxta gratiam datam nobis varia: ſive prophetiam, juxta portionem fidei.

ARcam à Noacho juſſu DEI fabricatam, Gen. 6. 1. Pet. 1. v. 3. 21, & templum à Salomone ejusdem ſpeciali mandato extructum, 1. Reg. 6, in V. Teſtamento in multis gesſiſſe qvendam militantis Eccleſiæ N. Teſtamenti typum, extra omne dubium poſitum eſſe putamus. Ut etiam apud non contentioſos conſtare arbitramur, Ezech. à cap. 40, usqve ad finem, & cap. 21, & 22, Apocalypſeos, ſub nomine novæ & reſtauratæ Jeroſolymæ, deſcribi Eccleſiæ potisſimùm in cœlo triumphantis ſtatum. Illis tamen phraſibus, qvæ ex vitâ communi, & qvandoqve etiam ex V. Teſtamenti umbris ſunt deſumptæ: ut aliàs Scriptura Judæis & nobis deſcribere ſolet. Qvod ſi ita eſt, & illa omnia, certâ menſurâ, numerô & pondere, ſunt diſpoſita, ſicut in locis allegatis videre eſt: facilè inde concludere poſſumus, in Eccleſiâ, omnia membra certô ordine eſſe compacta, Eph. 2, 21, omniaq; ordine ac decenter fieri debere, 1. Cor. 14, 40. Utrumqve Apoſtolus in hoc cap. 12. ad Rom. rectè explicat: prius per ſimilitudinem, à corpore humano deductam, v. 4. & 5: poſterius verò, v. 6. & ſeqq. ubi, pro diverſitate donorum Spiritus Sancti, diverſa officia ſine omni confuſione rectè adminiſtrari docet, tùm publica; tùm privata. Nos reliqvis miſſis, *de dono Prophetiæ* in N. Teſtamento uſitato agemus, viſuri has duas partes:

I. Ejus veram definitionem. *II. Ad normam applicationem:* ſeu 1. *Qvid* ſit. 2. *Qvalis* eſſe debeat.

PRIMA

PRIMA PARS.

OCcasio est hæc: Comparaverat Apostolus Ecclesiam cum corpore humano. Ut enim in illo omnia membra non habent eandem actionem: sic, cùm multi simus unum corpus in Christo; tamen sigillatim, alter ad alterum collati, sumus velut membra, qvi à Christo, ut illa ex capite, omnem vitalem Spiritum haurimus. Et ut ibi oculi sunt in corpore humano duces, sic etiam in hoc mystico, Doctores, qvi voluntatem DEI rectè vident, aliisq; monstrant. Ut ibi sunt aures; ita hîc, qvi obediunt, Auditores. Ut ibi sunt pedes; ita hîc & vulgus, Esa. 1,6. & cap. 7, 10, & qvi opera vocationis suæ expediunt: qvod Scriptura non tantùm nomine pedum, Roman. 16, 20. Ephes. 6, 15. Hebr. 12, 12. 13, sed etiam, ire & venire, exire ac procedere; similibusq; locutionibus plurimis in Psalm. 1. v. 1, declaratis, indicat; Atqve ita in seqventibus, (qvod probè notandum) Apostolus qvandam qvasi corporis mystici instituit anatomen, à membris capitis, utpotè præcipuis, initium faciens: Ostenditq; in statu Ecclesiastico *lingvam*; vel in accuratè interpretandis aliis libris Biblicis, apud eos, qvi viam salutis jam norunt, & progressus aliqvos facere student; vel in docendo simpliciter, etiam eos, qvi nondum sunt satis informati, dum capita Christianæ doctrinæ præcipua, velut in Catechismo illis proponuntur; vel consolandis iis, qvi persecutionem patiebantur; & adhortandis, qvi subsistere videbantur in pietatis viâ. Vel *manum*: ratione externæ curæ, ut in diaconatu, ac distributione Eleemosynarum. Vel in statu politico *Oculos*, magistratum, qvi aliis præest. Vel in statu omni *Cor*, qvod omnibus debet esse simplex, ac sine hypocrisi. Vel *voluntatem*, qvæ debet odisse malum, & bonum persequi, & sic de cæteris. Vel ita hæc resolvamus: Apostolus, qvæ in genere dixerat, sacris muneribus, in qvibus peccatur graviùs, applicat: Ea distribuit in duo genera: Prophetarum & Diaconorum. Cum illis Doctores & Pastores conjungit; hos verò triplices facit: Inservientes ærario, qvi strictè sunt Diaconi, Act. 6: vel morum disciplinæ, ut Presbyteri: vel curæ pauperum & ægrotorum, ut viduæ. Nunc autem potissimùm laboramus, deq; eo sumus solliciti, qvid hoc loco sensu literali uno notet Apostolus, cùm dicit: εἴτε προφητείαν,

sive prophetiam verbum *habemus*, ex præcedente membrô ἀπὸ τοῦ κοινοῦ supplendum. Extra dubium esse putamus, voce Prophetæ vi ἐτύμου Hebræi designari eum, qvi, DEO revelante, prædicit futura: & Prophetiam tale vaticinium longè à Spiritu Sancto certò prædictum, & tandem eventu comprobatum: Unde qvorundam Grammaticorum non inepta est conjectura נָבָא verbum, seu Radicem (unde נָבִיא & נְבוּאָה derivantur) primùm in Niphal, seu cõjugatione passivâ existere; qvia nemo à seipso; sed à DEO vocatus, rectè prophetare potest: qvod & Petrus expressè dicit, 2. Epist. c. 1, 21: *Non voluntate hominis, sed Spiritu Sancto &c.* (Sicut etiam in נִשְׁבַּע id est, *juravit*, eadem ratio valet: cùm nemo temerè ac suâ sponte, sed tantùm à Magistratu coactus jurare debeat. Sic נִלְחַם *præliatus est*; qvia nemo, nisi extrema necessitate adactus debet præliari, seu bellare. Sic & נִשְׁעַן *inniti*: qvia nemo seipso potest tutò niti, sed DEO.) Eadem qvoqve ratio ἐτύμου, *Græci* à φημὶ & φημὶ *prædico*. Et, cùm significatio hæc sit notissima, nulla profero exempla: Tantùm annotamus, hosce Prophetas *Videntes* olim fuisse dictos, eò qvòd viderent, qvæ DEUS ipsis immediatè in visionibus revelabat, 1. Sam. 9, 9, & passim in libris Chronicorum. Hi autem extraordinariè à DEO vocabantur, & plerumq; suam vocationẽ miraculis confirmabant: qvin etiam, illi potissimùm futura prædicentes, de Christi adventu in carne prophetârunt. Vide & expende diligenter Matth. 11, 13. Ubi nota prædicatum, 1. Petr. 1, 10. Act. 10, 43, qvò etiam referri potest qvòd Christus sit finis Legis, Rom. 10, 4, & fundamentum Prophetarum, 1. Cor. 3, 11. Ephes. 2, 20. Aliàs, in populi peccatis graviter reprehendendis, hominibusq; ad fidem & pietatem adducendis, seduli fuerunt: Sicut in libris Prophetarum videre est. Et tales Prophetæ, in initiô N.T. cùm erat adhuc tempus agonis politiæ Mosaicæ, paucissimi; ut *Agabus*, Act. 11, 27, & cap. 21, 10, postea verò fermè nulli visi; eò qvod, qvæ hominibus scitu necessaria, per Prophetas priores Christum & Apostolos, eorumq; successores, sunt fideliter inculcata, & qvæ adhuc futura, ante extremum judicium, signa ab iisdem abundè revelata, præcipuè à Daniele in Veteri, & Johanne, in N. Testamento. Unde etiã, qvod ad voluntatẽ DEI, cognitu hominibus necessariam; nulla alia novâ jam expectanda est Prophetia: qvia Johannes Prophetarũ taliũ ultimus; cùmq; ante mundi

di finem eventura in Apocalypsi prædixerat: ita suum librum & Biblia concludit: Apoc.22,18: *Unà testor cuivis audienti verba Prophetiæ libri hujus: si qvis adjecerit ad hæc; imponet vel adiiciet ei Deus ptagas scriptas in isto libro &c.* Porrò autem, qvia nec hæc significatio vocis Prophetæ est perpetua, neq; una; sed prætereà in genere dicuntur Prophetæ, qvicunq; Spiritu DEI acti fœdus ipsius profitentur, & gloriã prædicant, inprimis, dum voluntatẽ DEI, libris sacris contentã, accuratè explicant, atq; ita *pro interprete sacrarũ literarum publico* accipitur, & illo qvidem, qvi Doctore vel Pastore qvovis accuratiùs & subtiliùs singula rimatur, & enarrat: Cùm hic satis habeat, populari ratione sensum indicare, eumq; ad usum suorum auditorum accommodare: Ille verò singula ita exponit, ut ita fidei articulos firmiter roboret in thesi; errores refutet in antithesi. Differunt sæpè Doctores & Prophetæ, in N.T. potissimùm, ubi conjunguntur, ut hodiè apud nos *Theologiæ Professores*, & *verbi divini ministri*. Ut enim illi in genere omnia explicant & monent: hi autẽ singulos, ratione officii, hortari, solari, & erudire coguntur: sic etiã in V.T. dicuntur Prophetæ, qvi Legem Dei sciverunt, aliisq; inculcârunt exponendo sensum, dantes intelligentiam per Scripturã ipsam, Nehem.8,9. Talis erat Abraham, Gen.20,7. Confer Gen.18,19. Aaron, Exo.7,1. Confer Exod.4,14. & 7,2. Sic Psal.105,15, omnes Patriarchæ hoc nomine veniunt. Sic Tobiæ 4,13. In N.T. ubi, (ut anteà dictũ) Prophetæ strictè sic dicti cessârunt, plerumq; explanatores librorũ sacrorũ vocantur Prophetæ. vide Act.13,1. Ubi in Ecclesiâ Prophetæ, hoc est, διδάσκαλοι fuisse dicuntur, Barnabas, Simeon Lucius, Manaën & Saul: qvos tamẽ futura prædixisse non legimus. Et Act.c.15,32. Judas ac Silas, & ipsi Prophetæ. Qvomodo? Seqvitur ibidẽ: per sermonem multũ adhortabãtur fratres, eosq; confirmabãt. Ita 1.Cor.11,4.15. & 14,1,3. &c. illi intelliguntur, non qvi futura prædicunt; sed qvi Ecclesiæ ad ædificationem, adhortationem & consolationem dicunt. Sic Johannes Baptista habebatur Propheta, Matth.21,26, qvi tamen non futurum, sed præsentem Christum monstrabat. Hûc referendum, qvòd Christus hoc nomine dicatur noster Propheta, qvia ipse ex cœlo veniens, explicat ardua Scripturæ mysteria, Joh.1,18, & adhûc, per verbum suum dextrè explicatum, nos erudit, Deut. 18,15. Ubi non habetur, qvòd Christus toties futura prædixerit, qvoties dicta Prophetarum, Mosis, & Psalmorum explicuisse legitur.

Hujus rei fundamentum longè firmisſimum habemus Hebr. 1, 1, qvod nulla ψευδολόγης evertet. Atqve ita à principaliori fit denominatio. Probari hoc ulteriùs vel inde poteſt: qvòd cùm Chriſtus in patriâ ſuâ particulam Prophetæ Eſaiæ explicârat, de ſe & aliis Bibliorum interpretibus dicit: *Nullus Propheta acceptus eſt in ſuâ patriâ.* Confer & expende hiſtoriæ Lucæ 4. v. 26, deſcriptæ ſingula membra. Horſum pertinet, qvod olim in V. Teſtamento Theologiæ Studioſi, qvi res ſacras & fundamenta Religionis orthodoxæ ex hominibus (à qvibus non inſtituebantur Prophetæ prioris generis, qvi futura vaticinari poterant, à DEO immediatè illuminati) diſcebant, dicebantur Prophetarum, hoc eſt, Interpretum ſacrorum filii, id eſt, tales, qvi ipſis freqventem ac ſedulam dabant operam, ut filii ſuis patribus; non verò unâ lectione auditâ aufugiebant. Vide 2. Reg. 4, 3. & cap. 4, 1. 38. & c. 6, 1. Non alienum eſt ab hâc ſignificatione, qvanqvam diversâ ratione fiat appellatio, qvòd Propheta etiam ille dicitur, qvi res præſentes aliis ignotas novit, Johan. 4, 19. Luc. 7, 39. Ita enim interpretibus piis multa etiamnum revelantur à DEO, qvando diligenter meditantur, qvæ alii non vident. Jam confer ea, qvæ dicuntur 1. Corinth. 13, 2, ubi Propheta N. Teſtamenti definitur, qvi novit omnia myſteria, & omnem notitiam fidei articulorum habet: qvemadmodum in ſeqventi membro, per illos, qvi habent fidem, ut poſſint montes transferre, intelliguntur Apoſtoli, Matth. 17, 20. Luc. 17, 6. 7. Adde, qvòd ἀποκάλυψις diſertè diſtingvatur ab hâc prophetiâ, 1. Cor. 14, 16, etiam hoc, qvod 1. Cor. 13, 8. & 9, prophetiæ lingvæ & cognitio conjungantur, ut conſtet, illam intelligi Prophetiam, qvæ in aliam lingvam rectè transferre & explicare ſcit, qvæ ex verbo DEI v. 12. cognovit, & 1. Corinth. 14, 26. 27. 28, Prophetam per διερμηνευτὴν interpretatur Apoſtolus; &, (qvod eſt caput) ibidem v. 37, vult Prophetam cognoſcere illa, qvæ ſcribit ipſe, eaq; non ignorare, v. 38. Hactenus probatum eſſe confidimus, ſæpiſſimè vocabulum Prophetæ & Prophetiæ, de Interpretibus & Interpretationibus divinarum literarum accipi. Nunc videamus, qvomodo poſſimus evincere, hoc loco eſſe ita intelligendum: Præſuppono 1. (qvod tamen anteà credo demonſtratum) qvòd in N. Teſtamento non fuerint neceſſarii, qvi res futuras prædicerent. 2. Qvando cum Apoſtolis, Evangeliſtis, & Doctoribus con-

conjunguntur Prophetæ, ut 1. Cor. 12, 28. Ephes. 4, 11, intelligantur Ecclesiæ Doctores illi, qvi necessariò gregem Christi instruunt. Adjunge *Luther. Tom. 2. Jenens. German. p. 464. b. & 465. a.* explicationem satis nervosam, qvæ facilè potest retundere qvorundam novitates. Sic explico locum, 1. Thess. 5, 20. *Prophetias* (v. 19. præcedente) *Spiritûs ne extingvite, ne spernite*; qvia 1. Cor. 14, 32, & Spiritus & Prophetæ, seu sacrarum literarum interpretes optimè conjunguntur. Hoc volo: *Ubi vel Apostoli præcedunt, vel Prophetæ in Novo Testamento aliis anteponuntur, intelliguntur sacrarum literarum interpretes, qvi eô ordine ab Apostolo numerantur*: Et res ipsa docet, post authenticos N. Testamenti Scriptores, Apostolos & Evangelistas, peculiariter sic dictos, non fuisse magis necessarios ac utiles Doctores in Ecclesiâ, qvàm qvi libros Biblicos accuratè explicant: siqvidem in illis voluntas DEI continetur de salute æternâ consequendâ. Jam verò hîc Rom. 12. nulla fit mentio Apostolorum, & à Prophetis initium facit Apostolus. Ergò illos intelligit. Præterea, qvi Prophetæ ad analogiam Scripturæ se referre necesse habent, non sunt illi, qvi futura prædicunt; Ratio, qvia futura in Bibliis non sunt anteà eo modo scripta. At hi Prophetæ se referant ad analogiam fidei, necesse est. E.

Duo objici posse credo: 1. Qvòd differant à Doctoribus, seu διδασκάλοις, qvorum tantùm est explicare sacra. Respondemus, esse petitionem principii. Vide qvæ antè ex Scripturâ de differentiâ Prophetæ & Doctoris sunt allata. Sic habe; Si vis vim vocis hujus attendere, licet dicere, Omnis Propheta est Doctor, id est, publicè docens: Sed non, Omnis Doctor Ecclesiæ est Propheta, seu sacrarum literarum talis interpres, qvi singula prolixè, etiam ad usum polemicum directa tractat. Si verò ita præfractus qvis est, ut nolit qvicqvam cedere, age ita progrediamur: Qvemadmodum erant tùm in initiô Ecclesiæ, inter gentes constituendæ, Apostoli & Evangelistæ, jam pridem autem tales, qvales in initio erant, esse desierunt in plantatis & benè constitutis Ecclesiis; Ita etiam Prophetæ tuo sensu futura prædicentes. Si dicis, sunt tamen, qvi suo loco ac modo Apostolis & Evangelistis succesêre. Gratias, inqvam, pro responsione agimus, & subsumimus. E. Sunt etiam hodiè, qvi certo modo in Prophetarum futura prædicentium, rectiùs tamen

Scri-

Scripturam explicantium sunt suffecti locum, ita ut prædicta jam explicent, qvemadmodum Apostolorum successores Apostolorum scripta saltem conservant.

Alterum ex 1 Cor. 12,10. Ubi ἑρμηνεία seu interpretatio à Prophetiâ distingvitur, & proinde hæc per illam non intelligitur. Respondemus: Discrepat ab ἑρμηνείᾳ non librorum, non Scripturarum, sed γλωσσῶν, seu lingvarum: qvod nobis non contradicit. Non enim dicimus Grammaticos aut Lexicographos esse hos, de qvibus agimus Prophetas. Anteqvam hæc finio, noto duo: 1. Qvod ratione causæ efficientis & personarum, qvibus Prophetia revelatur, hæc sit qvadruplex: (1.) Πνευματικὴ, qvæ in piis à DEO est inhabitante, vel de futuris ad vaticinandum, vel de præteritis ad explicandum, 2. Petr. 1, 20. 21. (2.) οἰκονομικὴ, qvæ etiam à DEO est, sed in malis, ut Bileam, Num. 23. & 24. Caipha, Joh. 11, 50. 51. (3.) Διαβολικὴ, qvæ à Diabolo in impiis vel *ficta*, ut à Zidkiâ, 1. Reg. 22. Elyma Magô, Act. 8. vel *verâ*, qvam tentandi gratia DEUS permittit, Deut. 13, 18. (4.) Φυσικὴ καὶ τεχνικὴ, qvæ ex causis naturalibus & experientiâ, ut Medicorum & Astronomorum, promanat. Deinde notandum, qvòd novi Prophetæ nil habeant subsidii in locis, qvæ producuntur ad ipsorum institutum probandum. Nam 1. est ἀσυλλόγιστον: Christus dedit in primitivâ Ecclesiâ immediatè Prophetas, unum atqve alterum, qvi futura prædicebant & plures Spiritûs Sancti donis miraculosè ornatos, ut potuerint V. Testamentum rectè explicare, cùm anteà non didicerint. Ergò dat hodiè, & præcipuè nunc, dabitq́; deinceps, & qvi futura indicent. 2. Multò minùs seqvitur, si maximè probetur, etiam hodiè Prophetas à Deo mitti, esse illos hos ipsos, qvi se venditant. Ita enim Johannes **von Leiden/ Knipper Dölling/** & reliqvi ex historiâ Monasterienſi notissimi forent veri Prophetæ: qvemadmodum etiam Apostoli, qvos illi numero viginti octo emiserunt in loca vicina; referente Sleidano & Wigando in Anabaptismo. His ita circa primam partem prolixiùs declaratis, Locos Communes brevissimè, & vel tribus verbis tantùm indicabimus.

I. LOC. COMM.

Qvisqve dona à DEO data sibi ad usum Ecclesiæ fideliter conferat.

II. LOC.

II. LOC. COMM.

PRophetæ futura prædicentes, doctrinâ Evangelii jam confirmatâ, ac iis, qvæ mundi finem præcessura sunt, in Scripturâ indicatis, non sunt absolutè necessarii, neqve expectandi. *Habemus Mosen & Prophetas; eos audiamus.*

III. LOC. COMM.

SAcrarum literarum Interpretes boni, in pretio habendi sunt, cùm secundum, inter Legatos DEI in Novo Testamento, locum habeant.

SECUNDA PARS.

POsito jam & determinato subjecto Prophetiæ, hoc est, *Interpretationis Scripturæ dono ornati:* seqvitur prædicatum, qvod etiam idipsum satis arguit, hoc nimirum κατ' ἀναλογίαν τῆς πίστεως. Duo sunt vocabula emphatica, & proinde rectè explicanda: Prius *analogia*, qvod est vocabulum Mathematicum, notans certam rationem, ac proportionem, qvam duæ res inter se habent, & unde aliud qvippiam facilè judicare licet, ut ea est analogia 2, ad 4, qvæ est 3, ad 6, hoc est, subdupla. Posterius nomen πίστεως, qvod qvia dupliciter usurpatur in Scripturâ, 1. de fide Scripturæ, cui creditur; & 2. de fide cordis, qvâ creditur: *qvæstio hîc incidit;* in utrâ significatione vox illa sit hoc loco accipienda? Qvanqvam autem Syrus Interpres de hâc intelligit, dum adjicit, fidei *suæ*, hoc sensu: unusqvisq;, qvi habet Prophetiam, observet donum suum, & pro ratione doni, ad vocationem attendat, ministerium q; suum; tamen rem, cum Luthero vertente, (**so sey sie dem Glauben ähnlich**) & cum omnibus ferè Lutheranis Theologis, sæpissimè de analogiâ Scripturæ, dictum hoc citantibus, rectiùs considerantes, priorem sententiam libenter amplectimur, & ut alibi fides pro sanâ doctrinâ usurpatur, eam hîc qvoqve denotari dicimus. Vide Roman. 1,5. Galat. 1,23. & cap. 3,2. 1. Tim. 4,1: & ita exponimus; si qvis loci alicujus Scripturæ interpretationem adfert, sit ea congrua reliqvis Scripturæ locis; & cum nullo eorum directè, vel verè pugnet. Illa enim sibi semper consentit, tanqvam amussis & Canon omnis sensûs. Estq; admonitio de locis Scripturæ parallelis, diligenter investigandis ac conferendis, ut inter illa appareat vera proportio ac

convenientia. Pertinetq; inprimis ad sacrarum literarum interpretes; deinde etiam ad verbi ministros; & demum ad Theologiæ Studiosos, seu Prophetarum filios.

LOC. COMM. I.

SI Jurisconsulti erubescunt absq; Legibus loqvi; multò magis nos sine Scripturis: & illud, qvod Clemens Alexand. Petro Apostolo tribuit: ἀδὲν ἄτερ γραφῆς, in corde & ore habeamus. Si enim Legati nihil loqvuntur, qvod non est in sui instructione: qvomodo Legati DEI, absqve illâ nomine DEI legantis, aliqvid salvâ proponent conscientiâ. Qvi igitur loqvitur, loqvatur ut elogia DEI, 1. Pet. 4, 11, & qvi refutat, qvasi ex qvâdam locorum Scripturæ coagmentatione facta inter se, sua adstruat, & adversarium refellat, more Pauli Actor. 9, 22. & ὑποτύπωσιν sanorum verborum retineat, Tit. 1, 9. 2. Timoth. 1, 13. & 2, 15. 16. 23. cap. 3, 14.

II. LOC. COMM.

SI omnia ad sacram Scripturam sunt exigenda; illa erit norma, amussis, & regula veritatis, atqve in omnibus controversiis Judex. Errant igitur Pontificii, qvi hoc negant. vide Colloq. Ratisbon. Errant etiam illi, qvi vel raptus Enthusiasticos, vel revelationes extraordinarias jactitant, easq; volunt haberi pro dogmatum suorum norma, ut Anabaptistæ & similes Fanatici.

III. LOC. COMM.

SI ad analogiam fidei, seu Scripturæ revocanda est omnis dicti explicatio, magna in eâ investigandâ reqviritur diligentiâ.

IV. LOC. COMM.

QVando Scriptura dicitur fides: monemur, inter eam & fidem cordis esse debere semper convenientiam maximam. Fides enim hæc nititur verbo, & sine eo est inanis opinio ac figmentum inutile: ut in plerisqve non rectè institutis hominibus, vel in medio Christianorum cœtu videre est, qvi neqve cordis, neq; Scripturæ veram fidem habent.

DOMI-

DOMINICA III. POST EPIPHAN.

Rom. 12. v. 18.

Εἰ δυνατὸν, τὸ ἐξ ὑμῶν, μετὰ πάντων ἀνθρώπων εἰρηνεύοντες.

SI fieri potest, qvantum in vobis est, cum omnibus hominibus in pace viventes.

DAVID, pro suâ pietate, in animo habebat, DEO ædificare templum: sed qvòd multa bella gereret, plurimumq; sangvinis effunderet, prohibebatur hoc pium urgere propositum, 1. Chron. 22, 8. Confer 2. Sam. 7. & 1. Reg. 5, 3. Idq; ad Salomonem, hoc est, pacificum Regem, ut nomine; ita & omine pertinere ostenditur: qvi etiam posteà felicissimè tantum opus incepit & perfecit. Ita hodiè etiamnum, multi spirituales Reges per Christum facti, Apoc. 1, 6. 1. Pet. 2, 9, & in dilecto filio dilecti, Matth. 17. Ephes. 1, 6, hoc est, si nomen interpreteris Davides, non possunt ritè templum DEO ædificare, qvia multis impediti litibus, huic rei non sedulò vacant, & in corde aliis maledicentes, fratrem non diligunt. Salomo autem, hoc est, pacificus Christianus opus hoc insigne perficit; qvando apud ipsum, cui Christus dederit & reliqverit suam pacem, Joh. 14, 27, tota sacra Trinitas divertit, imò mansionem facit, ibid. v. 23. ut in dilecto sibi templo, 1. Cor. 3, 17 & 6, 19, qvod templum inhabitat, & in qvo ambulat, 2. Cor. 6, 16, ex Levit. cap. 26, 12. Tanta igitur bona, qvùm sint promissa, ac dentur pacificis: pacis studium omnibus Christianis debet esse qvàm commendatissimum: ut, dum unum Patrem in cœlis invocant, etiam ceu fratres vivant. Qvod, qvomodo, & qvamdiu possit fieri, Apostolus in hoc Aphorismo docet, Rom. 12, 18: *Si fieri potest, qvantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem colite.* Dictum consideratione dignissimum! cujus partes constituemus duas:

Prima erit, Pacis commendatio.

Altera, Regularum, ad eam rectè servandam, positarum observatio.

PRIMA PARS.

QVæ hactenus à v.9. Apostolus præcepit, hûc spectant demùm, ut Christiana possit servari concordia, ac ut varia ac multa illa membra, de qvibus v.5, sub uno capite & in uno corpore, rectè coalescant, atqve ad unum consspirent. Id autem uno Græco vocabulo, εἰρηνεύοντες nunc complectitur, qvod (ut aliàs dictum) qvasi εἰς ἓν ῥεῖν, id est, ad unum confluere dicitur. Est igitur Apostolicum præceptum mandans hoc: *Pacem colentes.* Cujus ἄρσις & prohibitio qvædam specialis versu seqvente subjicitur: *Non vos ipsos ulciscentes.* Idem ergò hoc est, qvod dicit David Psalm. 34, 13. & ex eo Petrus, 1. Epistola 3, 11, *qvære pacem, & persequere eam*, & qvod Paulus ipse, aliis verbis similibus & rationibus inculcat, Ephes. 4, 3, *Studete servare unitatem Spiritûs per vinculum pacis.*

LOC. COMM. I.

EST hoc verorum Christi discipulorum γνώρισμα: qvòd se invicem sincerè diligant, Johan. 13, 34, &, ut tabulæ in arcâ Noæ, & trabes ac reliqva in templo Salomonis, arctissimè colligati cohæreant, in unâ Dei domô magnâ, seu Ecclesiâ. Ratio autem est, qvam Johannes in primâ suâ Epistolâ toties inculcat, qvòd DEUS sit charitas, & qvòd, qvi ex eo natus, fratrem necessariò diligat; Contrà autem Diabolus est πολεμικός, qvi lites & jurgia serit, cùm ipse neqve DEUM, neqve homines diligat.

II. LOC. COMM.

SI beati sunt pacifici, uti Christus asserit Matth. 5, 9, Deiq; filii; nihil homini pio debet esse prius aut antiqvius, qvàm pacem colere, juxta illud saluberrimum Apostoli monitum: *Pacem sectamini cum omnibus*, Hebr. 12, 14, *prospicientes, ne qva radix amara suppullulans obturbet, & per hanc polluantur multi*, ibidem v. 15. Qvæ autem pacis possit esse commendatio & summa utilitas, declaratur Psal. 133.

SECUNDA PARS.

CÙM autem pax non omnis; sed qvæ in Christo est, hîc intelligatur: age, videamus porrò regulas, in eâ conservandâ necessarias. *Prima* Objectum respicit: *Cum omnibus hominibus*: Non cum Diabolo; qvia, cuicunqve cum hoc pax, brevis & simulata intercedit, is Christianus ac bonus non est, siqvidem tales ipse odit & semper

per oppugnat. Cum hoc ergò ne fœdus ineamus; sed illi fide, 1. Pet. 5,9, firmiter semper resistendum, ut fugiat à nobis, Jacob. 4,6. Cum hominibus autem omnibus, sive amicis, sive inimicis, Matth. 5,44, sive benè, sive malè de nobis meritis, Roman. 12,19. & 20. pax est colenda à Christianis, Christiq; discipulis, idq; notat *Regula secunda*, qvæ Subjectum respicit, & ita habet: *Quantum ad vos attinet, qvi estis jam corporis mystici Christi membra*, supra versu 5. In textu Græco adhûc emphaticoteron explicatur τὸ ἐξ ὑμῶν, *qvodcunqve ex vobis proficiscitur*, **was von euch herrühret/was von euch geschehen kan oder mag/soll alles zum Frieden gerichtet seyn.** Qvomodo Christiani & Christi Discipuli hîc instituuntur, & qvodnam eorum officium, indicatur. Qvia autem, dum illi libenter ex suâ parte *pacem servare studeant*, alii tamen ad bellum conclamant, Psalm. 120,3, *tertia Regula* respicit tandem *Terminum*, qvòusqve se tandem pax extendere debeat: nimirum eam ita servare debemus, ut veritas, qvæ primo loco (Zach. 8,19.) ponitur, non lædatur, εἰ δυνατὸν, *si fieri potest*, **Dann einer kan nicht lenger Friede haben/deñ sein Nachbar wil.** Si qvis igitur vel in statu Ecclesiastico ac puncto Religionis falsam atq; aliam doctrinã adfert, maledicta esto pax, qvæ sinceritatẽ doctrinæ labefactat. (Qvâ de re vide, qvi de syncretismo, cum Calvinianis non instituendo, scripsêre, ex nostrâ parte; Dominum D. Mylium, Hütterum, Menzerum.) Vel si in statu Politico qvis vi nostra nobis rapit; aut famam lædit, non tenemur nostrum jus non persequi; aut si in statu Oeconomico, mala sit uxor, liberi, familia, severè admoneantur, etiamsi disidia inde oriantur. Hoc est, si fieri potest juxta DEI mandatum, qvod omnibus aliis rebus anteponendum.

LOC. COMM. I.

UT Christus fuit erga omnes mitis, Matth. 11: ita & nos erga omnes simus placidi; qvoniam beati mites, Matth. 5. Sic Josua & Caleb sedantes populum, intrant in terram sanctam: Reliqvi seditiosi excluduntur.

II. LOC. COMM.

SUfficit bonæ conscientiæ testimonium, si, dum officii opera subi-

mus, malè audimus. Non enim tenemur præstare culpam alienam. Ita audiit *Moses*, qvòd voluerit morti tradere populum in deserto, qvem ex servitute eduxerat. Ita appellabatur *Elias* Israëlis perturbator, cui pacem restitutum venerat. Sic *Christus ipse*, pacis author, & per qvem omnis regnat magistratus, seditionis accusabatur. Sic *Apostoli*, seditionis hinc inde accusati, omnes, tandem præclarâ sustentati conscientiâ, in malis triumphant, 1. Petr. 2,19. Actor. 4. & 5. cap. Rom. 5,3.

III. Loc. Comm.

Cùm undiqve coangustamur, cogitemus: fieri non posse, ut habeamus pacem in mundo, Joh.16. Qvamdiu Israëlitæ erant in Ægypto, servitutis jugo premebantur: ita semper filiis Dei suus est Pharao. Dum nondum regnabat Salomon, bella erant gerenda Israëlitis cum hostibus vicinis: Illo autem sedente ad clavum Reipublicæ, omnes inimici erant subjugati, hostes domiti, & alta in regno qvies. Sic etiam, dum noster cœlestis Salomon Christus Matth. 12, nondum in regno gloriæ in cœlis omnia plenè administrat, in hoc regno gratiæ, semper sunt ipsius civibus hostes: Post hunc mundum verò & regnum gratiæ jam finitum, illi omnes erunt subjecti, & Christo & Christianis, 1. Cor. 15,24.

DOMINICA IV. POST EPIPHAN.

Rom. 13. vers. 8.

Μηδενὶ μηδὲν ὀφείλετε, εἰ μὴ τὸν ἀγαπᾶν ἀλλήλους. ὁ γὰρ ἀγαπῶν τὸν ἕτερον, νόμον πεπλήρωκε.

NEmini qvicqvam debeatis, nisi hoc, ut invicem diligatis. Nam qvi diligit alterum, Legem explevit

GEnes. 14. Abraham à pugnâ reversus, & à Melchizedeko benedictus, Regi Sodomæ suos poscenti subditos, ita respondet: *Neqve filum, neqve corrigiam calceamenti accipiam, aut qvicqvam de tuo.* Homo pius, qvando pugnat contra Diabolum ejus

ejus ſuggeſtionibus reſiſtendo; à Rege Juſtitiæ JESU Chriſto, qvi Jerem.23, noſtra eſt Juſtitia, ei benedicitur, & nihil qvidqvam cupit, qvod eſt alterius: ut nemini qvidqvam debeat: aut nemo dicere poſſit, ſe ſuum ditâſſe proximum: atqve ita Juſtitiæ deditus eſt. Ut tamen Abraham manebat bonus illius Regis vicinus: Ita etiam noſtrum eſt omnia humanitatis officia proximo præſtare; qvia hæc debemus homines hominibus. Omnes aſſeres ad tabernaculum Dei parati ita erant fabrefacti, ut unus cum altero benè congruerit, Exod.26. Et illi homines, qvibus benè cum aliis convenit, qviq; aliis charitatis glutine adhærent, apti ſunt ad ſpirituale Dei templum ædificandum. Vide Epheſ.2. Ut verò diſtorta ligna & lapides inæqvales ædificio non benè poſſunt inſeri: ſic neqve homines qvi Davi inſtar omnia turbant, manent Eccleſiæ vera membra. Hæc duo Apoſtolus Rom.13,8, inculcat. Conſiderari ibi poſſunt hæc duo:

I. Juſtitiæ inculcatio.
II. Charitatis commendatio.

Dum enim amorem præſtamus, qvem debemus, legem ſervamus, & ſecundam tabulam implemus. Domine fac, ambulemus integrè, exerceamus juſtitiam, loqvamur veritatem ex animo, & proximum noſtrum damno non afficiamus, Pſalm.15,2.3, ut ita in tuo tabernaculo rectè commorari, & in tuo monte, ibid. v.1. rectè habitare qveamus.

PARS PRIMA.

EGerat Apoſtolus de honore, à ſubditis magiſtratui exhibendo, ex ordinatione DEI, & monuerat, eſſe æqvo animo portanda illa onera, qvæ ille rectè imponit, v.7. Qvia autem hoc eſt juſtitiæ, ſuum unicuiqve tribuere, eam hâc occaſione Apoſtolus porrò ſuis auditoribus commendat. *Date* & vos *ſuum cuiqve*, & nemini qvidqvam debete: nemini, qvod ipſi debetur, detrahite, aut apud vos injuſtè detinete, ut in malis nominibus ſive debitis fieri ſolet, & ſolvite, qvæ lex flagitat, qvantum poteſtis. Scitote tamen, qvando omnia hæc, ut juſtos decet, ſingulis tribueritis, vos adhûc unum debere omnibus, nempè: *ut diligatis vos invicem.* Ubi notandum: 1. *Qvinam* diligere debeant, nempè: omnes qvos Apoſtolus, imò

Lex

Lex ipsa alloqvitur, id est, cuncti nullo excepto. 2. *Qvos* verò? etiam omnes, tàm inimicos, qvàm amicos, Matth.5. ubi vide parabolam de Samaritano & Judæo, qvi inciderat in latrones, Luc.10. 3. *Qvando & ubi?* tùm, cùm proximus nostrâ ope eget. 4. *Qvomodo?* non ore; sed opere, 1.Joh.3,18, qvemadmodum Christus Christianis exemplum hoc imitandum reliqvit, 1.Petr.2. Joh.13. Is enim pro omnibus mortuus est, etiam pro inimicis, 2.Cor.5. Rom.5.

LOC. COMM. I.

EGregia est, Prophetæ Samuelis sibi benè conscii, confidentia ista, 1.Sam.12, qvando omnibus dicit: *Testificamini, cujus bovem aut asinum acceperim.* Imitanda verò cuivis Christiano in suo officio, ut nemo, qvòd à nobis non sit solutum, sibi conqveri possit, habeat. Verùm multis idem contingit, qvod malis debitoribus versurâ solventibus, vel debita cumulantibus, qvi non tantùm non dant operam, ut nihil debeant; sed hoc unicè agunt, ut qvotidiè debita augeant. Qvales erant Israëlitæ, de qvibus legere est 2.Chronic.28,10. & qvibus rectè applicari potest parabola de servo debente Domino decem talenta, Matth.18.

II. LOC. COMM.

MUlti existimant, abundè sufficere: si amicis referant gratiam, & diligant eos, à qvibus amantur, Matth.5. Non ita Apostolus: *Nemini*, inqvit, *qvicqvam debeatis: Superiori exhibete honorem; pari & inferiori amorem; omnibus debita officia.* *Superiores* autem sunt Doctores verbi; qvibus debemus obedientiam, Hebr.13, qvam pauci solvunt; qvemadmodum exemplo ipsius Christi, Prophetarum, Apostolorumq; liqvet. *Mosen* vide; qvoties contra eum insurgebant Israëlitæ, à DEO per ipsum salvati? *Jeremiam* adspice: de futuro malo fideliter prædicebat; verùm malam reportabat gratiam. A *Christo* ipso optimè concionante, pleriqve recedebant, Johan.6. *Johannem* Herodes occidebat, *Paulum* nonnulli scurram appellabant; ut ne qvid animo sit novum, si hodiè pleriqve homines & auditores obedientiam illam semper debeant, & nunqvam exhibeant. Ita se res habet *in Choro*. *In foro* debitores invenies plurimos. Sunt, qvi suum Magistratum contemnunt, ut multi Israëlitarum Saulem; Nabal Davidem. Sunt, qvi eundem oppugnant: ut Davidem

dem Absalon cum suis. Sunt, qvi eundem ludificantur: ut Succothani & cives Penuel Gideonem, Jud.8. *In thoro*, filii parentibus debent omnia sua: Multi tamen parùm de solutione suâ sunt solliciti. Vide Chamum & Chanaanem, qvomodo illi debita debitis addant, suum parentem ludificantes, Genes.9. Videantur filii Jacobi, Ruben, Simeon, Levi, Gen.34.35. Filii Heli, 1.Sam.2. Etiam parentes qvandoqve liberos non diligunt: ut Laban, qvasi extraneas suas habebat filias, Genes.31. Rursum videas maritum uxorem crudeliter tractantem, Mal.2,14.16. præcipuè, si qvæ Abigail nupta est malo Nabali, 1.Sam.25; vel contrà videas, hanc malè ei obedientem, vel imperantem, ut Jesabel Achabi, 1.Reg.21. aut illudentem, ut Jobi conjux, Jobi 2. Sunt Domini, qvi famulos suos nimis duriter tractant, Syr.4,35. Ephes.6,9. Sunt contrà famuli intractabiles, negligentes, mali, perfidi. Vide Zibam, Judam, Gehasi. Qvid debeant hi omnes, catalogum inspice, Ephes.5,22. & 6,1. Colos. 3,18, usqve ad finem. Tit.2,1. usqve ad v.11. 1.Petr.2,18. & cap.3. v.1. & 7. Deniqve, ne illis, qvæ ex naturæ Lege nota sunt, nimis diu immoremur debitis, illa, qvæ Lex Dei flagitat, & qvæ proximo suo debet Christianus, Matth.5, 46.47. Luc.6,34, cogita, nempe: vel inimico egenti nostrâ operâ, etiam tum, qvando nullam videmus retributionem, succurrere. Qvæ officia charitatis Christianæ, qvi non solvit, debitum suum hoc majus reddit. Judæis qvidem DEUS permiserat, ut extraneas gentes Chananæas exitio destinatas usurâ exactâ consumerent, Deut.23,19.20, non autem à fratribus eam acciperent. Apud Christianos non valet ista distinctio: sunt enim omnes homines eorum fratres, ratione creationis, Mal.2,10. & Græcè Apostolus dicit emphaticè μηδενὶ μηδὲν ὀφείλετε.

III. LOC. COMM.

CHristianos autem hoc decere dico, non tantùm, qvia Lex Mosis præcepit: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, Levit. 19, 18. qvæ adhûc nos obligat, qvod ad filialem obedientiam; verùm etiam, qvia Christus jam moriturus hoc præceptum inculcavit novum, ut diligerent se invicem, Joh.13,34. *Novum:* non qvod anteà non erat auditum & datum, 1.Johan. 2. v. 7. sed, qvod non cum hoc exemplo propositum, & ex eo potissimùm inculcatum. Unde seqvitur:

qvemadmodum dilexi vos, nempe moriendo, & omnis generis mala omnium causâ perferendo. Jam reliqvi vobis ὑπογραμμὸν 1.Petr. 2,21, ut insistatis meis vestigiis; Et qvemadmodum ego dilexi inimicos, Rom.5: ita & vos cuicunqve proximo summum declaretis amorem; Neqve id excusat, qvòd alii hoc non faciant; aut qvòd ille, vel hic malus est; aut te non diligat: Qvid hoc ad te, qvando alius non solvit suum debitum? Tu tamen, ne conjiciaris in carcerem, reddas, qvod debes. Israëlitæ illi, qvibus cor sapiebat, tantùm hoc agebant; qvomodo ipsi, impetratâ abeundi potestate, ex captivitate in terram sanctam abire possent, de reliqvis, qvi nolebant collum servitutis jugo subtrahere, minùs laborabant: Sic etiam tu te respice, & qvid te deceat. *Nam unusqvisqve suum onus feret*, Gal.6. v.1.4.5. *Purpura*, inqvit Chrysostomus, *olim notabat Regem*: Charitas vera, & non fucata, notat Christianum Regem à Jesu factum, Apocal.1, & cœli futurum hæredem, Matth.5,48. Hæc est lampas ardens, ex oleo fidei accensa, qvam præ se ferunt omnes, qvi cum Christo ad nuptias intromittuntur, Matth. 25,7.

SECUNDA PARS.

GIdeon suis militibus præcipiebat, ita facerent, ut ipsum videbant facere. Is autem ferens facem procedebat in hostem; ita & reliqvi. Christus itidem, ut se seqvamur, mandat. Is prætulit ardentem charitatis facem; nos, ne illa in nobis extingvatur, caveamus. Si qvi enim tales sunt, cùm venit Sponsus, non intromittuntur: Contrà qvi eam ostentant, ut notam fidei ardentis interius, in æterna tabernacula recipiuntur. Paulus, hoc loco, illam ita commendat: *Qvi diligit alterum, Legem* (secundæ Tabulæ puta, siqvidem ex eâ deinceps citat pleraqve præcepta, & summam ejus ponit; confer Matth. 22, 39. Galat. 5, 14.) *implevit*. Qvid ita dices? Ergò Apostolus jam Pontificiis patrocinatur? Ita colligitur: *Qvi Legem implet, salvatur*; *Qvi alium diligit, Legem implet*. Ergò &c. Bona verba qvæso. Non dicitur, qvòd propter illud diligere salvetur: (si enim qvæstio est de eo, ob qvod in conspectu Dei justificetur & salvetur homo, non nisi perfecta & abundans Christi justitia à Paulo notatur:) sed qvòd ille, qvi salvetur, diligat alterum, & qvi hoc facit, Legem impleat imperfectè & inchoativè:

tivè: qvæ impletio vitam æternam non promeretur; sed tantùm est nota verè fidelium illam hæreditario jure possessurorum. Atqve ita dicitur; qvibus detur vita æterna; non propter qvid. Nam salvantur; non turbatores Reipublicæ; non odia & lites sectantes: Sed qvi diligunt proximum. Siqvidem hæc est vera nota Discipulorum verorum Christi, Johan.25.

Loc. Comm. I.

Meritò dicit Salvator: Præceptum suum non esse grave, 1. Johan.5, sed leve onus, Matth.11,30, qvia jubet nos diligere Deum & proximum. Et qvidem non rigidè id exigit, qvod Lex præcipit; sed si qvid imperfectionis adest, suâ perfectione tegit. Notandum erit, duplex debitum in Scripturâ notari: 1. Rigidum *solutionis & satisfactionis*, idq; Matth.18,34, à nullo homine; sed à solo Christo exsolutum sangvinis sui pretioso λύτρῳ, Psal.69,5. 2. Aliud est *obedientiæ & gratitudinis*: ad qvod obligati, Luc.17,13. 1.Johan.4,11. Rom. 15,27, omnes Christiani. Illud nobis condonatur, imò donatur, & imputatur à Christo solutio. Hoc nunqvam tollitur, ut ita maneat Dei gratia; nec tamen detur justificatis vivendi licentia.

II. Loc. Comm.

Qvando dicit Apostolus: *Qvi diligit alterum, Legem implevit* πεπλήρωκε, id innuit, qvod anteà dictum, scilicet, eum jam gratis esse justificatum, & in Christo Legi solvisse, *qvi venit, ut Legem impleret*, Matth. 5: Non autem dicit, Legem implet, vel implebit, ut ita dilectio sit proprius fructus & effectus verè justificati. Qvod si ita est, qvàm pauci hodiè erunt verè renati & justificati, id est: tales, qvi illud donum non amisêre suâ culpâ, ut ille immisericors servus, Matth.18, qvia pauci alterum diligunt. Vide non tantùm publicum in bellis; sed etiam privatum in cujusvis generis injuriis, odium; & qvid sit concludendum, noveris, nempe id, qvod Salvator dixerit: *Tum instare mundi finem, qvando dilectio in multorum animis refrixit*, Matth. 24. *Deus autem dilectionis & pacis sit nobiscum*, 2.Cor.13,11, *ut nostra fides per dilectionem sit efficax*, Gal.5,6, & debito nostro soluto in terris; olim triumphemus in cœlis,

Amen.

DOMINICA V. POST EPIPHAN.

Coloss. 3. vers. 16.

Ὁ λόγος τοῦ Χριστοῦ ἐνοικείτω ἐν ὑμῖν πλουσίως, ἐν πάσῃ σοφίᾳ: διδάσκοντες καὶ νουθετοῦντες ἑαυτοὺς ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς, ἐν χάριτι ᾄδοντες ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν τῷ Κυρίῳ.

SErmo Christi inhabitet in vobis opulentè cum omni sapientiâ: doceteq; & commonete vos invicem cantionibus & laudibus & cantilenis spiritualibus, cum gratiâ canentes in corde vestro Domino.

NUmer. 35. Etsi Levitæ omnes in templo Hierosolymitano inserviebant potissimùm per vices, qvemadmodum declaratur Num. 1, 49, 50. c. 3, 1. Chron. 24, 1. Luc. 1, 15, tamen, ut tantò meliùs possent hinc inde docere populum, per totam terram, & omnes tribus erant in Judæa distributi per civitates 48: inter qvas erant sex asyla, Num. 35. Multò magis in N. T. (qvò etiam illa umbra sine dubio referebatur) qvamvis omnes ministri verbi habeant conciones, & alia munia publicè obeant, etiam pro populo suo cum Christo, & per eum offerentes preces, ut illi Levitæ sacrificia, Psal. 141. 2. Apoc. 5, 8, & cap. 8, 3. tamen, ut etiam privatim hinc inde suos moneant, in primâ Ecclesiâ hinc inde eos obambulare, & posteà visere sæpè suas oves jussit Deus, Joh. 10. Act. 20, 28. Ut autem ibi Levitis libenter istas urbes Israëlitæ concedebant: ita hodiè monentur auditores, ut suis Doctoribus & Ductoribus obediant, Hebr. 13, 17: Ita demùm futurum est, ut habeant verum in omnibus malis asylum, nempe: ipsum cœlum. Hoc ipsum est, qvod Paulus Col. 3, 16, monet: Videant, ut sermo Christi habitet copiosè & opulenter inter eos. Videamus in eo dicto Partes duas:

Prior erit, Præcipuè de publicô Doctoris Evangelii præconiô.

Posterior, de privatô cujusq; auditoris exercitiô.

JESU Christe, Rex ac Doctor Ecclesiæ, Deut. 18, ubi tu doces,

ac

ac ducis, non connivent oculi videntium, sed auscultant aures audientium, animus inconsideratorum intelligit scientiam, & lingva balborum expeditè loqvitur verba explanata, Esa. 32. v. 3. & 4. Doce nos viam tuam, ut pergamus in veritate tuâ: aduna animum nostrum ad timendum nomen tuum, Psal. 68, 11.

PARS PRIMA.

VErbum DEI conferri rectè potest, non tantùm cum semine, Lucæ 8; sed etiam cum farinâ & pane, qvô hominis anima satiatur, Amos 8, 11. Qvod cùm ita sit, historiam, qvæ extat 1. Reg. 17, 10, ita ad nostrum usum conferemus. Vidua jussu DEI excipit Eliam: tùm farina cadi, qvæ tantùm erat volæ unius, & oleum, qvod erat pauxillulum, non consumebatur; verùm indies crescebat, ut ipsa cum filio & Prophetâ inde possent sustentari tempore penuriæ. Sic Ecclesia, si Christum verum Eliam, ejusq; ministros veros libenter susscipit, notitia verbi & parva donorum copia, qvæ ipsi adhûc restat ejusq; filiis, ita crescit, ut nunqvam deficiat; sed per hujus vitæ miseriam duret, in vitæ æternæ gloriam. Habenti enim dabitur, & ei, qvi non habet suâ culpâ, auferetur, Luc. 8, 18, & cap. 19, 26. Et qvi biberit aqvam, qvam dat Christus, non sitit in æternum; sed fiet in ipso fons aqvæ salientis in vitam æternam, Johan. 4, 14. Horsum invitat Apostolus, postqvam dixerat vers. 15: *Pax illa DEI* βραβευέτω, *moderetur & gubernet omnia*, (velut certaminis præses, ostenso & ritè collato præmio in cordibus vestris,) *ad qvam vocati estis*. Medium hujus præmii ritè consequendi est divini verbi diligens meditatio & observatio: Unde oritur fides per charitatem efficax. Proinde *sermo Christi*, qvem ipse non tantùm docuit in Judæâ, Matth. 13, 37, ut Minister Circumcisionis, Rom. 15, 8; verùm etiam, qvem per Apostolos suos eorumq; successores prædicandum, Luc. 8, 11. Marc. 4, 14, & per suos Evangelistas ac Apostolos consignandum curavit, 2. Petr. 1, 19. Apocalyps. 1, 3; ut λόγος τȣ̃ Χριστȣ̃ idem sit, hoc loco: qvod λόγος περὶ τȣ̃ Χριστȣ̃: sermo non ex majorum traditionibus acceptus, Marc. 7, 3. 7. 13. non ex proprio cerebro confictus, 2. Petr. 1, 21; sed verè DEI verbum, 1. Thessal. 2, 13, *inhabitet*, ἐνοικείτω, domicilium constituat; non sedibus incertis velut vagetur: sed sedem fixam in cordibus

habeat, inhabitet *in vobis*, auditores, non in nobis ministris tantùm; ut fide implicitâ putetis vos salvatum iri. Neqve credatis sufficere, si parum teneatis tantùm de præcipuis Christianæ doctrinæ capitibus. Habitet in vobis *copiosè πλουσίως*: ut sitis divites, & qvidem in omni sapientiâ, ad agnoscendam DEI sapientiam; qvæ est varia qvidem Ephes. 3, 20, ratione gubernationis; sed certa & perspicua, ratione revelationis in Scripturâ, Psalm. 19. Cujus non unam aut alteram partem cognoscere; sed totam rimari ac discere anniti meritò debetis, & qvidem sapienter, ut posſitis *ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον*, 2. Timoth. 2, 15.

LOC. COMM. I.

QVemadmodum omnis vera amicitia & charitas Christianorum inde oritur, qvòd sint Christi discipuli, ejusq; sermonem observent, ac semper in recenti memoriâ habeant illud novum præceptum, ut diligant se invicem, Joh. 13, 14, 15. Ita contrà omnis discordia ac perturbatio, tàm publica, qvàm privata, inde provenit, qvòd homines DEI verbum non meditantur, vel in minis legalibus, vel Evangelicis promissionibus. Hoc enim si fieret, ibi pœnæ multitudo & gravitas; hîc præmii magnitudo ac svavitas, à tàm pravo incepto retraheret. Vide Cainum monitis salutaribus non dantem locum, Genes. 4. Saulem verba Jehovæ spernentem, 1. Samuel. 13. & 15. Ille fratrem; hic generum odio habebat, & uterqve in suo odio peribat. Contra Abrahamum aspice Lotho cedentem, Gen. 13. Davidem Sauli parcentem, 1. Sam. 24. & 26. Uterqve pacificus juxta promissum Christi Matth. 5: *Beati pacifici & mites*, in suâ patientiâ & charitate salvabatur. Pax igitur DEI sit semper certaminis & cursûs nostræ vitæ præses atqve arbiter: sic præmium auferemus, & metam feliciter attingemus. Salomon ex gentibus servos constituebat; ex Israëlitis, qvi erant viri militares, præfectos, 2. Chronic. 8: Ita Christus ex illis, qvi nolunt esse veri Christiani, servos facit; contrà qvi fide sunt veri Israëlitæ, Dominos cœli efficit.

II. LOC COMM.

NUlla secta aut hæresis est, qvæ non sermonem habeat, aut qvæ non Biblia sacra prosecitet: Verùm, dum non in sano sensu unumqvodqve explicat aut allegat, sermonem Christi non habet.

Potest

Potest hîc dici, de variis pro tempore natis & notis sectis, & ostendi, qvemadmodum sermonem Christi pervertant; *Pontificii*, Matth. 16, 18: *Calviniani* verba Cœnæ: *Photiniani* dicta, qvæ agunt de Christi divinitate, Joh. 1. Roman. 9: *Weigeliani*, 2. Cor. 3. *Novi qvidam Prophetæ*, Esa. 11. &c. Inter hos, non est sermo Christi, sed alicujus Antichristi. De qvibus omnibus graviter Apostolus: *Si qvis aliud Evangelium attulerit, præter id, qvod prædicavimus vobis, sit anathema*, Gal. 1, 8. & 9. In bellis, qvi non novit verum symbolum ab Imperatore datum, occiditur: Sic qvi non servat Christi Domini exercituum sermonem, æternùm moritur, Joh. 8.

III. Loc. Comm.

Multi autem cum gaudio sermonem illum suscipiunt: at radices non habent, eumq; citò amittunt, Luc. 8. Contra hos valet seqvens verbum: Ἐνοικέτω ἐν ὑμῖν, *habitet in vobis*. Demus operam, ut firmum ei paremus domicilium, non tantùm concedamus transitum: Sunamitis Elisæo fecit cœnaculum, qvo divertat adveniens, 2. Reg. 4, 10: Nos hoc agamus, ut apud nos Christus (de qvo unusqvisqve Christianus verè dicere potest אֵלִי יְשׁוּעָה Deus meus, qvi est salus,) potiùs paret sibi in corde nostro domicilium, dum per fidem illud inhabitaturum se promisit, Joh. 14. Gal. 2. Ephes. 3. Salomone regnum Israëlitarum obtinente, omnia florebant in Judæâ, & cuncta optimè procedebant: Hoc Principe pacis apud nos commorante, omnia mala fugient, omnia bona aderunt. Hoc igitur unum est necessarium, & nobis cum Mariâ procurandum, Luc. 10, ut Dominus apud nos maneat: ita non moriemur ipsi in æternum, Johan. 11, 8.

IV. Loc. Comm.

At nonnulli putant sufficere, si tantùm unam aut alteram Bibliorum paginam percurrant, vel unam atqve alteram concionem audiant per annum. Non ita! Sermo Christi *copiosè inhabitet & opulenter*, ut sitis divites ac locupletes, ut tùm verè & rectè, qvod falsò & malè de terrenis usurpavit bonis ille epulo, positis dicere, qvando bona vestri cordis terra, à Deo subacta, multum tulit fructuum: Anima habes bona multa, in æternum reposita, reqviesce nunc, Psal. 116. ede panem vitæ, Joh. 6, bibe, Joh. 4, & lætare, Psal. 16,

circa

circa finem. Is enim verè dives est, cui nihil qvidqvam deest. Talis autem est iste, qvi DEUM omnia possidentem possidet, Psal. 73.

V. LOC. COMM.

SEd qvia *Non minor est virtus, qvàm qværere, parta tueri.* Ratio & modus ostenditur: *In omni sapientiâ.* Verbum DEI, tanqvam fontem inexhaustum semper adeamus, ex illo omnia hauriamus. Nos sumus naturâ insipientes, Galat. 3. Luc. 24. At sermo DEI sapientiam adfert imperito, Psal. 19, 8. Ad Salomonem accedebat Regina Sabæ, auditum ejus sapientiam, 1 Reg. 10. Nos ad Christum, majorem Salomone, Matth. 12, qvippe qvi est ipsa Patris, increata, æterna & substantialis sapientia, Proverb. 8. Confer Matth. 11, 29. 1. Cor. 1, 24. & Luc. 11, 49. & Matth. 23, 34. Hæc verò pleraq; omnia, de qvibus hactenus dictum, potissimùm ad publicum Evangelii præconium spectant, cùm ex eo, Laici ἀγράμματοι, qvi Biblia ipsi legere neqveunt, sermonis Christi sibi comparent divitias. Qvod si ita est, inprimis Doctores verbi hîc admonentur, ut diligenter, tempestivè ac intempestivè instent, nullamq; occasionem intermittant, dummodò auditorum suorum profectum promoveant.

SECUNDA PARS.

HInc secundò, suâ sponte divinâ benedicente gratiâ, seqvetur *uniuscujusqve auditoris pium exercitium.* Da animam in corpore: actiones certas statim edet; Da ignem: calor non aberit; Da verbi auditum, & fidem: bona opera statim videbis, alia interna, alia externa. Illa manent in corde; hæc sunt in ore ac opere. Illa autem hoc loco intelligi, indicio est; qvod sub finem versûs dicitur: *In corde vestro.* Unde sine causâ, & non satis benè *Beza* vocem *mutuò*, textui inseruit, qvæ neqve in Græco authentico, neq; in Syriacâ versione, neqve in Lutheri Germanicâ apparet. Neqve satis probatur eo, qvòd vox Græca qvandoqve, puta Ephes. 4, 32, ita accipiatur. A particulari enim concludit, qvi rectiùs conferre debebat locum Ephes. 5, 19, ubi qvod ἐν καρδίᾳ vertit, serio cordis affectu, id non evincit: siqvidem petit principium; cùm potiùs illud esset ἐκ τῆς καρδίας. Et particulare etiam est, qvod qvi canit laudatq; DEUM, id faciat externâ voce semper. Psalmi enim ipsi

Da-

Davidis diversum testantur. Sed his missis textum videamus. *Docentes & instruentes vos ipsos.* Διδασκαλία est, qvando verus sensus Scripturæ, collatis aliis similibus locis, investigatur, & vel ad veri confirmationem & falsi destructionem adhibetur; νουθεσία, qvando ad mores pravos corrigendos, & bonos promovendos, ex sensu utiles observationes eruuntur. Qvùm verò hoc possit fieri vel in nobis, vel in proximo, idq; privatim, aut publicè: hoc loco, de primo modo tantùm agit Apostolus, & ostendit, qvomodo hoc fiat, & qvibus mediis, nempe: 1. Psalmis: qvos Hebræi מזמורים appellant, qvi sunt cantiones sacræ variis argumentis scriptæ. 2. Hymnis: qvos illi תהלים vocant, & Dei, rerumq; divinarum laudes continent. 3. Odis spiritualibus: qvas illi שירים nuncupant, & cantica qvædam excellentiora ore canenda potissimùm significant, *canentes Domino in*, vel *cum gratiâ*, ἐν χάριτι, ut jucunda sint vestra cantica, **daß es eine Art habe/** (qvod est in nostrâ versione Germanicâ ad præcedens nomen positum, **mit Geistlichen lieblichen Liedern / das ist/ trostlichen/ holdseligen/ gnadenreichen/** in margine,) sensu ferè eodem; *Canentes in corde vestro, Domino nostro* Jesu Christo, vestro Redemptori, ex captivitate vos liberanti; Salvatori, ex omnibus malis vos eripienti.

Loc. Comm. I.

NOn tantùm potest homo ab altero doceri per concionem; verùm etiam per verbi divini lectionem, ac seriam meditationem, seipsum ad salutem erudire, qvatenùs rectè hoc medium à Deo ordinatum usurpat. Unde beatus prædicatur, qvi legit sermones Prophetiæ, Apocal. 1,3, & qvi meditatur in Lege Domini die ac nocte, Psal. 1,3. qvod, cum Domino *Menzero*, istis est opponendum; qvi dicunt: Rom. 10: *Fides est ex auditu.* E. tantùm ex prædicato verbo: qvia Scriptura lecta etiam diligenter fidem gignit, Johan. 20,21. Et qvoties verbum Dei lego, toties mihi loqventem per Mosen & Apostolos Deum audire videor. Atqve ita auditus à lectione non excluditur. Et satis expressa sunt Apostoli verba: *Docentes & instruentes vos ipsos.* Absit tamen, ut cum Enthusiastis, Weigelianis & aliis, publicum tollamus verbi audiendi & prædicandi exercitium, præsertim diebus Dominicis, de qvibus expressum in Lege, ratione

moralis ejus, qvod est in præcepto tertio, mandatum, nempe: singulis septimanis, esse unum de septem diebus cultui divino publico tribuendum, qvi jam est, ex Ecclesiæ instituto, dies Dominicus.

II. LOC. COMM.

MAgna hæc est Psalterii Davidis & aliorum piorum canticorum laus, qvòd hominem in pietate excitent torpentem; revocent errantem; solentur afflictum; hæreticum teneant convictum. Illa enim omnia, sub nomine διδασκαλίας & νουθεσίας comprehenduntur. Qvod si verò tantam vim habent Psalmi in corde decantati; majorem sanè habebunt, si publicè à multis in templis cum devotione canantur, præcipuè in lingvâ Laicis intellectâ, 1. Cor. 14. Qvod est contra Pontificios, peragentes pleraq; idiomate Latino, nec permittentes Laicis cantica, à viris DEI composita in Germanico idiomate.

III. LOC. COMM.

MOdus meditandi sacra hîc indicatur. 1. Finis esto hic: Non, ut ad inanem ostentationem nostrum dirigamus studium tantùm ad omnia turbanda per inutiles disputationes; sed, ut nos ipsos erudiamus, ac Dominum laudemus, canentes &c. 2. Materia indicatur ex ipso verbo DEI, qvale sunt Psalmi Davidis, Scripta Prophetarum & Apostolorum, & si qva ex illis composita. Non Scholasticorum nugæ canoræ, aut aliorum argutiæ. 3. Forma, fiat cum gratiâ; ita, ut DEO & hominibus intelligentibus nos probemus. Abstinendum igitur à cantilenis obscœnis. 4. Instrumentum; est ipsum cor potissimùm: ut non sint in labiis nata, sed ex corde ipso profecta, qvæ meditamur & proferimus. Hîc jam reprehendatur multorum socordia, qvi nihil agunt somnolentiùs, qvàm sacras res: nihil tractant minori cum curâ, qvàm DEI verbum. Qvando Judæi celebrabant sua Sabbata, ab omni opere externo cogebantur prorsus abstinere. Nos qvando volumus parare DEO domicilium nostri cordis, in qvo svaviter qviescat, ab aliis mundanis curis & negotiis vacare nos oportet. Sic futurum est, ut postqvam hîc DEO cecinimus, sæpè in nostrâ afflictione, Psal. 34, 2, ipsum æternùm celebremus in perpetuâ refectione, Luc. 16.

Apocal. 7. Ita fiat Domine &c.

Amen.

DOMI-

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

1. Corinth. 10. vers. 5.

Ἀλλ' οὐκ ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν εὐδόκησεν ὁ Θεὸς· κατεστρώθησαν γὰρ ἐν τῇ ἐρήμῳ.

SEd plures illorum non approbavit DEUS: proſtrati ſunt enim in deſerto.

SIſera coram hoſte fugiens, ad tentorium Jahel uxoris Heberis confugit; illa prodit obviam; fugitivum recipit, & qvùm aqvam ſaltem dari ſibi peteret, lac ei præbet. Ipſe autem ſomno ſepultus, ab eâ poſteâ occiditur, Jud. 4, 17, & ſeqq. Ita omnes homines in Eccleſiâ nati, ut & cæteri iræ filii, Epheſ. 2, coram hoſte Satanâ depoſcente ipſos ad æternum exitium, fugientes, ſe, velut ad aſylum, conferunt ad tentorium Eccleſiæ, qvæ verè eſt Jaël, יָעֵל hoc eſt, talis qvæ proſit, magnamq́; utilitatem præbeat obedientibus, dum æterno gaudio illos beat, qvæ eſt uxor ac ſponſa, חָבֵר ſeu ſocii ac fratris noſtri JESU Chriſti, Pſal. 45. Epheſ. 5. Ebr. 2, 14, & 16. dum ille Sponſus nullum venientem ad ſe rejicit, Joh. 6, prodit obviam etiam de ſummo cœlo deſcendens, carnemq́; noſtram induens, Rex ac Sponſus Eccleſiæ recipit in fœdus, in Baptiſmo; ac lacte Evangelii, qvaſi modò genitos nutrit, 1. Pet. 2. 1. Corinth. 3. Ebr. 5, 13. Imò ſæpè à ſe recedentibus rurſus dat omnis generis bona, Act. 14, 16, ventremq́; implet, Pſal. 17, ſi qvâ ratione hæc ipſius bonitas, ad pœnitentiam poſſit eos adducere, Rom. 2, 4. Qvùm autem illi in ſuis vitiis prorſus indormiſcunt, excitariq́; nolunt à ſomno vitiorum, Epheſ. 5, 14. Rom. 13, 11, ingratos morti æternæ tradit, etiam illos, qvibus maxima contulerat beneficia, ſicut patet exemplo Iſraëlitarum, qvod probè notandum: unde ab Apoſtolo multis modis, 1. Cor. 10, inculcatur. Nos inde verſum qvintum videbimus, & in eo hæc duo conſiderabimus:

I. DEI tremendam indignationem.

II. Iſraëlitarum horrendam ſublationem.

PRIMA PARS.

QVod Loto ex Sodomâ exeunti dicitur, Genes. 19, 17: *Eripe te ad vitam tuam, nec intuere post te; neqve consistas in totâ hâc planitie; ad montem illum fuga, eripe te, ne perimaris:* Omnibus Christianis dictum putemus. Illi enim à Christo suo Redemptore, ex hujus mundi tenebris ac ruinâ educuntur in Baptismo & verbo, tanqvam cœci à luce; errantes à viâ; mendaces à veritate, Joh.1. & 14. Et illis semper acclamatur: Eripe te ad vitam tuam; fuge mundum; sperne mundana; ne retrorsum respicias; ne redeas cum sue ad volutabrum; cum cane ad vomitum. 2. Petr. 2. Esto memor conjugis Loti, Luc. 17, 32, ne consistas in hâc planitie, viâ latâ ac planâ, qvæ ducit ad interitum, Matth. 7, 13; ad montem illum, in qvo habitat Dominus, Psalm. 15, 1, in fugâ eripe te; festinanter cum Mariâ ito super colles hujus mundi, tendens ad sanctam Hierosolymam, Luc. 1; exi Babylone iniqvâ, ne cum improbis perimaris, Apoc. 18. Beatus verò, qvi perseverat usq; ad finem, & metam contingit! Matth. 10. Hanc admonitionem, de cursu pietatis absolvendo, nullibi tàm prolixè, & tàm multis ac prægnantibus argumentis, similibus & exemplis inculcavit Apostolus, qvàm hoc in loco, 1. Cor. 9, 24. 1. Cor. 10, 1, & seqventi, simili duplici, Corinthiis, utpote Græcis, (apud qvos in usu erant talia certamina, juventutis exercitia, futuræq; militiæ progymnasmata) à cursoribus pugilibusq; desumpto, ad seipsum, tanqvã typum, seu exemplar vivum accommodato: ac porrò Patrum exemplo confirmans; qvi omnes ex Ægypto educti fuerunt sub nube, Exod. 13, 21, omnes per mare rubrum transierunt, Exod. 14, nostriq; Baptismi qvendam typum reliqverunt, omnes eandem escam cœlitùs datam comederunt, Exod. 16, 1. Cor. 10, 3, omnes eundem potum, mirabiliter productum ex petrâ biberunt; Ubi & Christi typus Exod. 17. Num. 20; Etsi verò his, licet maximis à DEO ornati beneficiis, & tempore umbrarum, umbram ac typum nostrorũ Sacramentorum assequti, (Baptismi qvidem in nube ac mari; rei autem cœlestis, seu Christi in Sacramento cœnæ, in mannâ corporis, & potu ex petrâ, sangvinis Christi typum gerentibus:) aliisq; miraculis educti ac profecti, tamen in pluribus eorum, majoriq; parte non complacitum est DEO, ita ut in illis svaviter acqviesceret; οὐκ εὐδόκησεν. Em-

Emphaticè [illegible] illum, in qvo Pater εὐδόκησε, Matth. 3, 17, & c. 17, in fide non re[illegible]erunt, suâq; inobedientiâ rejecerunt; adeò, ut qvi Pater ipsis erat, in severum judicem mutaretur, ob ipsorum summam ingratitudinem, suamq; benevolentiam ac misericordiam non continuaret, dum ipsi à filiali pietate desistebant.

LOC. COMM. I.

DUm Paulus, in hoc capite, non tantùm exempla Judæorum adducit; verùm etiam expressè bis subjicit: hæc esse typos nostros, v. 6, & 11, hoc est, Exemplar, in qvibus velut hypogrammis, qvid nobis faciendum, qvid omittendum contemplemur: satis perspicuè videmus usum V. T. etiam in historiis; qvas frustrà propterea rejiciunt Anabaptistæ, Stenckfeldiani, & alii nonnulli, qvòd jam pridem fuerint adventu Christi antiqvatæ, de qvibus illud annota: Scripta propter nos, Rom. 15, 4, cùm omnis Scriptura divinitùs inspirata, 2. Tim. 3, 6; Libri Moisis autem, Josuæ, Jud: Sam: Reg: &c. sunt sine dubio scripti ab hominibus, Spiritu DEI actis; unde etiam qvidam in N. T. aliqvoties citantur, & citatione illâ porrò confirmantur, qvomodo argumentum illud ex parte nostrâ affirmativè concludit, non negativè; cùm non liceat dicere: Hic liber V. Testamenti non est citatus expressè in Novo; Ergò non est Canonicus: Sed ita licet arguere: hic liber V. T. est citatus in N. T. Ergò est Canonicus, qvùm Christus & Apostoli non curent Apocryphos.

II. LOC COMM.

NOn sufficit benè cæpisse; sed cum Christo perdurandum, Luc. 22, 28. Certamen est certandum; cursus finiendus; fides servanda, 2. Tim. 4, 7. Hinc DEUS acclamat patientibus, Apocal. 2, 10: finis, non pugna coronat. Sic Zadoc in locum Abiataris Sacerdotis substituitur, 1. Reg. 2, 35, qvia ille semper à parte Salomonis veri Regis steterat, hic ad Adoniam concesserat, 1. Reg. 1, 7.

III. LOC. COMM.

NOn omnes sancti, qvi calcant limina templi. Plerisq; enim sunt putrida Ecclesiæ membra, qvæ DEUS non probat, Luc. 8. Confer delectũ militũ à Gideone factũ, Jud. 7. Hinc autẽ videmus, penes qvos sit culpa interitûs. Non apud DEUM: hic enim beneficiis ornabat Israëlitas; verùm penes ipsos. Qvâ de re Psal. 74, 78. 105, 106, 107. Pudeat

ergò Calvinianos, qvi culpam interitus in DEUM omnis boni fontem referunt. *Qvid autem debuit ille ampliùs facere vineæ suæ, qvod non fecerit?* Esa.5, *& tamen protulit labruscas.* Confer Luc.13,6.

SECUNDA PARS.

DEUS autem non punit, nisi ob antegressa scelera, qvi diligit omnia, qvæ sunt, & nihil odit, aut abominatur eorum, qvæ fecit. Nec enim comparavit qvidqvam, qvod haberet odio, sed parcit omnibus, eò qvòd ipsius sint. Ille Dominus animarum amans, Sap.11,24. Et hoc est, qvod seqvitur: *Sunt verò vi maxima & desubitò prostrati in deserto,* anteqvam in terram promissam pervenirent: qvemadmodum ex magno illo numero 12. politicarum tribuum, virorum ultra 20, annos natorum, nemo ingressus est, præter Josua & Caleb. Confer Exod.12,17. Num.1, & 2. cap.14,29. Deut.1,35. Num. 26,65. Aliàs qvia tribus Levi neqve exploratorem miserat; & aliàs tum DEO suo adhærebat, facilè potuit non tantùm Eleazar, verùm etiam alii Levitæ, ultra 20 annos progressi, cùm exirent ex Ægypto, terram sanctam intrare.

LOC. COMM. I.

QVò major fuit DEI in homines clementia: eò major est in ipsos præfractos indignatio & excandescentia: Inde magis maledicitur Chorazin, qvàm Tyro; Capernaum, qvàm Sodomæ, Matth.11,23. Vide Rom.2,4, & nota ἐμφάσεις vocum Græcarum, χρηστότητος, ἀνοχῆς, μακροθυμίας, θησαυρίζεις, δικαιοκρισίας: Expende severa verba, qvæ extant Luc.17,48. David, ingrato (ita enim credebat deferenti servo Zibæ, 2.Sam.16,3.) Mephiboseto omnia eripit, illiq; dat, qvi ipsi tùm grata servitia præstabat, v.1,2,4: qvod tamen retractat 2.Sam.19,30, illicò, posteaqvā verum resciverat. Qvantò magis DEUS, qvē fallere & falli non est possibile, ingratis sua bona eripiet, aliisq; dabit. Confer Matth.21,41,43. Matth.13,12,25,29. Marc.4,25. Luc.8,18. Unde qvisqve sibi inclamari cogitet, qvod extat Apoc. 3,11. Tene, qvod habes, ne ullus alius accipiat coronam tuam. Huc refer exemplum Vasthi & Estheræ, idq; rectè accommoda.

II. LOC. COMM.

DEUM non impedit, qvò minùs graviter puniat, qvos beneficiis ornavit; sed magis impellit; Sic nulla civitas crudeliùs eversa, nulla

nulla gens immaniùs ferè tractata, qvàm ipsi Judæi in captivitate Babylonicâ, & in illâ clade, qvæ à Vespasiano illata, qvando urbs sancta, ædificiis, propugnaculis, & reliqvis omnibus, qvæ ad ornamentum & munimentum urbis spectant splendidissima, unà cum templo obaurato, Luc.19,43.44, & artificiosissimè extructo, in cineres redigebatur. Si autem ramis naturalibus DEUS non pepercit, qvid faciet insertis? Rom.11,21. Luc.19,43.44.

III. LOC. COMM.

QVùm Israëlitas variis plagis in deserto sublatos legimus; modò ab hostibus, modò à serpentibus, modò à peste subitaneâ consumptos: in memoriam nobis revocemus, non posse qvemqvâ DEI iratas manus effugere, nisi verâ pœnitentiâ, Amos 9,1,2,3,4, in qvâ rursum illa εὐδοκία sceleribus deperdita, per Christum fide denuò apprehensum, nobis obtingit, 1.Cor.1,21. Cui sit honor & gloria.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

2.Corinth.12,8,& 9.

Ὑπὲρ τούτου τρὶς τὸν Κύριον παρεκάλεσα ἵνα ἀποστῇ ἀπ' ἐμοῦ, καὶ εἴρηκέ μοι· ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου· ἡ γὰρ δύναμίς μου ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται.

SUper hoc ter DOMINUM rogavi, ut discederet à me: Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus mea per infirmitatem perficitur.

ELias, qvando pro DEI cultu pugnaverat, & Prophetas Baalis occiderat, 1. Reg. 18, jamq; sentiebat, vitæ suæ insidias strui ab Isabele, perrexit in desertum, ubi expetebat apud se mori. Jehova autem cibatum & potatum ab Angelo 40, dies sustentat mirabiliter, se ei revelat peculiariter, 1.Reg.19, & tandem vivum ad se transfert in cœlos regaliter, 2.Reg.2: Sic omnis Christianus, qvi rectè dicit ad DEUM: אֱלֹהַי יְהוָה DEUS meus es Jehova, eumq; solum agnoscit & colit, suamq; carnem cum concupiscentiis crucifigit, Gal.5, & à mundo secessionem facit, qvùm inter hominum tur-

turbam ſtruantur ejus vitæ inſidiæ; expetit ſæpè cum Paulo mori, Philip. 1: Sed Jehova, per Angelum ſuum verbi divini miniſtrum, ipſum in verbo & Sacramento cœnæ cibat ac potat gratioſè; at poſtqvam ſe ipſi revelaverit, in voce ſilentii tenui, id eſt, in verbo, ad ſe recipit in cœlos glorioſè: Eodem modo inſignis & divinus Apoſtolus, 2. Cor. 11, 23. 1. Cor. 15, 10, & vas DEI electum, Actor. 9, 15, qvùm pro vero DEI cultu hinc inde inter Judæos & Gentes, Actor. 13, & ſeqq. capp. ſtrenuè pugnâſſet, & pro eo, qvod meritò debebatur, præmio, omnis generis injurias ab illis recepiſſet, 2. Corinth. 11. v. 23, & ſeqq, & tamen falſos Doctores in multis locis ita retudiſſet, ac refutâſſet, ut nihil ſuprà: petit à DEO, ut liberetur à Satanæ Angelo, cap. 12, 8, verùm ita repulſam fert, ut ſolatium efficaciſſimum auferat. Nos videamus hîc duo:

I. Pauli Apoſtoli ardentiſſimam invocationem.

II. DEI prudentiſſimam conſolationem.

PRIMA PARS.

PAulus in cœlum tertium & Paradiſum raptus, ubi ἀῤῥήτα audivit, ne, ut fieri qvandoqve amat, inde extollatur, datur ipſi σκόλοψ τῇ σαρκὶ, *aculeus & palus præacutus*, qvô vel maximo cum cruciatu apud Barbaros, facinoroſi qvidam transfiguntur; vel pedes, ſi nudi, & eo (σκόλοπι) ſi minor, pedes graviſſimè læduntur, ac ſi qvis per ſilvas cæduas, aut ſpineta incedat. Qvid verò propriè h. l. notet, non nimis anxiè diſputabimus, ſed ex interpretatione ipſius Apoſtoli intelligimus, Angelum Satanæ ſuis ignitis telis, Paulum graviſſimè angentem, & vitæ anteactæ graves lapſus in memoriam revocantem; qvando multos blaſphemare Chriſtum cogebat, Act. 26, 10, 11, qvi etiam, poſtqvam poteſtatem accepit à DEO, ignominioſiſſimè & crudeliſſimè eum tractat, dum colaphis ipſum cædit, ne ex ſupereminentiâ revelationum ſupra modum efferatur. Iſta eſt grandis illa tribulatio, unde oritur ardens hæc invocatio. Super hoc *Ter*, hoc eſt, Scripturæ ſtylo (qvæ omne perfectum ternario qvandoq; numero complectitur) ſæpiſſimè; qvandocunq; mihi ſingulis diebus ab aliis rebus, officiiq; partibus, tantum temporis potui ſurripere, rogavi. Ita enim pii olim in Veteri Teſtamento tribus temporibus de die orabant, Dan. 6, 21. videlicet matutino, anteqvam

teqvam prodirent ad negotia; Meridiano, qvùm ad cibum capiendum revertebantur; & vespertino, qvando sese negotiis abdicaverant. Unde David de se Psal.55,18. testatur, ajens: *Vespere, manè, & meridie meditabor & perstrepam, donec audierit DEUS vocem meam. Ter* igitur, inqvit Apostolus, Dominum, ex cujus permissione malum mihi obtigisse sciebam, obsecravi, ut desisteret, & abscederet à me colaphizans ille Angelus, meq; ita cruciare desineret. Atqve ita est hîc orationis hujus expressa *causa* προκαταρκτικὴ *& impellens; Adjunctum*, nempe assiduitas; *Objectum* verò DEUS Dominus ille Dominorum; *Forma*, ardens obsecratio; *Finis*, ut desisteret à Paulo Dæmon.

LOC. COMM. I.

NOs hinc discimus: 1. Qvæ sit respectu ipsorum piorum crucis utilitas, videlicet ne extollantur cũ Diabolo, nec ferociant cum mundo indomito; sed ut discant mandata DEI, Psal.119. v.67, & 71. Ne se innocentes reputent, Jerem.31,18, & 30,11, ac cum mundo damnentur, 1. Cor.11, 32. Ut in ipsâ angustiâ visitent Dominum, Esa. 26,16, & castigatione divinâ pressi fundant submissam orationem, Esa.19,22. Confer prætereà Psal.94,12. Thren.3,37,38. Michæ 6,8, & 7,9. Sapient.12,2. Qvemadmodum aromata optimè olent, qvando teruntur, & thus, cùm igni imponitur: ita Christiani in cruce.

II. LOC. COMM.

QVid faciendum in calamitatibus? Non ad illicita media, non ad Deos alienos, non ad Diabolum; sed ad DEUM est confugiendum. Is percussit ac vulneravit; idem sanabit, Hos.6,1.

III. LOC. COMM.

NOstra oratio debet esse assidua & constans, Luc.18. Phil. 4,6. 1.Thess.5,16. neqve DEUS est priùs dimittendus, (tenemus enim illum promissionum veritate, Psalm.27,18:) qvàm nobis benedixerit; exemplo Jacobi, Genes.37,26. Ideòq; vel fimbriam ejus tangamus, in verbo ac Sacramentis: ita sanabimur cum αἱμοῤῥοούσᾳ, Matth.9. Josua qvidem sistere potuit, DEO ipsius voto annuente, Solem & Lunam: Nos cum cœco, Luc.18,35,40, invocantes, Solem Justitiæ Christum, Mal.4, & omnia sublunaria, qvæ nomine Jericho possunt denotari: Sic Moses mare; Elisæus Jordanem; David pestem cohibet. *Invictum vincunt vota precesq; DEUM.*

IV. LOC. COMM.

QVis sit invocandus? Non Angeli, non divi, seu sancti demortui; sed verus & æternus DEUS. Ad solem respicit semper heliotropium: nos ad DEUM nostrum, Psal. 123, 2, & 3. Ad mare, unde profluxerunt, currunt omnes rivuli & fluvii; nos ad DEUM fontem omnis boni vivum atqve inexhaustum, unde ortum ducimus.

V. LOC. COMM.

CORporalia bona cũ conditione sunt petenda, Matth. 6, 10. 2. Sam. 15, 25. Dan. 3, 17, 18. 1. Macc. 3. v. ult. Matth. 8, 2. Rom. 8, 28. & proinde æqvo animo ferendum, si qvid impetrare non possumus. Ipse enim ut Pater, qvid prosit filiis, optimè novit, & metuendum, ne det iratus, qvod negavit propitius. Idq; etiam sapientes Ethnici ex luce naturæ intellexerunt, qvemadmodum declarat Natalis Comes *in Proœm. lib. 6. Mythol.* Vide Phaëtontis, Midæ, & aliorum fabulas. Ne verò murmuremus cum filii prodigi fratre majore; neqve, ut ille caprum olentem, sic nos poscamus voluptatem fœtidam; namqve pater nobis longè meliora reservat, suum cœlum & omnia bona, Luc. 15. Hic, Salomoni ac omni pacificè & qvietè in ejus voluntate acqviescenti, plura dat, qvàm unqvam petiit. Confer 1. Reg. 3, 12. 13. Ephes. 3, 20.

SECUNDA PARS.

HÆc Paulus rogavit: qvid verò impetravit? Si carnem consulis, nihil; si Spiritum, omnia. Et tùm, cùm ita anxiè rogabam; *dixit mihi Dominus &c.* Non autem voluit tantùm sibi dari à DEO responsionem: sed conferri liberationem Apostolus. Illam exorat; hanc expectat: qvod dum facit, ne sub onere nutet aut labascat; duo firmissima solatii fulcra ei adjunguntur. Prius divinæ gratiæ; Alterum infinitæ potentiæ. Illud: *Sufficit tibi*, vel sola *gratia mea*, qvâ tibi propitium me declaro; qvia qvi DEUM ἀυτάρκη ita habet, huic ille solus δέχεται. Si magnum putatur beneficium, habere clementem Principem; qvidni longè esset maximum, gratiosum esse apud Regem Regum? Hoc, licet tu in Logicâ tuâ naturali id non possis concludere; tamen in supernaturali Dialecticâ seqvitur & firmissimè concluditur. *Potentia mea*, qvæ est infinita, ut ego DEUS ipse, *in infirmitate* illâ, qvâ homo pius videtur planè periturus, *perficitur*, con-

consummatur, & τελειῶται, finem optatum consequitur; ut ita ipsi uni omnia, & homini ipsi nihil adscribatur: qvippe qvi est hactenus infirmitas, id est, ex Hebraismo noto, maximè infirmus.

LOC. COMM. I.

SUfficit pio DEI verbum, qvemadmodum eo nomine celebratur fidelis Centurio, Matth. 8, 8. 9. 10. Si igitur per ministros verbi sui nos DEUS solatur & stabilit, Act. 14, 22, acqviescamus, & præterea signa aut miracula, cum altero ὀλιγοπίστῳ Regio, ne exposcamus, Johan. 4, 46.

II. LOC. COMM.

DEUS juvat per mera contraria. Qvem vult salvare, eum deducit in infernum, Rom. 11, 32; qvem vult vivificare, occidit, 1. Samuel. 2, 6. 7. 8; qvem vult extollere, humiliat, Luc. 18, 14: Ita hîc infirmum reddit, qvem vult potentissimum efficere: Sic Christus per passionem, in gaudium; per dedecus, in gloriam intrat, Luc. 24. v. 26, & 46. Qvem etiam nos oportet sequi, Matth. 10, 38. Josephus fratres, qvos erat maximè exhilaraturus, prius mœrore afficit, Genes. 44, & 45: Sic DEUS ad momentum derelinqvit, ut miserationibus æternis coronet, Jes. 54, 7, 8. qvemadmodum etiam ipsi Christo contigisse scimus. Confer Psal. 8, 6. Hebr. 2, 7. Qvidni & Christianis. Vide alibi explicatum dictum Rom. 8, 29.

III. LOC. COMM.

SI DEUS mecum; non timeo, qvid faciat mihi caro & mundus? Psal. 56, 5, 12. Confer Psal. 23, 4, & 73, 25, 26, qvia sufficit sola ejus gratia ad omnia. Gratia DEI est nostræ electionis, justificationis, salvationis & glorificationis causa, Ephes. 1, 8. Roman. 3, 24 Ephes. 2, 8. 1. Petr. 5, 10. Qvemadmodum ex DEI mirabili directione, ubi gratiam saltem invenerat Esther apud Regem, præ omnibus aliis mulierculis, reliqva omnia simul, imò ipsam coronam & dignitatem Regiam impetrabat, Esth. 2, 17: ita multò magis illi, qvi coram Rege cœli invenerunt saltem gratiam, coronam vitæ accipient, & omnia regni cœlestis nunqvam peritura bona, Luc. 12, 32.

IV. LOC. COMM.

DEUS non permittit ullum malum, qvin majus qveat inde bonum, vel commoda plura elicere, & qvasvis mutare in gaudia cu-

curas. Confer Joh.16,20,22. Rom.8,28. Huic igitur confidamus. Qui cum Davide tolerabant mala, postea cum ipso rursus extollebantur: defectores autem puniebantur. Ita etiam in regno Christi.

V. LOC. COMM.

DEUS non semper pios ad voluntatem; sed ad salutem exaudit. Nesciunt enim sæpè qvid orent, Matth.20,22. Rom.8,26. Huic Patri commendemus vias nostras, & ipse faciet, Psalm.37,3.4.5. & 55,23.

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

1. Cor. 13. vers. 9. 10.

ἘΚ μέρους γὰρ γινώσκομεν, καὶ ἐκ μέρους προφητεύομεν· Ὅταν δὲ ἔλθῃ τὸ τέλειον, τότε τὸ ἐκ μέρους καταργηθήσεται.

EX parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus: Ast ubi venerit, qvod perfectum est, tunc qvod ex parte est, abolebitur.

HAthalia occidit stirpem Regiam, Jehoscheba autem Joachum occultat, & in vivis conservat. Is per 6. annos in domo Domini clàm enutritur; septimo verò Rex constituitur operâ Jehojadæ Sacerdotis. Et tùm Hathalia interfecta populus ex animo lætabatur, & civitas conqvievit, 2.Reg.11: Sic Mundus & Diabolus occidunt omnem stirpem regiam Christi, ab illo regeneratos (Apoc.1,6.) qvoscunq; possunt comprehendere. Verùm pauci, qvi mundum fugiunt, occultantur, & in vivis conservantur: idq; respectu totius militantis Ecclesiæ, per 6. magnos mundi annos nutriuntur in domo DEI, in Ecclesiâ; septimo verò millenario, id est, completo tempore à DEO præstituto, (ut septenarius est sæpè perfectionis numerus) Hathalia, id est, omnes Christianorum hostes occidentur; & subjicientur, 1.Cor.15. Tùm erit perfectum gaudium, & fine fine beatum otium. Nos in dicto Apostolico expendemus duo:

I. In hâc miseriâ cognitionem imperfectam.

II. In futurâ gloriâ conditionem nostram perfectam.

PRI-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730469042/phys_0104
DFG

PRIMA PARS.

MOnuerat Apostolus, nulla esse tàm præclara dona, (de qvibus c.12.) qvæ non vitientur coram DEO, si abfit Christiana charitas, qvippe qvæ docet, qvomodo illa omnia rectè ad usum proximi convertenda. Ideòq; in laudes hujus digreditur, & in illis est satis multus. Ultimum autem encomii membrum occasionem præbet, nempe v.8: *Charitas nunqvam excidit*, ut dicat Apostolus aliqvid, de differentiâ hujus & futuri seculi, ratione donorum præcipuorum. Nam & Prophetiæ evanescent, & lingvæ cessabunt, & cognitio, puta ex Prophetiâ, evanescet in alterâ vitâ: Siqvidem tùm non opus erit sacrarum literarum interpretibus: qvia omnes beati perfectè DEI verbum intelligent: Nec lingvarum ille usus erit, qvi jam; siqvidem tùm omnes erunt ἰσάγγελοι, hoc est, similes Angelis, qvi lingvas omnes intelligunt: Neqve cognitio hæc ex verbo scripto hausta, ampliùs erit: Siqvidem nunc fidimus, tunc videbimus, **nun ists im Glauben / dann im Anschawen**. Charitas autem nunqvam, neq; in alterâ vita, qvandoqvidem ibi maximè & perfectissimè vigebit, excidit. Ratio horum omnium: qvia tùm perfectè in nobis erit restaurata illa DEI imago, in Adamo amissa; per Christum verò in hâc vitâ reparari cœpta. *Nunc* enim (qvam particulam sumimus ex v.12.) in hâc vitâ, *ex parte cognoscimus* illa sacra mysteria fideiq; articulos, *& ex parte prophetamus*, cùm multa sacrarum literarũ vaticinia, & loca non plenè qveant in hâc vitâ explicari, & multa necesse habeamus in cœlestẽ reservare Academiam: Qvod eleganter reddit, in suo idiotismo, *Syrus* interpres: *parum ex multo cognoscimus & prophetamus*. Habemus qvidem DEI voluntatem in verbo revelatam, & qvæcunq; ad salutẽ scitu sunt necessaria, semper Ecclesiæ DEI fuêre cognita, etiam nobis. Verùm multa discenda restant; & manet sapientiæ fons inexhaustus; scientiæ mare est abyssus; ac deniq; nunqvam deficiens thesaurus, sacer ille Codex.

LOC. COMM. I.

DE occasione hujus dicti notandum v.8. ut antecedentibus verbis v.2. & 3. abutuntur, in loco de justificatione (de qvâ non fit sermo apud Apostolum, cùm agat de donis, eorumq; usu) Pontificii;

cii; ita his verbis, *Charitas nunqvam excidit*, Calviniani in loco de perseverantiâ Sanctorum. Sed fruſtrà ſunt, dum ſuæ aſſertionis hîc qværunt fundamentum: qvia 1. de illâ re hîc non agitur, ſed de duratione donorum, non in hâc vitâ ratione unius individui & continui actus, verùm ratione alterius vitæ: ut patet ex verſ. 13. 2. Contrarium expreſsè alibi dicitur, Matth. 24,12. Apoc. 2,4, & 5. 3. Experientia eſt teſtis in multis exemplis. 4. *Beza* ipſe hæc ita explicat: Charitatis præſtantiam commendat ex eo, qvod nunqvam in ſanctis abolebitur: reliqvis autem illis donis ad ædificationem Eccleſiæ tantiſper, *dum hîc vivimus*, neceſſariis, nullus erit in altero ſeculo locus. Vide qvæ idem habet in verſ. 13. Jam reſpondemus: N. V. C. Charitas non ceſſabit in vitâ alterâ. E. in hâc vitâ eſt ſemper ſine interruptione talis.

II. Loc. Comm.

DEI qvidem opera omnia ſunt perfecta, qvâ DEI: multa tamen in illis, in qvibus ſe exerunt, ratione horum ſubjectorum, qvæ & ipſe DEUS proprios exercere motus ſinit, aliqvid imperfectionis habent adjunctum; non ex parte DEI, dico; ſed hominum: ut patet, ex omnibus bonis operibus, qvibus ſemper tantum imperfectionis ex noſtrâ parte adeſt, ut ſi ex rigore Legis cenſeri debeant, & in conſpectu DEI irati, juſtus in omni opere bono peccet mortaliter, ut cum Luthero rectè ſtatuimus, ſine ullâ in Spiritum Sanctum, qvod Pontificii opponunt, commiſsâ injuriâ. Vide Lev. 19,18. Deut. 6,5. Job. 9,19. Pſal. 19,13, & 32,6, & 130,3, & 143,2. Eſa. 64,6. Roman. 7,14. 15. 16, & NB. Eccleſ. 7,20. Sol in meridie lucens, omnes, qvod ad ipſum, perfectè illuminat. Verùm cæci & noctuæ nihil; myopes ſuffuſione, & obſcuritate viſus laborantes, tàm acutum non vident, qvàm aqvila aut ſerpens Epidaurius. Confer Marc. 8,23. & 2. Cor. 4,16.

III. Loc. Comm.

INſervit hæc particula *& retundendæ illorum ſuperbiæ*: qvi putant, ſe Apoſtolis & Prophetis eſſe doctiores, imò plura ſibi eſſe revelata, qvàm Angelis: Qvales eſſe perhibentur qvidam fratrum roſeæ crucis. Ex parte cognoſcimus hâc in vitâ, non totum: non omne, Roman. 11,33, *& erigendæ illorum timiditati*, qvi, dum vident ſe non poſſe

tàm

tàm multa cognoscere ut alii, desperationem meditantur. Sufficiat tibi, qvòd cum Paulo scias JESUM Christum, eumq; crucifixum, 1. Corinth. 2, 2.

SECUNDA PARS.

UT autem Israelitæ in deserto circa terram sanctam vagantes, multa qvidem de præstantiâ ejus terræ audiebant; pleraqve tamen verè ignorabant: & ut Regina Sabæ, multa qvidem in suâ terrâ de Salomonis sapientiâ & felicitate audiebat, ipsa tamen eò delata, ne dimidium sibi qvidem dictum, fatetur: ita etiam nobis olim est eventurum in alterâ vitâ, ubi regnabit æternùm Salomon noster JESUS Christus: ubi pax erit sine perturbatione; lux sine obscuratione; cognitio sine ignorantiâ; gloria sine ignominiâ. Hâc de re ita Apostolus: *Cùm autem venerit*; qvod in hâc vitâ & hôc seculô, cum Christo ad judicium extremum venturo adventurum avidè expectamus, Rom. 8, 19. 22. 23, & dum hic mundus durat, non affore existimamus, *illud perfectum*, qvod, perfectè in nobis restauratâ DEI imagine, obtinget, in cognitione, sapientiâ & justitiâ veratâ: *Tunc* id, *qvod est* jam *ex parte* & aliqvatenus, velut inutile *abolebitur*, qvæ est verbi Græci καταργηθήσεται emphasis: qvemadmodum semper deteriora locum dare coguntur melioribus. Duo igitur hîc indicat Paulus: Unum, venturam plenariam & omnimodam perfectionem, qvæ in hâc vitâ non est; alterum, desituram, omninò omnem imperfectionem, qvæ jam est. Utrumqve, qvia non fiet in hoc seculo, qvantumvis felici, qvale erat, cùm Christus ipse & Apostoli docebant, Luc. 10, 23. 24, ante mundi finem futurum esse, nobis nemo persvadebit; præcipuè qvando seqventia rectè expendimus, qvæ vers. 12, & 13, habentur, nempe qvamdiu homines hanc vitam naturalem vivunt, qvantumvis supra reliqvos illuminati, in ænigmate tamen, & per speculum saltem vident, verè tamen & re ipsâ pro modulo hujus infantiæ: post hanc vitam autem in cœlis sumus DEUM visuri de facie ad faciem, & perfectè illum cognituri, ut cogniti sumus à DEO, & videbimus eum, sicuti est, 1. Joh. 3, 2. qvomodo phrasis illa פָּנִים אֶל־פָּנִים in Veteri Testamento de peculiari & majori aliqvâ DEI revelatione hinc inde accipitur, ut planè sit ineptum, si qvis hoc loco velit vertere persona ad personam, (qvomodo enim competet, prædicatum *videmus*, & illud,

illud, *cognoscam, sicut cognitus sum*) & explicare in hunc modum, fore ut persona, circa mundi finem victura, collata ad personam, qvæ anteà vixit, sit longè dilucidiùs omnia cognitura, qvàm ullus Prophetarum aut Apostolorum. Qvod enim hoc & futurum seculum conferat inter se Apostolus, etiam ex versu ultimo liqvet: *Nunc manent fides, spes, & charitas, hæc tria simul:* sed illa duo priora in alterâ vitâ desinent, qvando non spem, sed rem habuerimus, *maxima* autem duratione & fructu, non dignitate: qvia hîc respectu durationis conferuntur.

LOC. COMM. I.

QVod ille Æneas suis naufragis sociis; nos rectiùs nobis à Christo semper acclamari putemus in malis:

O passi graviora, dabit DEUS his qvoqve finem.
Sollicitos revocate animos, mœstumq; timorem
Mittite; certè etiam hæc olim meminisse juvabit.
Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in cœlum, sedes ubi Jova qvietas
Ostendit. Illic fas regna resurgere vestra.
Durate, & vosmet rebus servate secundis. (NB. Sic etiam *Horat. lib. 1. Od. 7.*) Ut enim ille portum & regnum promissum: ita nos longè certiùs & multò augustiùs regnum appetimus, Matth. 6,33. Luc. 12,32. illud nimirum, qvod erit æternum, Luc. 1. Daniel. 7. non in terris; sed cœlis: non ab hostibus infestatum; verùm omnibus malis liberatum. Cum qvâ re potest conferri regnum Davidis & Salomonis: ut suprà dictum.

II. LOC. COMM.

IN hâc vitâ hominis est perfectio, suæ imperfectionis cognitio, & melioris vitæ expectatio. Frustrà enim sunt Chiliastæ & alii, qvi circa annum 1650. ex versu 9. cap. 11. Esaiæ, nulla mala in terris, qvas tùm duraturas præsupponunt, fore dicunt. Si enim terra hæc in extremo judicio priùs interierit, nulla mala in terrâ novâ futura credimus; sed id tùm fiet, qvando visum, Act. 1,7.

III. LOC. COMM.

IN alterâ vitâ, per Christum secundum Adamum piis plura restituentur, qvàm in primo amiserunt: qvia in hoc habebant, *posse*

non

non peccare; ibi dabitur, *non posse peccare*. Omnis enim imperfectio & potentia labendi desinet: qvia veniet summa, qvæ cadit in hominem, perfectio; qvemadmodum Christus Redemptor noster, non peccavit, Esa. 53.

IV. LOC. COMM.

POntificii nugari desinant, qvando ita colligunt: Charitas est maxima virtus. E. maximè justificat. Nulla enim virtus, qvà virtus, cùm sit imperfecta, justificat: eò qvòd Lex reqvirat perfectissimam & continuam erga omnia præcepta Decalogi obedientiam.

DOMINICA INVOCAVIT.

2. Corinth. 6. v. 1.

Συνεργοῦντες δὲ καὶ παρακαλοῦμεν, μὴ εἰς κενὸν τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ δέξασθαι ὑμᾶς.

QVin & adjuvantes obsecramus, ne in vacuum gratiam DEI receperitis.

1. REgum 17, 20. Elias, & 2. Reg. 4, 14. Elisæus filium hospitæ suæ, è mortuis excitant, DEUM super eo invocantes ardentissimè. Nos omnes sumus filii Ecclesiæ, qvæ est hospita omnium piorum verbi divini Ministrorum; & postqvam semel sumus renati ex Baptismo sæpiùs in peccatis multi indormiscimus; qvidam verò è somno mortis, qvem à se averti petit David, Psalm. 13. qvidam verò à fidis DEI servis ex somno vitiorum excitamur, Ephes. 5. imò ex mortuis resuscitamur, Ephes. 2. utq; caveamus sævissimum animæ venenum, peccatum, sedulò admonemur, ne frustrà vitam accepisse videamur. Ita Apostolus hoc loco cum suis collegis non tantùm affert pedum Mosis, seu Legem, ut Gehasi, Elisæi, 2. Reg. 4. baculum: Sed ipsum Eliam & Elisæum verum, hoc est, si nomen explices utrumqve, qvi DEUS est & salus: per qvem vita mortuis & salus perditis nobis redit. Nos videbimus in dicto hæc duo:

I. Ministrorum verbi in admonendo officium.
II. Auditorum in conservandâ DEI gratiâ studium.

PRIMA PARS.

MIserat David Legatos, qvi solarentur Chanon Ammonitarum Regem, lugentem super obitu patris. Is verò, injuriâ cùm hos affecisset, ab illo debellatus gravisimæ servituti deinceps subjicitur. Sic Christus verus ille David, Deoq; Patri dilectus, ad nos meritò lugentes super obitu spirituali Patris nostri primi Adami, dum DEO mortuus mundo vixit, & nos omnes secum æternæ morti addixit. Nos, inqvam, qvibus gratiam deinde DEUS fecit, (ita sonat nomen חַנָּן si etymon spectes) ut nos in Christo eligeret, vocaret, justificaret ac salvaret, suos Legatos misit: qvi nos solarentur, DEI Patris misericordiam, filiiq; partam justitiam adferrent, vid. 2. Cor. 5, 20, 21. Nos autem videamus, ne illos afficiamus ignominiâ, qvi honoris & salutis nostræ ergò venerunt: aliàs æternæ servituti subjiciemur, dum per Filium liberari nolumus, Luc. 1. Joh. 8. Hâc occasione præmissâ, qvòd DEUS Christum, qvi non nôrat peccatum, pro nobis peccatum fecerit, ut nos fieremus justitia DEI in ipso; qvod DEUS per Legatos Christi rogat. Apostolus porrò ita scribit (συνεργοῦντες δὲ) *operam nostram accommodantes*; imò in opere Salvationis DEI συνεργοὶ, qvi operam cum DEI operâ conjungimus, & homines salvamus ministerialiter tamen & verè, 1. Cor. 9, 22. Actor. 11, 14. 1. Tim. 4, 16. Jacobi 5, 20. Judæ v. 23. *etiam* (παρακαλοῦμεν) *hortamur*, & velut obsecramus, ut ita officii nostri partes ritè obeamus.

LOC. COMM. I.

CÙM ritè & legitimè vocati DEI ministri, sint DEI Legati, missi à Patre, ut Christus ipse: Joh. 20. illi sunt duplo honore digni, si benè præsunt, 1. Tim. 5, 17. Contrà qvi tantam dignitatem mentiuntur, ut omnes non rectè vocati, Ecclesiæ obtrusi, vel miris Technis se ingerentes: videant, ne idem sibi contingat, qvod legatis, qvi literas creditivas non possunt ostendere. Vide Matth. 7, 22, 23.

II. LOC. COMM.

CÙM sint illi ipsi DEI cooperarii: summa dignitas hujus ordinis patet. Dicuntur qvidem magistratus Dii, Psalm. 82. Joh. 10. Sed DEI cooperariorum nomen non habent: nec homines possunt salvare. Adferatur huc historia de Nahamane, 2. Reg. 5. qvem Rex Israelis restituere atqve à leprâ suâ liberare non poterat; Propheta Elisæus

per

per DEI gratiam sanabat. Ita etiamnum hodiè peccata remittere non valet Cæsar aut Princeps; Minister verbi ex potestate sibi à CHRISTO commissa potest, Matth.16.&18.Joh.20.

III. LOC. COMM.

PRæcipuum studium ministrorum verbi sit παρακαλεῖν, sedulò hortari, semper instare tempore opportuno & importuno, 2. Tim. 4,2. non tantùm apud homines nondum renatos, ut accipiant, verùm etiam renatos, ut gratiam DEI retineant. O officium laboris simul & honoris plenissimum! Ne qvis putet locum hîc aliqvem esse segnitiæ aut socordiæ, opus tibi perficiendum est: semper tibi sedulò hortandus unusqvisq; auditorum, ut ita in omni te commendes ipsum, ut DEI ministrum, infrà v.4. 1.Cor.4,1. & 2. Qvod sibi illi dictum putent, qvi ad hoc arduum munus tantoperè adspirant, ut molliter vivere & se rectè curare qveant. Non enim in suâ Ecclesiâ; sed in Regum aulis tales esse dicebat Christus, Matth.11,8. Confer Luc.22,25,26. Epist. Judæ vers.12.

SECUNDA PARS.

HAbuimus jam in Ecclesiâ videntem oculum; (olim enim Prophetæ dicti sunt Videntes, 1.Samuel.9. & illi in corpore Ecclesiastico sunt oculi, qvi alios docent & ducunt, Cant.1,15.) Contemplemur nunc aurem audientem, hoc est, auditores bonos, ut dictum Proverb.20,12. ita ad nostrum institutum accommodemus. Illi sint καλῶντες, Luc.14. Matth.22. & συγκαλοῦντες, ut h.l. hi verò κλητοὶ καὶ συγκαλούμενοι, ibidem 2.Cor.13,11. Illi συνεργοῦντες, hi κατεργαζόμενοι τὴν σωτηρίαν, Phil.2,12. Cur verò? ne vos acceperitis, ut δεκτὸν, acceptam esse gratiam, qvæq; vos acceptos reddit, gratiam illam (de qvâ versibus præcedentis capitis ulterioribus) DEI in vanum, ita ut finem fidei, salutem æternam non accipiatis; sed fruſtrà hactenus in vobis erudiendis laboraverint verbi ministri, & vos ipsi in vestrâ salute procurandâ: qvomodo phrasis illa cum cognatis accipitur, 1.Cor.15,58. 1. Thess. 3,5. Unde patet, qvòd alloqvatur Apostolus eos, qvi reverà sunt regenerati, & verè per ministerium reconciliationis cum DEO redierunt in gratiam, & gratiæ DEI illius, qvâ salvamur, Ephes.2,8. participes.

LOC. COMM. I.

QVod cùm ita sit, errant gravissimè Calviniani, qvi statuunt; non

posse fieri, ut, qvi verè semel fide est illuminatus, iterum deficiat, infidelis fiat, ac damnetur. Apostolus hîc contrà expresè asserit: posse veram DEI gratiam accipi in vanum. Hoc enim notat vox δέχεσθαι, ut patet Marc.10,15. Act.8,14. & cap.11,1. 2.Cor.11,4. 1.Thes.1,6. & cap.2,13. 1.Cor.2,14. Unde ita concludas: Homo carnalis seu animalis non capit illa, qvæ sunt Spiritûs DEI: Illi, de qvibus hîc loqvitur Apostolus, capiunt illa, qvæ sunt Spiritûs DEI. E. non sunt carnales, & proinde spirituales ac regeniti, & tamen possunt in vanum ac frustrà illam gratiam recepisse. Possunt ergò amittere: ut alia non addamus, qvæ in hanc sententiam prolixè dici poterant: Ut parabolæ & similitudines à cursu, militiâ, nuptiis, domo; Allegoriæ de vineâ, arbore, palmite, oleastrô, ficu, semine bonô, sale, argentô, aqvâ. Atqve hic est usus ἐλεγχτικός.

II. LOC. COMM.

Διδακτικὸς ille; ut omnes simus attenti, ne Diabolus aut mundus nostrum brabeîum intervertat. Duo enim sunt modi, qvibus possumus gratiâ DEI evacuari; In defectu, desperatio; in excessu, securitas & superba elatio. Ibi Cain & Judas; hîc Rex Babylonis & Pharisæus, Luc.18. præbent παραδείγματα. Utrumqve extremum in vero DEI timore manentes evitamus. Unde Apostolus posteà v.7. vult, nos pugnare armis justitiæ dextris & sinistris. Qvi ante Christum veniunt, sunt latrones, Joh.10. (ante Christum autem venire, ibi dicitur ratione doctrinæ; non temporis:) qvi in postremo agmine erant lassi, ab Amalecitis cædebantur, Deut.25,18. sibi nimis fidentes Christum nolunt seqvi ex superbiâ: qvi lassi, prorsus subsistunt, & nolunt seqvi ex fidei inopiâ, unde omne robur. Nos, cum Immanuele nostro, simus semper in regno gratiæ: sic erimus olim cum illo perpetuò in regno gloriæ, Johan.17.

III. LOC. COMM.

UT DEI potentia, ita & voluntas potest dupliciter considerari: vel absolutè, qvando semper est efficax, & facit, qvæcunqve vult, Psal. 113,3. vel conditionaliter; qvando non semper est efficax, propter absentiam adjectæ conditionis. Vide Esa.65,12. & 66,4. Ezechiel.33,11. Matth.23,37. Luc.7,30. Act.7,51. 2.Petr.3,9. Hæc ita applicentur: DEUS semper dat suam gratiam in plenum & in perpetuum; Verùm, cum

conditione obedientiæ; qvæ, si non præstatur ex accidente, fit, ut cedat in vacuum, vanum & temporaneum, nulla DEI; sed solâ hominum culpâ.

DOMINICA REMINISCERE.

1. Thessal. 4, 3. 4. & 5.

ΤΟῦτο γάρ ἐστι θέλημα τοῦ Θεοῦ, ὁ ἁγιασμὸς ὑμῶν, ἀπέχεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ τῆς πορνείας. Εἰδέναι ἕκαστον ὑμῶν τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος κτᾶσθαι ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ: Μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας, καθάπερ καὶ τὰ ἔθνη τὰ μὴ εἰδότα τὸν Θεόν.

HÆc enim est voluntas DEI, sanctificatio vestra, ut abstineatis à scortatione. Et sciat unusqvisqve vestrûm suum vas possidere cum sanctificatione & honore. Non cum affectu concupiscentiæ, qvemadmodum & gentes, qvæ non noverunt DEUM.

QVando DEUS cum suo populo, qvem ex Ægypto eduxerat, renovaturus erat fœdus, eos legibus sibi devincturus, suamq; obedientibus benivolentiam declaraturus: triduum ad se recte comparandos indicit. Sic etiam, qvando DEUS cum Christianis fœdus in Baptismo iniit, Leges, juxta qvas vitam instituant, proponit, suamq; gratiam pollicetur. Inter Leges istas non ultima est de sanctitate servandâ; & cavendâ scortatione, tàm spirituali, seu idololatriâ, qvàm corporali. Siqvidem hâc templum DEI impuratur, 1. Cor. 6. & 2. Cor. 6. ut recedat sanctissimum illud numen ab impuris, furore exardescat, & in excandescentiâ suâ consumat, Num. 25, 4. & 11. Sine sanctimoniâ enim nemo videbit Dominum, Hebr. 12, 14. qvi dixit: *Estote sancti, sicut Ego sanctus sum*, Levit. 19, 2. Et ut Achimelech Sacerdos non erat daturus Davidi ejusq; comitibus panes propositionis, nisi præditi essent illâ puritate, qvâ decet res sanctas tractari: 1. Samuel. 21. Ita multò magis frater noster Rex (significat enim Achimelech, Exod. 19.

lech, אֲחִימֶלֶךְ frater meus Rex) & Sacerdos ſummus acunicus Novi Teſtamenti, non dabit nobis tandem, ut cibum in regno DEI capiamus ſanctiſsimum, Matth.8,11. Luc.14,15. Apoc.2,7. & 17. & panes propoſitionis, ad qvos jugiter DEUM videamus; niſi hîc puros & impollutos nos ſervaverimus, Apoc.14,4. Aut poſtqvam polluimus noſtras veſtes, dealbaverimus rurſus in ſangvine Agni, Apoc.7,14. Hanc Legem admodùm graviter hoc loco,1. Theſs.4,3.4.5. inculcat Apoſtolus. Expendenda ibi duo:

I. Prohibita regnans ſcortatio.
II. Ei Legi addita trina prægnans ratio.

PARS PRIMA.

REgnans 1. dico *ſcortatio*, qvia eſt qvædam, qvæ non prorupit in actum, de qvâ Matth.5,28. & ſine qvâ etiam pii rarò inveniuntur: De illâ autem hoc loco præcipuè non agit Apoſtolus; ſed iſtam intelligit, qvæ inter gentes, vid. v.5. (qvales etiam erant licèt jam converſi Theſſalonicenſes) non habebatur pro flagitio. Vide apud Terent. in Adelphis Act.1. ſcen. v.21. & 22. Hanc autem admonitionem duplici modo proponit: Primò per ἄρσιν, qvid fugiendum; deinde per θέσιν, qvid contrà ſeqvendum ac faciendum. Ἄρσις duo habet: Unum ἀπέχεσθαι, prorſus *abſtinere*, & nihil habere commercii, q.d. volo, vos longè lateq; recedere *à ſcortatione*, & velut à re prorſus abominandâ fugere, 1.Cor.6,18. Alterum eſt: *non in morbo concupiſcentiæ*, non ita concupiſcere, ut habitum & morbum inde contrahatis: ſicut Cicero πάθος deſcribit 1. Tuſc. qvæſt. Ut videre eſt in illis laſcivis, qvi nihil aliud agunt, aut cogitant, qvâm qvomodo ſuam poſſint explere concupiſcentiam, vel libidinem. Et hæc ſunt infidelium ſtudia. Θέσις habet fidelium inſignia, qvæ ſunt *ſanctificatio & honor*, (qvando dedecori & omni impuritati dediti ſunt homines improbi) in qvibus ſciat unusqvisqve veſtrûm, cujuscunqve conditionis aut ſtatûs ille fuerit, ex Lege DEI edoctus, *ſuum ipſius vas*, hoc eſt, corpus, 1. Cor. 6,18. Scripturæ ſtylo, & qvodvis DEI inſtrumentum, 1.Sam.21,5. & Act. 9,15. *poſſidere*, ac velut cariſsimam poſſeſsionem benè conſervare, ne inqvinetur, ut Luc. 21,19. jubentur Chriſtiani in afflictionibus poſsidere ſuas animas, ne contra DEUM murmurantes ſe peccato commaculent.

I. LOC.

I. LOC. COMM.

NOn sufficit recedere à malo; verùm contrà facienda bona, Psal. 34,15. & aliis locis: Nam multis Israelitis parùm proderat ex Ægypto exiisse, qvando in deserto prosternebantur, nec in terram promissam perveniebant.

II. LOC. COMM.

SI à scortatione abstinendum est Christianis, idq; ex severâ DEI Lege: qvâ fronte apparebunt coram DEO, qvi in illam debitâ cum gravitate non animadvertunt DEI ministri, sive sint Ecclesiastici, sive Politici ordinis, dum illi sæpè tacent; hi levissimâ mulctâ pecuniariâ connivent, non tantùm ad hanc, verùm etiam ipsa adulteria? At vide severissimas pœnas à DEO illatas, & illis, qvi faciunt Gen. 19,30. & cap. 34. Jud. 20. 1. Sam. 2,22. 25. & illis, qvi suâ lenitate consentiunt, Num. 25,1. Ubi ex contrario expende præmium Pinehæ promissum, qvòd zelotypus pro DEO fuerit. Vide & Psal. 106,31. & videbis Magistratûs politici proceres fuisse suspendio sublatos, & æternum exitium manere illos verbi ministros, qvi scientes non clamant, nisi resipiscant.

III. LOC. COMM.

EXcusent nonnulli JCti, & qvidam Philosophi, qvantum velint illegitimam maris & fœminæ copulationem, soluti cum solutâ: hîc prohibetur omnis scortatio: væ autem illis, qvi dicunt malum bonum, Esa. 5.

IV. LOC. COMM.

SI unusqvisqve Christianorum debet abstinere à scortatione: Qvis dedit Regibus, Principibus, aliisq; magnis viris hoc privilegium, qvô liceat ipsis habere concubinas? Si polygamos in Novo Testamento non excusat exemplum Patrum & Regum in Veteri, verùm capite plectuntur; Cogitent hi Magnates, qvi aliis prælucere debebant bono exemplo, qvid apud DEUM promereantur. (vid. qvæ habet Paulus Rom. 2,1. 3. 22. & Davidis historiam hinc probè considera.) Non negligatur exemplum Festi, qvi cùm dissereret Paulus de justitiâ, continentiâ, & judiciô futurô, ἔμφοβος γενόμενος, expavefactus est, Act. 24,25. qvippe injustitiæ incontinentiæq; cum aliis multis Principibus sibi probè conscius, severum illud & certò futurum extremum judicium exhorruit.

V. Loc.

V. LOC. COMM.

DEI instrumenta sumus, & vasa. Videamus igitur, ut inserviamus ipsi ad usus utiles, 2. Tim. 2,20.21.

VI. LOC. COMM.

CONcupiscentiam pravam habent omnes, etiam pii: Rom. 7. morbo autem concupiscentiæ detinetur tantùm, qvi habenas illi laxat. A serpentibus ignitis vulnerabantur qvidem multi: illi verò non moriebantur ex vulnere, qvi serpentem à Mose exaltatum intuebantur, Num. 21,7. & 9. Sic etiam à serpente antiqvo Diabolo vulnerati. Confer Gen. 3,16. Apoc. 12. & 27. & 20. 2. Cor. 11,2. & 14. 1. Joh. 3,8. Sap. 2,23. Joh. 8,44. Omnes in Adamo sumus vulnerati lethaliter, & concupiscentiâ pravâ imbuti: Illi verò non moriuntur ex hoc vulnere, qvi ad Christum in cruce exaltatum fide respiciunt, Joh. 3,14.15. & cap. 12,33. suamq; carnem crucifigunt cum concupiscentiis, Gal. 5,24.

SECUNDA PARS.

ITa fuit Apostolica adhortatio. Qvæ verò ejus ratio? Triplex ponitur: respectu trium: DEI, qvi jubet; Christiani, qvem decet; Ethnici, cui sancta illa vita non arridet. *De primo* hoc habemus: *Hæc enim est voluntas DEI, sanctificatio vestri.* Voluntas puta DEI, qvâ non tantùm *credere*, Johan. 6,39.49. sed & *facere* jubemur, & testari externo qvodam signo fidem, qvæ in nobis est. Si est voluntas DEI summi Monarchæ, hæc meritò nobis est pro ratione voluntas. Nil enim volet injustum aut malum, qvi est ipsa justitia & bonitas. Is autem Pater noster, & ut sanctus est; ita nos suos filios, non degeneres, sanctè vult vivere, Levit. 19,2. *Secundum* ita concludit: *Vos* (qvæ vox diversis in casibus ter reperitur) non decet scortationis fœditas; sed vitæ sanctitas, qvi accepistis, qvomodo deceat ambulare, DEOq; placere, ut abundetis magis, v. 1. *Vos*, qvibus præcepta per Dominum JESUM dedimus, vers. 2. *Vos*, qvi estis in Ecclesiam sanctam recepti, pollutiones vitare, convenit. Hæc dies, Rom. 13,12. & 13. aliam vitam, alios mores postulat. *Tertium* ita infert: *Qvemadmodum etiam gentes, qvi non noverunt DEUM verum.* Qvod illis placet, vobis meritò displicere debet: qvia vos estis electum DEI genus, Regale Sacerdotium, gens sancta, populusq; peculiaris, 1. Petr. 2,5. Illi autem *sunt sine DEO*, cognito puta & culto, hoc est, ut Græcus textus habet, ἄθεοι, Ephes. 2,12. & abali-

abalienati à politiâ Israëlis, seu DEI Ecclesiâ. Vos cives & domestici DEI, ibidem v.19. Et proinde, si qvid vos peccatis, in Dominum vestrum, aliqvâ ex parte, redundat ignominia: per accidens tamen, 2.Sam.12.14. Ez.36,20.23. Rom.2,24. Qvanta enim ignominia est, illos, qvi voluntatem DEI sunt edocti, v.1.2. & 3. ita vivere velle, sicut illi, qvi planè DEUM verum qvis & qvalis (θείως accipe) ille sit, ignorant, qvæq; ejus sit voluntas, non perfectè habent cognitum.

LOC. COMM. I.

SI sanctificatio nostri, est DEI voluntas: væ illis, qvi huic repugnant: Matth.23,37.38. præsertim in tàm necessario reqvisito. Cùm qvis cupit ad DEUM accedere, ut suprà dictum. Adonia petens tantùm Abisag patris sui ministram & putativam concubinam, à Salomone occiditur, 1.Reg.2,19. & 25. qvantò magis, qvi non tantùm petit; sed etiam nefariè allicit, & contra DEI præceptum retinet Diaboli concubinam, hunc mundum scilicet, qvi cum ipso scortari hinc inde dicitur, qvando idololatria exercetur, gravissimè, & nisi resipiscat, in æternum punietur à cœlesti Salomone, Christo JESU, Regę Ecclesiæ & Judice omnis carnis constituto? Nam Jehova exscindit, qvicunq; adulterando ab ipso deficit, Psalm.73,27. Coram Rege Assyriæ nullus cum veste lugubri, Esth.4,2. apparere tutò, ac sine pœnâ poterat; multò magis coram DEO Rege Regum exuenda est vestis peccati sordida, Matth.22,11. Confer, qvomodo debuerit leprosus mundari, Levit.13. & 14. capp. ac cogita, in nobis residere spiritualem lepram, peccatum videlicet.

II. LOC. COMM.

SI DEUS vult, ut abstineamus ab omni scortatione: qvâ fronte qvidam Calviniani audent hoc DEO imputare, qvòd velit scortationes & adulteria? mirum nî ex DEO nostro blasphemè tandem Jovem gentilem faciant. Noster autem *DEUS casta mens est, castâ vult mente vocari: Et castas jussit pondus habere preces. Fundamentum DEI firmum subsistit, habens hoc sigillum: Novit Dominus, qvi sunt sui. Et desistat ab iniqvitate omnis, qvi nominat & invocat nomen Christi*, 2.Tim.2,19. Virgines tantùm in Gynæceum Regis Assyriæ recipiebantur. A DEO non nisi sancti diliguntur & casti, ac tandem in palatium cœli traducuntur, Apoc.21,27. & 22,15.

III. Loc. Comm.

QVi sumus de mundo selecti, Joh. 15. ne diligamus mundum, 1. Johan. 2. more illorum Israëlitarum, qvi semper ad Ægyptum respiciebant: Sed potiùs cum Abrahamo, patre fidelium, relinqvamus hanc primam nostram patriam, & in manentem civitatem properemus, Hebr. 4. Cum Mose aulam Ægypti deseramus, & in desertum ad rubum ardentem nos conferamus; atq; ad montem Domini, exutis affectuum calceis & omni pravitate depositâ, consistamus, Exod. 3. & 19.

IV. Loc. Comm.

GEntes non possunt naturaliter DEUM perfectè cognoscere, ideòq; nec salvari: ut meritò exhorrescamus intrare illud cœlum, in qvo Herculem cum clavâ, exuviisq; leoninis, & alios Ethnicos fore ajebat Zwinglius, & in qvod Ciceronem ponebat Erasmus, omnesq; rectè juxta rationem viventes, Puccius & Tammerus. Nos scimus, vitam æternam dari illis tantùm, qvi Trinunum DEUM rectè agnoscunt; juxta essentiæ unitatem, Personarum Trinitatem, & voluntatis sanctitatem, ejusq; Filium JESUM Christum, ejus personam, ac in eâ duas naturas, & Officium triplex, Joh. 17, 3. Cui gratias agimus, qvòd nos reddiderit idoneos ad participandam sortem sanctorum in lumine, Coloss. 1, 12. Ipse faciat, ut dignos nos geramus Christianorum nomine, Amen.

DOMINICA OCULI.

Ephes. 5. vers. 1, 2.

Γίνεσθε οὖν μιμηταὶ τοῦ Θεοῦ, ὡς τέκνα ἀγαπητά. καὶ περιπατεῖτε ἐν ἀγάπῃ, καθὼς καὶ ὁ Χριστὸς ἠγάπησεν ἡμᾶς, καὶ παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν προσφορὰν, καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας.

SItis igitur imitatores DEI, tanqvam filii dilecti: Et ambuletis in dilectione, qvemadmodum & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblatio-

lationem ac victimam DEO, in odorem bonæ fragrantiæ.

NOachus ex arcâ egressus, & in eâ à diluvii aqvis servatus incolumis & illæsus, Domino extruxit altare, & in eo sacrificia ex mundis animalibus obtulit, qvæ DEO adeò fuerunt grata, Genes. 8, 20. & 21. ut etiam sese terræ non ita deinceps maledicturum promiserit. Possumus illud ad nostrum hoc dictum dupliciter applicare: Primùm, *respectu Christi* genus humanum amantis; Deinde *respectu Christiani*, illum meritò imitantis. Nam Christus, qvi verè est Noah, hoc est, is, qvi tandem esset homines consolaturus de labore, de dolore manuum, & de maledictione, qvâ Jehova maledixit terræ. Confer Genes. 5, 29. & 3, 17. & 19. se ab omni peccato purum & mundum DEO Patri in arâ crucis obtulit, Esa. 53. Hebr. 9. & 10. Et hoc sacrificium ἱλαστικὸν ita acceptum illi fuit, ut propter hujus benedicti seminis Gen. 12. Gal. 4. meritum, maledictio hominum tolleretur, Galat. 3. 2. Cor. 5. v. ult. Atqve ita omnia sacrificia in Veteri Testamento, qvòd sacrificantes, ad Agnum DEI in mundum venturum, fide respicerent, erant grata, qvæ sine fide minùs erant accepta, Psal. 50. Esa. 1. Mich. 6, 6. & 7. Hunc verò Christum (qvod erat secundum) imitari debet Christianus. Qvi, cum est per Baptismum salvatus, (qvod est illius Noachi sustentationis ἀντίτυπον, 1. Pet. 3.) & in magnis diluvii calamitatum aqvis à DEO miraculosè protectus, & inde eductus. Confer Psal. 32, 6. & 124. v. 4. & 5. & 144, 7. DEO, in altari Novi Testamenti Hebr. 13, 10. offert hostias spirituales, Rom. 12, 1. Hebr. 13. 15. & 16. gratas per Christum, 1. Petr. 2, 5. Atqve ita, qvod in hoc dicto vel inprimis notandum, Christus nobis proponitur, ut donum fide acceptandum, & exemplum in vita imitandum. Nos dictum in duas partes dispescimus, consideraturi:

I. DEI Patris nobis sequendum vestigium.
II. Christi fratris nostri à nobis fide prehendendum sacrificium, ejusq; meritum.

PRIMA PARS.

ISraëlitæ, 1. Sam. 8. non satis rectè petunt, sibi dari Regem, qvi vindicet eos ab hostibus, & procedens ante eos bella gerat, v. 20. Nos verò

habemus Regem & summum Imperatorem, qvi nos ab omnibus hostibus potenter vindicabit, tanqvam noster verus גֹּאֵל Job. 19, 25, Idem etiam ante nos procedit, nosqve vult se in bello Domini contra Diabolum ac mundum gerendo strenuè seqvi. Id est, qvod Apostolus hoc loco inculcat. Dixerat enim c. 4. v. ult. Estote alii in alios benigni, misericordes, condonantes vobis mutuò offensas: sicut & DEUS in Christo condonavit vobis. His subjicit: *Estote igitur imitatores Dei, ut filii dilecti, & ambulate in dilectione.* In qvibus verbis est: Admonitio generalis, cum adjuncta causâ, & specialis. *Generalis*: qvod debeamus DEI, qvantum per imbecillitatem humanam licet, vestigiis insistere. Ille fuit χρηστὸς Tit. 3, 4. ἔυσπλαγχνος Hos. 11, 8. Ps. 103, 8. & 13. hoc est, ad gratis benefaciendum hominibus cupidus, tam in malis auferendis; qvam in bonis conferendis: idqve ex ardentissimo amore & interno cordis affectu, ob qvem ipsa amoris σπλάγχνα commoveantur. Iccirco hoc exemplum intuentes: γίνεσθε, vulgò *estote*. Si vim vocis spectes, & rem ipsam significantius dixeris: *Fitote*, ut indicetur: semper esse nostram perfectionem, seu cum DEO conformationem in fieri, in hac vita. *Fitote imitatores*, de continuo actu, ex qvo seqvitur habitus, possumus accipere: qvia semper debemus huic imitationi sedulò incumbere. Atqve ita major emphasis est, ac si diceret: μιμεῖσθε imitamini. Qvodnam verò demum exemplar imitandum hîc proponitur? Alibi ministros verbi imitari jubemur, Phil. 3, 17. 1. Corinth. 4, 16. 2. Thessal. 3, 7. & 9. Hebr. 13, 7. alibi Ecclesias DEI. 1. Thess. 2, 14. alibi constantes DEI confessores. Hebr. 6, 12. Hîc hîc verò Dominum ipsum omnibus illis superiorem. qvomodo à terra planè ad cœlum cogitationibus nostris jubemur *elevari*. Causa huic admonitioni subjecta est, *ut filii dilecti*; ubi particula ὡς iterum notat rei veritatem: ut alibi probatum, 1. Cor. 4, 1. Et hæc est dilectio, nostri respectu, *passiva*, qvæ in nos cœlitus profiscisci tur, qvatenus DEUS nos ad sui imaginem creavit, ad eandem per suum filium restauravit, & sua bona nobis hæreditario jure promittit. Hinc verò oritur admonitio specialis: *Et ambulate in dilectione.* Scriptura officii partes obire vocat, *ire & ambulare*, ut declaratum est: Ps. 1, 1. & in pietatis cursu progredi; cũ DEO vel corã DEO ambulare. Gen. 5, 22. & 17, 10. 1. Reg. 8, 25. *Ambulare* igitur *in dilectione* est, unumqvemqve

qvemqve ſtationem ſuam obſervare, atqve ad metam currere, ne qvenqvam lædat; proſit omnibus, obſit nemini; & id faciat, qvod vult alios ſibi facere.

Loc. Comm. I.

NAturâ non ſumus boni: ex gratia ſimus, ſi modò non repugnamus. Errant igitur Pontificii, qvi, hominem poſſe ſe ad gratiam Dei ex merito congrui parare aſſerunt. Mortua Joſephi oſſa in terram ſanctam non ibant; ſed ab aliis deportabantur. Et nos in peccatis mortui ex nobis non poſſumus ad cœlum properare; ſed requiritur, ut prius oſſa noſtra à Dei Spiritu vivificentur. Qvalis qvidam exſuſcitationis ex calamitatibus typus eſt, Ezech. 37.

II. Loc. Comm.

DEus ut infinitus eſt; ita & ejus attributa; qvæ ab eſſentia non differunt. Nos tamen vult, qvos ad ſui imaginem olim creavit, ſibi denuò aſſimilari, pro modo humanæ naturæ convenienti. Sanctus eſt; nos vult eſſe ſanctos, Levit. 19. Perfectus eſt; nos jubet eſſe perfectos, Matth. 5. Miſericors eſt, nobis miſericordiam mandat Luc. 6. Ubi non notatur æqvalitas; ſed qvædam certa ratione conformitas, cui dum ſtudebat David, Vir ſecundum Cor Dei evadebat, Actor. 13.

III. Loc. Comm.

FIlios decet imitari parentes bonos, qvod niſi fecerint, degenerant & exhæredantur. De dilectione verò, qvomodo debeamus patrem noſtrum in ea imitari, vide Matth. 5, 44. & 55. Joh. 13, 34. & 15, 12. 1. Joh. 3, 23. & 4, 21. Atqve ita non tantùm verbo, ſed etiam exemplo ſumus θεοδίδακτοι, 1. Theſſ. 4, 9. ut diligamus alii alios. Lux ſe ſemper diffundit in omnia loca, ubi non ponitur obſtaculum, & radii ab ea profluentes ſe invicem non impediunt, verùm juvant. Deus lux eſt, & in luce inacceſsâ habitat; nos ab eo accipimus bonitatis qvosdam radios; illos iterum ad communem utilitatem conferamus.

IV. Loc. Comm.

MUlti incipiunt qvidem amare; ſed paulò poſt ſubſiſtunt & nolunt porrò progredi, Qvibus dicitur: Ambulate. Et ut ſemper

apparet, qvando qvis ambulat; ita etiam non diligamus tantùm ore; sed & opere: non simulatè; sed in rei veritate. Joh. 8. non per horam; sed totam vitam: sicut CHRISTUS suos dilexit, εἰς τέλος Joh. 13, 1.

SECUNDA PARS.

HUjus exemplum jam porrò inculcatur in tribus: Dilectione, sui traditione, & Patris placatione. 1. *Qvemadmodum & Christus dilexit nos*, miseros, perditos, inimicos, deformes, Rom. 5. Ezech. 16. Cant. 1. Dilexit ardenter & constanter: ut patet 2. *Et tradidit semetipsum pro nobis*. Nos lege astricti, apud DEUM primum in Adamo manere nolebamus, & porrò ab eo recedentes convertere nos, ob pravitatem nimiam, non poteramus. Ipse, sponte suâ, venit, & se tradidit, Psalm. 40. Hebr. 10. Nemo poterat ipsi vi eripere animam; ipse pastor fidelis, pro ovibus eam libenter posuit, Joh. 10. Ipse morte dignum nil fecit, Luc. 23, 15. cùm nec iniqvitas in ore ejus inventa sit, Esa. 53, 12. Sed pro nobis, qvod ipse non rapuit, exsolvit, Psalm. 69, 5. Pro nobis omnibus, qvi peccaveramus, & debita contraxeramus, hoc est, pro toto genere humano, 2. Cor. 5 15. Hebr. 2, 9. Deniqve qvo fine & eventu? Nos ereptum DEI honorem iveramus in Adamo, Gen. 3, 5. qvando volebamus esse Dii. CHRISTUS contrà se tradidit προσφορὰν, oblationem, offerens suo pretioso sangvine λύτρον pro totius mundi peccatis. 1. Petr. 1, 18. & 19. Atqve ita expiavit illum nostrum raptum suâ humiliatione, Phil. 2, 7. 8. Qvia se obtulit ut victimam, qvando Vita pro Mundo moriebatur, & Agno redimebat oves: Atqve ita suo corpore tandem finem, omnibus reliqvis umbris, victimis ac sacrificiis in V. T. imposuit, Heb. 9, & 10. Hic est finis: eventus etiam optimus: *In odorem bonæ fragrantiæ, DEO se obtulit*, in cujus conspectu omnes homines horribiliter fœtebant. Scripturæ stylo, abominabiles, inviſi, exosiqve erant, ut res fœtidæ. Qvod ad phrasin: Confer Gen 34, 30. Exod 5, 21. 1. Sam. 13, 4. & cap. 27, 12. 2. Sam. 10, 6. & cap. 16, 21. Qvod ad rem: Ps. 14, 13 Confer Rom. 3, 10. 11. Psalm 38, 6. & qvæ dicta sunt Amos 5, 21. CHRISTUS autem solus fuit odor DEO gratus, ob qvem futurum, reliqva in V. T. placebant oblata sacrificia, & ob qvem factum jam sumus patri reconciliati, Rom. 5, 10. 11.

Loc.

LOC. COMM. I.

CHRISTUS moriens pro nobis, charitatis in proximum exercendæ nobis reliqvit exemplum, Joh. 13,15. & 34. 1.Joh.3. Qvem verò CHRISTI exemplum non movet, hunc nihil excitare potest. Gideon tantùm suis dicebat: *Ut videtis me facere, facite*, Jud.7, 17. Isti statim seqvuntur ducem & reportant victoriam. Noster Salvator toties inculcat per suos ministros, & non imitabimur illum? Hic est, per qvem datur victoria, 1.Cor.15,57. 1.Joh. 5, 4. & 5. Si autem hoc est verorum CHRISTI discipulorum γνώρισμα, *diligere se invicem*, Joh.13,35. qvam pauci erunt illi Joh.13,35. Multorum utiqve lampades, id est, opera sine fide, extingvuntur, cum venit sponsus, Matth. 25. Hic est ille sponsus, qvi nimio amore nostri langvet: Nos igitur in amore mutuo torpere non decet.

II. LOC. COMM.

CElebrentur apud Ethnicos Decius & Curtius, qvi pro salute patriæ (ita enim persvadebat Diabolus incredulitatis filiis) se in mortem conjecerunt. Etiam à filio suo efferatur Gideon, qvod pro populo Israëlitico pugnans abjecerit animam suam procul, Jud.9, 17. Laudetur Jephtha, qvod pro popularibus suis exposuerit vitam suam in manu sua, Jud.12, 3. extollatur laudibus factum Davidis, qvod pro Israëlitis contra Goliathum pugnans suam vitam in manu sua exposuit, 1.Sam.19,5: Apud nos sit semper CHRISTI memoria recens, cujus longè majus in nos extat beneficium, qvi DEUS pro hominibus, purissimus pro immundissimis; pulcherrimus pro malè deformatis; deniqve ipse justissimus pro injustis est mortuus, morte tetrâ & horrendâ. Si Judæi magno cum Jubilo celebrarunt qvotannis diem, qvo sibi liberationem per Estherem factam in memoriam revocarent, Esth.9. multò justiùs nos singulis diebus CHRISTI nostri Salvatoris memoriam recolimus, 2.Tim.2,8. ut qvisqve dicere verè possit:

Sum memor ipse DEI: sit memor ille mei.

Confer 1.Macc.7,49 Nos etiam vicissim simus illi, qvi non ita amemus animas, ut mortis periculo pro CHRISTO se objicere nolimus, Apoc.12, 11.

LOC.

III. LOC. COMM.

SAcrificium in V.T. oportebat esse sine maculâ: CHRISTUS erat sine omni labe. In specie huc potest referri Agnus paschalis, isq; cum CHRISTO comparari, 1. Cor. 5, 7. Si autem CHRISTUS tale obtulit sacrificium, etiam Christiani videant, ut qvantum possunt, imitentur hoc sui Domini exemplum: se ipsos victimam DEO consecrent, & jam mortui mundo, DEO vivant ac suo CHRISTO, Gal. 2, 19. & 20. & c. 6, 14.

IV. LOC. COMM.

NOs, qvum nostra bona opera, ob inhærentem imperfectionem coram DEO ex se non placeant, ex CHRISTO bonam illis mutuemur fragrantiam, & statuatur oratio nostra coram DEO, ut suffitus & elatio manuum ut munus vespertinum, Psal. 141, 2. Confer Exod. 29. & 30. qvò Regius Propheta respicit. Si sic ambulaverimus in charitate, ut filii dilecti: sciemus etiam, qvod simus ad vitam æternam electi, 2. Petr. 1, 4. & 10.

DOMINICA LÆTARE.

Gal. 4, 28.

Ἡμεῖς δὲ, ἀδελφοὶ, κατὰ Ἰσαὰκ, ἐπαγγελίας τέκνα ἐσμέν.

NOs autem, fratres, secundùm Isaac promissionis filii sumus.

1. REg. 1. Adonia, qvi tamen erat major, & jure naturæ regnare debebat, qvandoqvidem erat Absolomi jam mortui frater ex Chaggitha natus, cum regnum invadebat, regno exuitur, & ex decreto DEI ac promissione patris juramento confirmata, substituitur Salomo ex Bathsabæa susceptus. Possumus illud hoc modo accommodare. Diabolus, qvi etiam nolens volens cogitur dicere: Dominus meus est Jehova, qviqve hujus mundi, jam ex DEI concessione, aliqvis Dominus est, dum regnat in impiis 2. Cor. 4, 4. erat prior creatus qvàm homo, Job. 38, 4. & 7. & si in bonitate

nitate concreatâ perstitisset, cum reliqvis sanctis Angelis, æterna regni cœlestis felicitate frui poterat. Sic etiam hypocritæ & operibus suis confidentes, tanqvam major filii prodigi frater, potiores jure videntur, qvi regnum cœlorum occupent. Verùm, hi omnes, qvum regnum DEI temerario ausu invadant, DEOQ; qvam debent obedientiam præstare nolint, imò nec possint, regno excidunt; Ex decreto verò DEI æterno, Eph. 1, 4. ac promissione patris cœlestis juramento confirmata, Ezech. 33, 11. Omnis pius, qvi est velut infans Matth. 11. in verum Salomonem CHRISTUM Mich. 5, 5. Matth. 12, 42. credens, ad regni cœlestis hæreditatem admittitur, Rom. 8, 17. Ut ille, nullo suo merito aut nativitatis splendore: Ita neqve hic ullis operibus aut sua sanctitate nixus. Id Apostolus eleganti Allegoria Gal. 4. à v. 22. usq; ad finem cap. declarat. Nos ejus summam ex vers. 28. In his verbis; *nos secundum Isaac sumus filii promissionis*, & in ea, hæc duo contemplabimur:

I. Allegoriæ brevem explicationem.
II. Ejus ad nos applicationem.

PRIMA PARS.

QVando Paulus jam satis doctrinam de justificatione hominis coram DEO gratuita, firmis argumentis ex scriptura desumptis, confirmasset, eamq; similibus aliqvot illustrasset; tandem Allegoriâ concludit eleganti à c. 2. v. 16. ex c. 16. 18. & 21. Genes. Considerandæ sunt in ea, unus Pater, duæ matres, duoq; filii. Abraham ex Hagar ancilla Ismaëlem; ex Sara libera Isaacum gignit; illum ex naturæ vi ordinariâ: hunc vigore promissionis & ex solâ gratiâ: illum tandem ejicit: hunc hæredem omnium bonorum instituit. Hæc est πρόθεσις. Ἀπόδοσις verò ista: Sic DEUS omnium pater, Mal. 2 duo Testamenta, (qvæ hîc ratione pactorum attenduntur) condidit. Legale: & Evangelicum: illud extra terram sanctam ad montem Sina, hoc in eâ, ad montem Sion. Ex his velut matribus diversis, diversi Abrahamo gignuntur liberi. Ex lege, secundum carnem Judæi operibus suis confidentes; ex Evangelio, secundum gratiam & promissionem, in CHRISTUM credentes. Qvorum illi ex regno DEI ejiciuntur; hi hæredes vitæ æternæ instituuntur. Ibi maledictio: hîc benedictio: ibi servitus; hîc libertas: ibi sunt piorum persecutores; hîc filii & hæredes. Hagaræ nomen

notat montem Sinai; Saræ autem principatum; Isaac risum. Sic qvi sunt ex Hagar & lege, manent extra terram sanctam, in deserto, ubi nulla consolationis & gaudii aqva; ubi horrida tentationum & desperationis dumeta, & tandem projicientur eò, ubi fletus erit & stridor dentium Matth. 8, 12. Qvi autem sunt ex Sara & Evangelio, Salomonisq;, qvi est princeps pacis, fratres, in ipsa Hierosolyma sunt, & militante, & postea etiam triumphante, Apoc. 21. & 22. Actum super omnes inimicos suos tenebunt principatum 1. Corinth. 15. & cum Isaac Matth. 8, 11. in cœlis æternum gaudium ac risum obtinebunt, Joh. 16. Interim, ut Hagar erat naturâ fœcunda; ita Lex semper plures habet filios, qvàm Sara ex promissione unicum pariens, qvæ naturâ erat sterilis, & vi divinæ promissionis fœcunda reddebatur. Sic etiam, qvi naturâ sunt mortui ad bona opera, Ephes. 2. qvemadmodum Saræ uterus ad gignendum, Rom. 4, 19. & ita steriles; vi promissionis gratiâ ditantur. Conf. Rom. 11, 17. Joh. 15, 1. Hæc est Allegoriæ Paulinæ brevis explicatio. Ex qvâ hos Locos Communes eruimus.

Loc. Comm. I.

LUtherus monet, & res ipsa svadet: Allegorias per se non probare; nisi sint in Scriptura expressæ, ideoq; ad probandum ne adducantur, nisi tum cum satis res est confirmata. Valent tamen ad populum movendum & excitandum, ac illud, qvod aliàs vel dicendum est apertè, vel jam perspicuè explicatum, illustrandum. Undè monent nonnulli, primò in initiis concionum posse aliqvâ adferri, ut auditores allecti, dum expectant plures similes accommodationes, rem ipsam discant: deinde ubi auditores videntur frigere; & sic in conclusione alicujus Loci Communis: & deniq; sub finem, ut ita cum hilaritate aliqvâ dimittantur. Non tamen hoc semper & ubiqve observandum; verùm pro re natâ. Cùm igitur qvasdam Scriptura habeat: peccant qvi omnes damnant, & errant, qvi illis tantum semper insistunt.

II. Loc. Comm.

DEus verè potest dici & אַבְרָהָם, pater multarum gentium, qvia omnes creavit, & vocavit, & אַבְרָהָם, id est, pater misericordiæ, qvia omnes in filio dilexit, 2. Cor. 1, 3. Confer Ps. 103, 8; Mal. 3, 17. Es. 49, 15. Jerem. 31, 20.

III. Loc.

III. LOC. COMM.

LEx non salvat, nempe homines perfectè eam non servantes. ἀδυναμία enim salvandi Legi tribuitur, non simplex vel absoluta; sed accidentaria, ob carnem nostram, Rom. 8, 3. Evangelium autem salvat credentes. Moses non poterat introducere populum in terram sanctam, ad qvam adduxerat. Josuæ verò erat hoc demandatum, qvi etiam feliciter tantum negotium expediebat: & ita typum nostri JESU gerebat optimum, Hebr. 4, 8.

IV. LOC. COMM.

CHristiani nō naturæ ordine gignuntur; sed supernaturali regeneratione fiunt, ob promissionem datam: qvemadmodum Sara vi naturæ parere non poterat, per ætatem & suam sterilitatem. Expende Joh. 3, 5. Vanum igitur illud est, qvod Calviniani asserunt: Sanctorum liberos ex nativitate suâ esse spiritualiter coram DEO Sanctos. Nisi enim opera Saræ accedat seu Ecclesiæ, qvæ est verè Regina ob sponsum suum Regem CHRISTUM Ps. 45. liberi non fiunt, ut Paulus hîc declarat, vid. cap. 5. v. 1. & indicat, qvando dicit: ipsam matrem piorum, Hierosolymam supernè à DEO venire, ac superna curare. Id enim notant verba ἡ δὲ ἄνω Ἱερουσαλήμ. Confer Col. 3, 1. & 2. Qvi igitur terrena tantùm sapiunt, ipso facto declarant, se nondum esse hujus matris filios veros ac genuinos. Vide ibidem v. 5. Unde liqvet, non hîc intelligi Ecclesiam in cœlis triumphantem; sed adhuc in terris militantem, in qva sunt Verbum, & Sacramenta Regenerationis ordinaria media.

SECUNDA PARS.

REgina Sabæ accedebat ad Salomonem probatura cum ænigmatibus; ille verò ad qvæstiones omnes ejus accuratè & expeditè respondet, 1. Reg. 10, 2. 3. Nos ad CHRISTUM meritò accedimus, ut audiamus ex eo cum discipulis parabolarum explicationes, Matth. 13. Luc. 8. ut alibi, ita etiam hîc; ubi legatum suum Paulum mittit, & per illum nos erudit. Seqvitur igitur jam hujus Allegoriæ ad nos facta applicatio, de qva sonant illa verba: *Nos autem*, qvi eramus qvondam ἄθεοι & gentes, DEUM ignorantes, (qvippe Galatæ provinciæ minoris Asiæ incolæ,) Eph. 2, 12. *Fratres*, qvi jam ad verum DEUM conversi eum omnes invocamus, ut filii, & in CHRISTO fratres Spirituales facti

cti cum Paulo, natione Judæo, 2. Cor. 11, 22. Phil. 3, 5. *secundum Isaac*, qvi non naturæ vi ordinaria, sed ex promissionis gratia natus est Abrahamo, exclusóqve Ismaële, solus omnia bona patria hæreditario jure occupavit, *promissionis filii sumus:* tales, qvi ex gratia supernaturali renati, cœlestiúmqve bonorum hæreditate donati, per CHRISTUM, illud promissum semen benedictum, Gal. 3, 14. 15. 16.

LOC. COMM. I.

IN Vet. Test. præcipuè & solenniter, etiam miraculis adjectis apud Judæos verbum prædicabatur, Ps. 76, 1. & 147, 19. ac 20. In N. autem T. in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines Orbis terræ vox eorum, Rom. 10, 18. Unde in V. T. tantùm unum tabernaculum vel templum DEI erat, idq; qvando jam Jerosolymis prodierat Evangelii doctrina, Esa. 2. Mich. 4. in initio Novi Testamenti devastatum & funditus eversum nunqvam reædificari potuit, testibus historicis: ne qvis amplius in illis externis hæreret; sed ad DEUM, qvi ubiq; tum prædicandum curavit Evangelium, se converteret, Act. 17, 30. ipsiq; templum cordis inhabitandum concederet, 1. Cor. 6, 19. Confer, qvæ Stephanus dicit Actor. 7, 46. Et hoc etiam indicatum est, qvando Christo moriente, (qvippe ejus meritum morte factum erat toti mundo offerendum) velum templi scissum est, Marc. 15, 38 Heb. 9, 2. 3.

II. LOC COMM.

NOS, dum dicit Apostolus, esse filios, eosq; intelligit, qvos iterum parit cum dolore, usqve dum Christus formatur in illis, v. 19. Videmus, ministros verbi esse patres qvosdam spirituales, qvi ministerialiter suam operam CHRISTO accommodantes per verbum, 1. Petr. 1, 23. & Sacramenta, Joh. 3, 3. & 5. Tit. 3. & 5. homines regenerent, 1. Cor. 4, 15. Illis igitur libenter, ut patribus, obediamus, Hebr. 13, 7. & 17. aliàs futurum, ut, qvemadmodum Ismaël patri ac matri inobediens ejiciebatur: ita & nos ex regno gratiæ excludamur, & in regnum gloriæ nunqvam admittamur.

III. LOC. COMM.

SI omnes pii sumus fratres; unum habemus patrem in cœlis: Matth. 6, 9. unam matrem in terris, Gal. 4, 26. Omnes sumus fratres Christi, Joh. 20. Ps. 22. DEI hæredes; & Christi cohæredes, Rom. 8, 17.

Dum

Dum autem sumus in via, ne inter nos fratres sit contentio. Confer. Gen. 13, 8. & c. 45. v. 24. Matth. 5, 25.

IV. LOC. COMM.

SI secundum Isaac sumus filii DEI, ex DEI patris charitate, etiam secundum eundem ambulemus in pietate, ut tandem cum eo hæreditario jure simus semper in patris nostri felicitate: cum eo nos DEO victimam offerri patiamur, & crucem nostram, sicut ille lignum, portemus, dum montem Moriam, hoc est, timoris Jehovæ ascendimus, Gen. 22. Psalm 15, 1. patrem nostrum Adamum primum, cum Christo mortuum in Baptismo sepeliamus, Gen. 25, 9. Rom. 6, 4. Cum Philistæis, hoc est, Diabolo ac mundo pugnemus, Gen. 26. 2. Tim. 4, 7. & 8. Hæc enim omnia ille ex fide fecit, qvem oportet nos seqvi, ut verè simus secundum Isaac, id est, ipsi similes.

V. LOC. COMM.

SI filii promissionis sumus, hanc semper spectemus & firmiter teneamus: siqvidem etiam filii dicuntur in scriptura alicujus rei, cui sunt dediti, vel qvâ sunt præditi. Hîc autem præcipuè illud notetur; qvod ex svavi promissionis, non gravi præceptionis verbo simus geniti. vid. init. c. 3. Credamus igitur DEO promittenti: & olim lætabimur cùm eo lętitiâ ingenti Ps. 16, 11. & 17, 15. Ut enim reliqvis incredulis Israëlitis, qvi putabant, DEUM non posse ipsorum hostes extirpare, in deserto prostratis, Josua & Caleb, credentes DEI promissioni in terram sanctam sunt admissi, Num. 13. & 14. cap. Sic nos credentes in cœlestem patriam traducemur.

DOMINICA JUDICA.

Hebr. 9. v. 12.

Χριστὸς δὲ δι' αἵματος τράγων καὶ μόσχων, διὰ δὲ τοῦ ἰδίου αἵματος εἰσῆλθεν ἐφάπαξ εἰς τὰ ἅγια, αἰωνίαν λύτρωσιν εὑρόμενος.

CHristus neqve per sangvinem hircorum ac vitulorum: sed per proprium sangvinem ingressus est semel in sancta, æternâ redemtione repertâ.

2. SAm. 23, 20. celebratur Benaja filius viri strenui, de Kabzeele, qvod descendens percusserit qvendam leonem, in medio cisternæ tempore nivis. Christus multò rectiùs laudabitur, qvòd ipse filius DEI unigenitus & proprius, joh. 1, 18. & 3. 16. Rom. 8, 32. (id enim sonat nomen hebræum בְּנָיָהוּ id est, filius DEI omnipotentis) Matth. 16, 16. maximus rebus gestis in creatione, humani generis reparatione, miraculorum multitudine; bonitatis ac benevolentiæ magnitudine, qvod è Capzeele, hoc est, si nomen interpreteris, ubi יְקַבֵּץ אֱלֹהִים congregat Deus suos sanctos, Angelos & homines, ex cœlesti beatitudine descendens percusserit Diabolum, leonem illum infernalem, 1. Petr. 5, 8. in medio cisternæ seu inferni, ubi nulla limpida consolationis aqva, Zach. 9, 11. idqvè tempore nivis & grandinis iræ divinæ. Psal. 18. qvando DEUS, propter peccatum, generi humano erat infensus, suóqve favore illud non fovebat, neqve hoc, erga ipsum, amore ardebat, qvando jam omnis refrixerat pietas. Illud hoc loco declaratur per comparationem sacrificiorum Veteris Test. cum sacrificio uno ἐφαπαξ Jesu Christi: Nos in tres partes dividimus v. 12. explicaturi

I. Sacrificiorum V. T. umbratilem pluralitatem & imbecillitatem.
II. Victimæ Christi unitatem.
III. Hujus infinitam efficacitatem. (tem.

PRIMA PARS.

LOthi anima justa, de die in diem, injustis operibus aliorum, qvibuscum habitabat, torqvebatur, 2. Petr. 2, 7. & 8. donec tandem cœlitùs missi Angeli eum eduxerunt, & ab incendio liberarunt. Gen. 19. Nos injusti, ob nostra ipsorum opera mala, in æternum eramus torqvendi; nisi Angelus ille Jehovæ increatus veniisset, nosq; suo sangvine redemisset ab incendio inferni perpetuo: nosqve ita, ejus justitia amicti veri Lothi, (radit לוּט operuit, obvolvit, denotat) evasissemus, ex Es. 61. sub finem, & sub ejus alis, Psal. 91. Matth. 23, 32. latitaremus. Es. 26, 20. Hoc beneficium Autor Epistolæ ad Hebræos cap. 2. valdè exaggerat, & in eo totus est, ut ostendat; non superfuisse ullum alium liberationis modum, nisi illum, qvi per Christum inventus est ac præstitus. Christus igitur adveniens in V. T. per varias umbras ac figuras præmonstratus, anxiéq; à Patribus

bus expetitus & desideratus, Hagg. 2. in Novo autem exhibitus. Gal. 4. v. 4. Est enim per Prophetas, 1. Reg. 19, 16. Reges, 1. Reg. 10. v. 1. & Sacerdotes unctos Exod. 29, 29. adumbratus, & cum Mose, Heb. 3. Aarone & Josua, c. 4. Melchisedecho c. 7. comparatus, longè præstantior illis, istis & hisce omnibus est. Hic igitur adveniens, qvia perfectior sacerdos, etiam perfectiorem victimam offerre debuit, non per, aut cum sangvine vitulorum & hircorum ad DEUM accessit, sicut Pontifex in V. T. De hircis legatur inprimis c. 16. Levit. Vide etiam c. 4, 9, 23. Num. 7, 28. 29. 2. Chron. 29. Esdr. 6. & 8. De vitulis Levit. 4. & 8. Numer. 29. Esdr. 6. & 8. Psal. 50. & 51. Mich. 6.

LOC. COMM. I.

IN V. T. erat tempus umbrarum, Col. 2. v. 17. Hebr. 10, 1. respectu corporis, qvod erat Christus: erat tempus noctis, Rom. 13. respectu diei N. T. dispellentis tenebras. V. T. Luc. 2. v. 32. Act. 13. v. 47. 2. Petr. 1. v. 19. Esa. 29. v. 18. c. 42. v. 16.

II. LOC. COMM.

HIrci mactati, pro peccato populi, inter alia id innuebant: nos coram DEO fœtere, qvemadmodum hirci coram hominibus sunt odoris minùs grati, & esse tàm lascivos, impudicos, petulcos, ut ipsi inter oves apparent. Qvi igitur vult DEO offerre gratam victimam, occidat hircum, semetipsum abneget, suámqve frenet libidinem. Sicuti verò illa victima per se non poterat placare DEI iram; ita nec nostra opera; placent tamen per Christum, ut illa sacrificia per fidem oblata. Secus qvi fecerit, olim inter hircos damnandus consistet. Matth. 25, 32. 33.

III. LOC. COMM.

VItuli mactati inter alia etiam hoc denotabant: nos debere libenter DEO nostro inservire; qvemadmodum vituli sive juvenci domiti suis heris egregiam præstant operam. Confer Levit. 3, 3. Psal. 51, 21. Os. 14. 2. Hebr. 13, 15. Non autem simus refractarii, ut vituli indomiti Jer. 50. 11.

IV. LOC. COMM.

JAcob qvidem putabat Esavum posse placari, si ipsi dono offerat aliqvot hircos, vitulos, aliasqve pecudes. Gen. 32. & 33. c. Verùm, DEUS non curat ista dona, cùm omnia ipsius sint, Psal. 50, 9. & 10.

Qvid

Qvid igitur offeres? Mich. 6, 6. & 7. Nihil aliud, nisi hoc, ut exerceas jus, & ames benignitatem, modestéqve ambules cum DEO tuo, ibidem vers. 8. qvæ tria Lutherus ita effert: **Glauben / Lieben / Leiden.** Triplicia dona Salomoni dedit Regina Sabæ, 1. Reg. 10, 2. Aurum, lapides pretiosos, & aromata. Nos pro auro erga Deum fiduciam; pro lapidibus pretiosis erga proximum φιλανθρωπίαν· pro aromatibus in nobis ipsis preces, & Christianam patientiam. Confer 1. Petr. 1, 7. Apoc. 21, 19. & 20. Psal. 141, 2.

SECUNDA PARS.

His igitur in V. T. usitatis, jam in N. sublatis, qvibusnam instructus accessit Christus? Resp. *Per suum ipsius ac proprium sanguinem intravit* Christus θεάνθρωπος. Ut enim esset æqvivalens pro peccatis totius mundi λύτρον, oportebat esse infinitam personam, & proinde DEUM. Ut autem pro homine satisfieret, oportebat esse Hominem. Atqve ita DEI incarnati tamen proprius sanguis peccata omnia expiavit. Actor. 20, 28. Nos omnes à DEI conspectu, ob peccatum, eramus rejecti, Es 59, 2. At is intravit & accessit, nobisqve per eum iterum ad patrem paratus est aditus. Intravit enim in Sancta, in qvæ semel qvotannis Pontifex maximus ingrediebatur, infra v. 25 & sup. v. 7. pro omnium peccatis & sui ipsius offerens sanguinem, Levit. 16, 2. Ille singulis annis; atqs ita sæpiùs: CHRISTUS verò semel tantùm; qvia illi imperfecti cum suis donis, hic perfectissimus perfectissimam obtulit victimam.

LOC. COMM. I.

UT homo mortuus in peccatis posset deinceps vivere, Deus fudit suum sanguinem, Act. 20, 28. & autor vitæ est occisus. Act. 3, 15. ô immensam DEI Patris misericordiam, hanc victimam mundo donantis! Johan. 3, 16. ô infinitam dilectionem filii se pro mundo tradentis! Eph. 5, 2. Mater vera malebat suum filium totum alteri dare, qvàm permittere ut dissecaretur vivus, 1. Reg. 3. Et Deus Pater, cujus in filium unigenitum & dilectissimum infinitis parasangis ardentior amor, suum filium, ex gloria in miseriam ac ignominiam; ex vitâ in mortem tradit, 1. Joh. 4, 9. & 10. qvæ est summa hujus amoris ergà nos commendatio, Rom. 5, 8.

II. Lo-

II. LOC. COMM.

NOs cum Adamo eramus ex paradiso ejecti, Gen. 3. nec intrare poteramus cœlũ. Christus, Leo ille de tribu Judâ, vincens mortem & diabolum, rediménsqve nos DEO suo sangvine, Apoc. 5, 5. & 9. ipse habet clavem David, atqve aperit, ita ut nullus claudat cœlum, Apoc. 3, 7. & 1, 18. Accedant igitur ad suum clavigerum Petrum Pontificii: Nos ad hanc salutis petram Christum. Nos neqvidem ad DEUM poteramus accedere, qvippe ignem consumentem, Deut. 4. Confer Exod. 19, 16. & 8. Aditum prohibebant legis fulgura. Christus verò ad patrem accedens, eúmqve reconcilians fecit, ut audeamus accedere Eph. 1, 7. & cap. 2, 13. & cap. 3, 12. Indicatum hoc est, qvando in ipsa cruce pendens latroni Paradisum aperit, Luc. 23. Jonathan frustra apud Patrem pro Davide intercedebat, 1. Sam. 20. Noster Jonathan, is qvem Jehova nobis dedit, hoc est, Christus, nos in gratiam & locum, in qvo ante lapsum eramus, restituit. Si modò credamus, & cum fiducia ad thronum gratiæ accedamus, futurum est, ut hujus gratiæ reddamur participes.

III. LOC. COMM.

VErè est sanctus ille locus, ubi DEUS sanctissimus habitat, Es. 6, 2. & seq. & eò nemo sine sanctitate Christi imputata & sua inchoata potest pertingere, Hebr. 12. Qvi igitur Christianus Christum suum intrantem in sancta vult seqvi cum Mose Exod. 3. & Josuâ, Jos. 5, 15. meminerit exuere calceos, hoc est, pravos affectus, de suis pedibus, hoc est, scripturæ stylo, in operibus vocationis, tum communis, qva Christianus est; tum peculiaris, qva in hoc vel illo vitæ genere. Ut enim calcei, ratione materiæ, sunt ex corio detracto animali mortuo, idqve si naturaliter erat extinctum, cadaver vocabatur, Deóqve erat olim abominationi. Ita etiam vitia, in officii nostri partibus, ex nostra imperfectione coram DEO fœtent, præcipuè, si sumus in peccatis mortui. Deinde ratione usus. Calcei multo luto & aliis fœtidis sæpè commaculantur; sic etiam homines in hoc mundo viventes in cogitatis, dictis, factis.

IV. LOC. COMM.

SI CHRISTUS semel tantùm est ingressus in Sancta; non qvotidiè DEO Patri offerendus est in Missa, ut nugantur Pontificii. Ita

enim differt hæc victima ab aliis omnibus V. T. qvod unica sufficiat, pro omnibus totius mundi peccatis, 1. Joh. 2, 2. Hebr. 10, 14. de qvo in parte jam tertia ita dicitur:

TERTIA PARS.

Æternam *redemptionem inveniens* seu acqvirens. Redemptionem vocat λύτρωσιν. atqve ita innuit λύτρω interveniente hanc ῥύσιν seu liberationem esse factam, non per potentiam; sed justitiam, in qvâ DEO satisfiebat per pretium: ut non tantùm simus redempti, verùm etiam eruti. Confer 1. Corinth. 6, 20. & 7, 23. Apoc. 5, 9. & 10. 2. Petr. 2, 1. & 1 epistola cap. 1, 18. qvo etiam pertinet vox περιποιεῖσθαι, Actorum 20, 28. 1. Thessal. 5, 9. *Æternam* autem eam dum dicit, ad omnes illas populi Israëlitici liberationes, in Veteri Testamento ab hostibus divinitus factas, digitum intendit; qvæ vel diuturnam vel parum stabilem tranqvillitatem attulerunt. Vid. Exod. 12, 14. Jud. 2, 3, 4, 8, 10, 11, 12, 15. capitibus, Esdr. 1. Hæc verò nullis est temeranda malis, qvando semel in cœlis suum habuit complementum. Æterna etiam appellatur, ratione infiniti meriti, qvod non tantùm ad omnes omnium ætatum homines in mundo spectat; verùm etiam æternum bonum parit. Invénit autem illam & acqvisivit solus CHRISTUS, qvia nulla creatura illud consilium mirandum invenire, nedum immensam iram placare, justitiámqve parare poterat. Qvod verò invenire apud Hebræos notet consequi, patet ex his locis: Proverb. 1, 13. cap. 18, 22. & 3, 10. Matth. 11, 29. Rom. 4. v. 1. 2. Tim. 1, 19.

I. LOC. COMM.

Si est hæc nostri liberatio non tantùm ῥύσις; verùm etiam λύτρωσις: Errant Photiniani, qvi putant, CHRISTUM tantùm exemplo suo nobis præmonstrare, qvomodo deceat cœlum adire. Neqve enim CHRISTUS unqvam fuit ex se captivus in manu hostium ut nos; Luc. 1, 74. neqve sine morte hominis innocentis, pro nocentibus satisfieri justitiæ divinæ poterat, Gen. 2, 17. Unde CHRISTUM capi & ligari oportebat, ut nos captivi & ligati solveremur. Matth. 26. Moses per DEI potentiam, injustè detentos Israëlitas ex crudeli servitute educere poterat sine λύτρω, qvia nihil

hil debebatur tyranno. CHRISTUS non item; qvia justitiæ DEI sine morte satisfieri non poterat. Gen.2,17. Rom.1,32.

II. LOC. COMM.

Si est æterna redemptio: qvid laborant Pontificii frustra huic sufficientissimo merito assuere alias inutiles & imperfectas hominum satisfactiones, qvæ dispensantur per indulgentias? Contrà notamus, CHRISTUM solum esse portam, per qvam justi ad JEHOVAM intrant, Ps.118,20. Joh.10,9. & 14,16. Cœci & claudi domum Davidis ingredi prohibebantur: 2.Sam.5,8. Cœci; qvi ad CHRISTUM fide non respiciunt; & claudi: qvi suis affectibus seducti, in duas partes; vel suis viribus nixi, ad cœlum properant claudicantes, DEI Regiam æternam non intrabunt, 1.Reg.18,21. Joh.9,41. 2.Petr. 1,9. 1.Joh.2,11. 2.Cor.4,4. nisi hi rectè inceperint ingredi, Heb.12,13. Mich.4,6. Zeph.3,19. & illi oculos sibi patiâtur aperiri, Es.61,1. Luc. 4,18. Qvid Calviniani audent ejus meriti & satisfactionis vel sufficientiam, vel universalitatẽ negare? Omnibus principibus ac servis Ahasverus parat convivium, Esth.1,13. DEUS omnibus hominibus offert hoc filii meritum, Luc.14. Matth.22. Qvid sibi præsumit Diabolus homines ad desperationem adigere, hâc objectione? Ecce diuturnam tuam peccandi consvetudinem: Responderi enim huic potest: Ecce, Satan, æternam Christi redemptionẽ! Rom.5,20.

III. LOC. COMM.

CHRISTUS invénit hanc redemptionem, ut nos inveniremus gratiam & DEI dilectionem: Vide & expende loca, Gen.6,8. & 18,3. & 19,19. Exod.32, 12. Num.11,15. Prov.28,23. Luc.1,30. CHRISTUS nostrum fœtorem sua fragantiâ, Eph.5,2. nostram injustitiam suâ justitiâ, 2.Cor.8,1. nostram iniqvitatem sua innocentia. Es.53. nostram prævaricationem legis observatione, Matth. 5,17. nostram maledictionem sua benedictione, Gal.3,13. nostram injustitiam sua justitia, 2.Cor.5,21. nostrã deniq; miseriam sua sustulit gloriâ. Joh.1,14. & 16. Hanc semper suspiremus, ad hanc strenuè properemus, ut tandem partam beatitatem occupemus.

DOMINICA PALMARUM.

Phil.2,5.6.7.8.

Τοῦτο γὰρ φρονείσθω ἐν ὑμῖν, ὡς καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ· ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ· ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε, μορφὴν δούλου λαβὼν ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος· ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν, γενόμενος ὑπήκοος μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ.

IS enim affectus sit in vobis, qvi fuit & in CHRISTO JESU: qvi cùm esset in formâ DEI, non rapinam arbitratus est, ut esset æqvalis DEO; Sed semetipsum inanivit, formâ servi sumptâ, in similitudine hominum constitutus, & figurâ repertus ut homo. Humilem præbuit semetipsum, factus obediens usqve ad mortem, mortem autem crucis.

JOsephus, jam DEI decreto immutabili constitutus Ægypti Prorex, uti constat ex somniis duobus divinitus immissis, Gen. 37, 7. & 9. qvæ pater probè observabat, v. 11. prius non tantum venditur, v. 28. sed etiam servit & in carcerem conjicitur, Gen. 39. Inde verò tandem gloriosè educitur, & Proregis dignitate ornatur: ibidem, & cap. 41. atqve ibidem gignit optimæ spei filios, v. 51, 52. Qvemadmodum in multis aliis, ita in his Josephus cum Christo rectè potest comparari. Illo nato, dicit mater: Addat mihi Jehova filium alium: nos per CHRISTUM filium hominis natum reddimur filii DEI adoptivi. Illo nato, Jacobus abit in terram patriam: Nos Christo nobis dato, à Labanis infernalis seu Diaboli tyrannide liberi, in cœlum possumus reverti. Vide Gen. 30, 24. 25. Confer Joh. 1, 11. 12. 13. Idem Christus, qvà homo, in formâ DEI & majestate existens, cuiqve data erant in tempore omnia, Matth. 11, 27. Joh. 3, 35. seipsum exinanivit ac humiliavit, à suo discipulo venditur, pro nobis DEI Patris fit servus, Esa 53, 1. & doloribus mortis,

tis constringitur, Psalm. 22. Inde verò eluctatus gloriâ ac honore coronatur. Vide Psal. 8, 6. & 7. Hebr. 2, 6. 1. Cor. 15, 27. Ecclesiæ Rex ac Dominus constituitur, in qva gignit, per verbum & Sacramentorum usum, spirituales liberos, qvi ipsum imitentur. Eph. 5, 2. Hæc duo, ὕστερον πρότερον, ex c. 2. Epist. ad Phil. 2. tractabimus. (Tertium, de majestatis usu, ratione plenaria alii reservantes tempori) visuri:

I. Christi summam humilitatem.

II. Nostram cum eo præscriptam conformitatem.

PARS PRIMA.

IN priori parte hæc membra sunt consideranda: *1. Qvis? 2. Qvid habuerit? 3. Qvid eo facere voluerit? 4. Qvamdiu & qvousq;?*

DE primo tenendum, Apostolum hîc agere de Christo θεανθρώπῳ, secundùm naturam humanam. Ad ejus enim facta, velut exemplar jubet respicere, qvi fuit in formâ DEI, qviq; se humiliavit & mortuus est, qvæ de tota personâ, verùm ratione naturæ humanæ dicuntur, unde etiam nomina illa duo personæ ei hîc tribuuntur, nempè CHRISTI JESU, de qvibus jam sæpè. De secundo ita loqvitur Apostolus: *Qvi in formâ DEI existens.* Forma DEI hîc non notat ipsam DEI essentiam: sed majestatem illam divinam, qvæ exterius incurrit in oculos, seq; revelat per opera. Qvamvis enim multi hoc loco ipsam essentiam divinam per illam intelligant; tamen Lutherus, & ex eo alii, nosqvè cum illis ita non accipimus. Ut enim taceam, qvod formæ vocabulum in N.T. nunqvam pro essentiali formâ usurpetur: potest hoc ita probari. (1.) Ut accipitur forma servi, ita forma DEI hoc loco. Propositionis veritas constat; qvia oppositorum eadem est ratio. Sed illa non notat essentiam. E. neqve hæc. (2.) Ea forma hîc intelligitur, qvæ cadit in sensus: siqvidem jubemur humilitatem in ea, ceu lucidissimo speculo, contemplari. Non autem essentia divina cadit in sensus: E. nec intelligitur per formam. (3.) Esse in formâ DEI, differt ab eo: Esse formam DEI. CHRISTUS secundùm divinam naturam est ipsa forma DEI. Est enim juxta divinam naturam splendor Patris, character hypostaseos ejus. E. secundùm divinam naturam non est in formâ DEI. Christus homo verò erat in formâ DEI, qvando

do per Unionis gratiam habebat omnia illa verè divina dona; qvæ Filius DEI habebat per naturam. Habebat igitur Christus homo Majestatem divinam, non à se; sed per unitum Λόγου: non τῇ ὐσίᾳ, ut ille, sed ἐξουσίᾳ: non τῷ εἶναι, sed τῷ ἔχειν καὶ λαβεῖν. Non igitur fit exæqvatio naturarum, proprietatum, voluntatis, operationum, majestatis. Vide Hunn. de Personâ Christi. Et id notant verba illa: τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, Esse DEO æqvalem, in æqvali majestate, vi unionis personalis, existere. De tertio porrò hæc dicit Apostolus: *Non rapinam arbitratus est*, seu duxit; non insolenter usurpavit, aut se eo ostentavit, qvum optimo jure posset; qvemadmodum contra illi raptores, qvia aliena pro suis venditant: *sed exinanivit seipsum*, tempore statûs humiliationis illam communicatam majestatem plerumqve occultavit, & ratione operis, seu usurpationis, se sponte abdicavit, cùm esset in illâ DEI formâ omnium rerum Dominus, Joh. 13, 3. & 13. *Servi formam*, statum ac conditionem pro nobis *accipiens, erat in similitudine hominum* aliorum miserorum, qvi ipsi peccatorum suorum pœnam ferunt, similis, inqvam, in multis calamitatibus, non detrectans pro nobis subire omnes infirmitates humanas, qvæ post lapsum totam speciem humanam comitantur, ac dicuntur naturales: Hebr. 4, 15. Ut pati, mori, esurire, sitire, defatigari. Ne qvis verò cum Marcionitis, Manichæis, & qvibusdam Anabaptistis hinc concludat: E. Christi humana natura fuit tantùm spectrum, similis formâ externâ hominibus, non verus homo; explicat porrò Apostolus, qvæ dixerat: σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, *in conversatione inter homines* gessit se, affectibus, gestibus, & totius vitæ actionibus, non qvasi esset aliqvis ultra sortem reliqvorum hominum exemptus, sed qvasi filius hominis, & vulgaris homo de grege mortalium, sine peccato tamen semper; qvemadmodum Græcum vocabulum, σχῆμα & συσχηματίζεσθαι, usurpari in Scripturâ alibi probatum est: ut ita neqve inde humanæ naturæ veritas possit negari. De qvarto ita subjicitur: *Exinanivit seipsum.* Ad tempus usum majestatis plenarium suspendit, ac interrupit. Cur verò? Ut posset pati ac mori *pro nobis, factus obediens usqve ad mortem; mortem autem* maximè tetram & horrendam, nempe *crucis.* Qvæ omnia in historiâ passionis completa, prolixè recensentur, & prædicta in Psal. 22. & cap. 53. Esaiæ leguntur.

Loc.

LOC. COMM. I.

SI hoc loco agitur de Christo θεανθρώπῳ, & jam incarnato, non est hæc humiliatio λόγῳ, qvâ dignatus est carnem humanam assumere: Sed hæc est illius fundamentum, qvæ describitur pasſione, crucifixione & morte.

II. LOC. COMM.

ADamus primus cupiebat esse Deus, per raptum: Adamus secundus, hoc est, Christus homo, in unitate personæ est DEUS, & non per raptum; ut ita in hoc recuperemus, qvod in illo amisimus, 1. Cor. 15, 49.

III. LOC. COMM.

EXinanitio, seu evacuatio hæc consistit *in abdicatione majestatis*, qvam demonstrare poterat filius hominis, *non in ipsâ communicationis idiomatum spoliatione*, sicut illud κενόω & κενὸς, de actus secundi usus & operationis negatione, usurpari solet, 1. Corinth. 15, 10. 2. Corinth. 6, 1. 1. Corinth. 1, 17. 2. Corinth. 9, 3. Sicut David fugiens & Saulem & Absolonem, non se, ut Regem ostentabat, qvi tamen verè Rex constitutus erat: Sic (si magna licet componere parvis) Christus, *in statu Exinanitionis*, Rex erat, Johan. 18, 36. 37. & qvidem omnipotens, Matth. 11. Joh. 13, 3. non tamen ut Regem, sed ut servum, Esa. 53, 11. propter nos, se gerebat.

IV. LOC. COMM.

QVod ad substantiam hominis, Christus fuit verus homo: qvod ad qvædam mala accidentia, videlicet miseriam & peccatorum pœnas, similis erat hominibus tantùm, dum pœnam eorum portabat, & ipsa expiabat, verè peccator in se non erat, Rom. 8, 3. 2. Cor. 5. v. ult. Hebr. 4, 15.

V. LOC. COMM.

MOrtem, & qvidem crucis adire Christum nostrum, ἰκέτην καὶ μεσίτην, Hebr. 5, 7. 1. Timoth. 2, 5. oportebat; qvia mortem DEUS erat comminatus, Genes. 2, 17. homini transgredienti legem, eamq; ex justitiæ merito infligebat, Roman. 6, 23. Roman. 1, 32. ex ligno

ligno & arbore cæperat peccatum; in ligno crucis fuit illud expiatum. Homo à Deo aufugerat: Christus ut filios DEI dispersos colligeret, brachia distenta in cruce habet ad amplectendum, Joh. 12, 32, 33.

VI. LOC. COMM.

SI exinanitio durat usqve ad mortem crucis; Descensus CHRISTI ad inferos, qvi postea contigit, ad statum exaltationis pertinebit; uti habet form. Concord. Art. 9. & probari potest ex Joh. 19, 30. & 1. Cor. 15, 54. 55.

SECUNDA PARS.

HÆc igitur CHRISTUS habuit, & ita illa direxit ad nostram salutem: Qvia verò decet discipulum seqvi suum magistrum; audiamus porrò, qvid ipse proclamet: Matth. 11, 29. *Discite ex me, qvia mitis sum & humilis corde.* Idem Apostolus his verbis inculcat: Idem adfectus sit in vobis, qvi fuit & in CHRISTO JESU. Exemplar seu typus, qvem imitemur, hîc iterum CHRISTUS nobis proponitur, sicuti supra ex Epistola ad Eph. 5. v. 2. audiebamus. τὸ *hoc ipsum*, nempè: non tàm sua qværere, qvàm qvæ sunt alterius, v. 4. Sicuti Christus non venit in mundum, ut qværeret suam gloriam; Joh. 7. & 8. verùm patris, qvi ipsum misit, non ut ipsi ministraretur; sed ut ministraret Matth. 20, 28. Hoc ipsum igitur vos Christianos decet, ut idem ille pius adfectus & inserviendi promptitudo, & Christi magistri & ducis vestri beneficio, *gignatur in vobis* supernaturaliter: cum natura ad invidiam & lites sitis proclives. In vobis non à vobis. Id enim puto emphaticè notari Græcis verbis, φυτεύθω ἐν ὑμῖν, passivè usurpato vocabulo, qvod alias vix apud sacros aut prophanos authores ita constructum reperies, ut iterum indicetur, nostram ἱκανότητα esse ex DEO, 2. Cor. 3, 5. non ex nobis, qvasi ex nobis ipsis.

LOC. COMM. I.

OMnia nostra dicta & facta sunt ad Christi exemplum exigenda, is dilexit genus humanum; nos diligamus proximum: Is fuit humilis; nos ne simus superbi: Ille fuit patiens; nos ne evadamus in cruce impatientes. Hoc enim sentire debemus, qvod Christus. Salomon multos, qvi ab ipsius partibus non steterant, sustulit,

1. Reg.

1.Reg.2. Christus, qvi ipsum nolunt seqvi, neqve hîc pro suis fratribus & amicis, neqve in alterâ vitâ pro cohæredibus agnoscit, Matth. 10,38.39. Luc.22,28.29. Joh.15,14.15. Rom.8,17.29.

II. LOC. COMM.

IN rebus spiritualibus, ex nobis nihil qvicqvam possumus sine Christo: Joh.15,5. sine DEI gratiâ præveniente, Psal.79,8. & consequente, Psal.23,6. Unde Paulus non sibi, sed gratiæ DEI, qvæ cum ipso est, tribuit, qvicqvid boni effecit, 1.Corinth.15,10. DEUS enim est, qvi operatur in nobis & velle & perficere, Phil.2,13. Mephibosceth à Davide in patria bona restitutus, & ad regiam mensam admissus, agnoscens tantum beneficium exclamat: 2. Sam. 9, 8. qvid est servus tuus, ut respexeris ad canem mortuum, qvalis ego sum? Nos multò rectiùs ita exclamemus, qvi fuimus in conspectu DEI fœtentia mortuorum cadavera; & tamen per Filium in gratiam recepti, & ad DEI mensam in hâc, 1. Cor.10,21. & alterâ vitâ, Matth. 8,11. admittendi.

III. LOC. COMM.

IN nobis dum vult Apostolus esse eundem affectum, sensum, mentem ac sapientiam, qvæ fuêre in Christo: id monet, demus operam mediis, per qvæ in nobis restauratur illa DEI imago, nempe, verbo & Sacramentis: qvæ sunt regenerationis nostræ organa, ut ita in mente sapientia; in voluntate sanctitas ac justitia, omnesq; virtutes, à toto homine reqvisitæ, in nobis existere incipiant. Hæc est nostra cum Christo procuranda conformitas, qvam seqvitur tandem æterna beatitas, 1.Sam.14,14. Jonathan antecedit, & armiger ejus seqvens post illum occidit; sic coram illis hostes cæsi cadunt, ac Israëlitæ libertate potiuntur optatâ: Ita etiam nos seqvamur ac imitemur nostrum Jonathanem, simus ejus armigeri, qvi arma ab ipso data libenter gestemus, Ephes.6. Ita facilè per eum vincemus, Joh. 5,4.5. 1.Corinth.15,57. præcipuè, si omnia mala cum Christo crucifixo in nobis crucifigamus, mortificemus, Roman.8,13. Gal. 5,24. affectusq; nostros, qvod hîc monuit Apostolus, domemus ac cohibeamus.

FERIÆ I. PASCHATOS.

1. Cor. 5. v. 7. 8.

ΕΚκαθάρατε ἓν τὴν παλαιὰν ζύμην, ἵνα ἦτε νέον φύραμα, καθώς ἐστε ἄζυμοι. Καὶ γὰρ τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη Χριστός. ὥστε ἑορτάζωμεν, μὴ ἐν ζύμῃ παλαιᾷ, μηδὲ ἐν ζύμῃ κακίας καὶ πονηρίας· ἀλλ' ἐν ἀζύμοις εἰλικρινείας καὶ ἀληθείας.

EXpurgate itaqve vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis infermentati. Nam & Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. Itaqve festum celebremus non in fermento veteri, nec in fermento malitiæ & versutiæ, sed in panibus fermento carentibus, hoc est, sinceritate & veritate.

ACHan filius Charmi, contra gravissimum DEI mandatum, aliqvid rapit de bonis anathemate devotis: qvamobrem Israëlitæ coram hostibus cæduntur, donec ipsum, cum suis omnibus lapidibus obrutum igne combusserunt in valle Achor, atq; ita malum de medio sui sustulerunt, Jos. 7. Adam filius vineæ seu Paradisi DEI, id est, si Hebrææ lingvæ idiotissimum explices, in ea constitutus, contra DEI gravissimam comminationem Gen. 2, 17. de arbore vetitâ cum uxore poma decerpit, Gen. 3, 6. atqve ita interdictum DEI violans hostibus suis Diabolo, morti & inferno traditur, cum totâ suâ posteritate, Rom. 5. & hinc ille vetus homo omnis mali autor igne est consumendus, lapideq; obruendus, id est, per Spiritûs Sancti (qvi in ignis formâ venit ad Apostolos, Actor. 2. & ignis nomine aliqvando in Scripturâ venit, Luc. 12, 49.) & Christi, qvi est salutis petra, Psalm. 118, 22. Esa. 28, 16, 1. Petr. 2, 6. & 7. gratiam opera carnis mortificemus, Roman. 8. in valle Achor per crucem & calamitates, qvas DEUS nostro bono immittit nobis, & hoc modo ipse complet, qvod dixit

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730469042/phys_0142
DFG

dixit apud Prophetam Os. 2, 15. daturus sum vobis vallem Achor pro foribus spei, ut, qvemadmodum cùm eò pervenerant Israëlitæ, mox in plenariam possessionem terræ sanctæ immittebantur: sic etiam pii in hâc valle miseriarum cruce purgati habeant hanc pro foribus spei, qvæ eam gignat, Roman. 5, 2. 3. 4. dum certi sunt, qvòd diligentibus DEUM omnia aliqvid conferant ad bonum, Rom. 8, 28. ut ita veteri homine mortificato novus cum Christo resurgat, Rom. 6. Hoc est, qvod singulis diebus, potissimùm verò his Paschalibus feriis, qvando de Resurrectione Dominicâ ejusq; fructu agitur, est considerandum, & ab Apostolo paucis qvidem, sed illis emphaticis verbis inculcatur. Nos partes hujus dicti faciemus duas: Qvarum erit

I. Nostra præparatio:
II. Agni nostri paschalis mactatio & manducatio.

PRIMA PARS.

CUm Jonâ navigantes non priùs sentiebant maris oriri tranqvillitatem, qvàm ipse esset in mare ventremq; ceti projectus, Jon. 1. Sic totus mundus procellis & fluctibus iræ divinæ agitatus non ante furorem Domini placatum esse sentit, qvàm Jonæ antitypus Christus, Matth. 12. esset in cruce occisus, ac in ventrem terræ reconditus, unde tamen tertio die, sicut ille, emersit. Uterqve igitur cùm fuerit κάθαρμα; ille ob suam iniqvitatem; hic ob alienam: videamus, qvid inde deducat noster Apostolus. Dixerat hactenus in qvatuor primis capitibus, inter Corinthios esse labes; in doctrinâ sectas; in moribus scortationem & incestum, cap. 5. Hæc verò mala, ut tollantur, graviter monet, qvod nisi fiat, futurum est, ut plures illis corripiantur, qvemadmodum tota massa fermento parvo inficitur, qvemadmodum eundem Jambicum senarium in Græco textu Galat. 5, 9. repetit: qvia observationem & notatu facilem, & factu utilem continet. Idcircò cùm nec bona sit illa nostra gloriatio, & una morbida facta pecus totum corrumpat ovile, ἐκκαθάρατε, expurgate, sicut festo appetente ædes & templa everritis, ac purgatis à sordibus: ita multò magis Ecclesiam & vestra corda futura DEI templa, 1. Cor. 6, 19. purgetis, lavando corpora & verrendo vestes, videte, ne in vos qvadret, qvod Salvator dicit Matth. 23, 25. 26. vos exteriora purgatis hypocritæ: purgate priùs, qvod est intra, ut id qvoqve, qvod est extra, purum

rum fiat. Estne verò hoc adeò necessarium? omninò. Κάθαρμα in vobis, qvo nisi abjecto toti peribitis, & omnes. Confer 1. Corinth. 4,13. ubi inspice Lutheri marginalem glossam, ut scias, qvid sit κάθαρμα. *Expurgate* igitur *fermentum vetus*, & circa vos scandala jam indicata avertite, & intra vos vestra peccata, pravas concupiscentias & affectus cohibete, ne in effectum prorumpant, *ut sitis nova massa, qvemadmodum etiam estis vos panes fermenti expertes.* Per massam intelligit totam Ecclesiam; per azymos singulos homines pios. Qvemadmodum enim ex pluribus granis fit massa, & ex hac multi panes, vel collyræ: ita in una Ecclesia sunt multi pii. Alludit verò Apostolus his verbis ad veteres Paschatos ceremonias. Olim enim hoc celebraturis, non licebat panibus fermentatis vesci, adeò ut impurus haberetur ac indignus, qvi Pascha comederet, si qvis fermentum degustâsset illo tempore azymorum, Exod. 12,15. Hæc jam ad usum nostrum transferemus in Locis Communibus, qvorum

I. LOC. COMM.

SEmper in Ecclesiâ sunt scandala, Matth. 13, 38. 41. & oportet esse inter verè credentes etiam hæreses, 1. Corinth. 11, 19. qvia Diabolus mala suggerere, & homines ex propria malitia ei obedire non desinunt: qvibus causis in actu positis, seqvitur ex necessitate conseqventiæ hic effectus. Non igitur cum Donatistis, Anabaptistis, aliisq; similibus veteribus & recentibus hæreticis statuendum, illam esse tantùm veram Ecclesiam, qvæ nullos malos habeat admixtos. Contra qvos agit Articulus VIII. August. Confess. Probant hoc Scripturæ (1.) Testimonia, Actor. 20, 30. 1. Corinth. 15, 34. Philip. 2, 15. 1. Johan. 2, 19. (2.) Exempla Abelis & Cain, 1. Johan. 3, 12. Noæ & prisci mundi, Lothi & Sodomæ, 2. Petr. 2, 5. 6. 7. Isaaci & Ismaëlis, Roman. 9. Galat. 4. Sic Ecclesiæ Romanorum, Rom. 16. 17. 18. Galatarum, Galat. 1. 3. & 4. capp. (3.) Parabolæ explicatæ magnæ domus, in qvâ vasa aurea & testacea, 1. Timoth. 3, 15. 2. Timoth. 2, 20. Agri proferentis triticum & zizaniam, Matth. 13. v. 47. Nuptiarum, qvas benè & malè vestiti accedunt, Matth. 22, 10. & 12. Vineæ frugiferas & steriles vites ferentis, Esa. 5, 2. Jerem. 2, 2. & cap. 12, 12. Apoc. 14, 15. Palmitum in vite arescentium & virescentium,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730469042/phys_0144
DFG

tium, Johan. 15, 1. Ovilis, in qvo oves & hirci, Johan. 10, 1. Unde Bernhardus: Tria sunt loca, cœlum, terra, infernus, & habent singula suos habitatores. Cœlum solos bonos: infernus solos malos: terra mixtos. Cùm Israëlitæ egrederentur ex Ægypto, multa turba miscellanea se eis adjunxit: Sic etiam in Ecclesiâ reperitur turba mixta, Exod. 12, 37. 38. & sicut illa eos tandem seduxit, Num. 11. vers. 4, ita etiam mali bonis in Ecclesiâ permisti sæpissimè sunt his scandalo.

II. Loc. Comm.

DOcentur hîc ministri verbi, Qvis sit verus excommunicationis usus, & qvando illa demum adhibenda? nimirum erga planè refractos & corrigi nescios illud fulmen est emittendum, Matth. 18. v. 17. etiam auditores admonendi, ut caveant à talibus, ne inficiantur, 2. Johan. vers. 10. & 11. Lotus Sodomæ non erat immunis ab injuriâ, Genes. 19. David in aula Saulis nunqvam erat tutus; semper hoc agebat hic, qvomodo illum transfigeret, 1. Samuel. 19. Ita etiam pii cum impiis præter necessitatem viventes minùs sunt securi, qvippe qvorum etiam sermo sæpissimè depascit ut Gangræna, 2. Timoth. 2, 17.

III. Loc. Comm.

PEccatum est valdè abominandum qvid in oculis DEI: & nisi qvis ab eo per Filii sangvinem, 1. Johan. 1, 7. sit purgatus, ad DEUM accedere non potest: Genes. 19. Sacerdotes in Veteri Testamento prohibebantur attingere res immundas & mortuas, Lev. 21. Sic nos Sacerdotes Novi Testamenti, Apoc. 1, 6. fugiamus immunditiem ac opera mortua, Hebr. 9, 14.

IV. Loc. Comm.

PEccatum cum fermento confertur variis modis, qvòd sicut hoc totam massam; sic illud pervadat totam naturam humanam: ut hoc facit turgere; sic etiam homines peccatores sunt superbi, contra DEUM suum nefariè rebellantes. Sicut hoc erat exædibus rectè celebrantium Pascha ejiciendum: sic peccatum ex cordibus hominum: qvod alii pluribus explicuêre. Addi possunt illa

loca, ubi fermenti usus in oblationibus interdicitur, Levit.2,11.& cap. 6,16. Deut.16,3. Sic grandioribus peccatis non possunt vacare, qvi cupiunt à DEO exaudiri, Joh. 9, 31.

V. LOC. COMM.

AZymi igitur sunt illi Christiani, qvi seipsos expurgant per DEI gratiam, ut sint vasa ad gloriam sanctificata, & Domino utilia, 2.Timoth.2,21. in qvibus nullum fermentum malitiæ aut neqvitiæ. Infirmitas qvidem aliqva semper remanet; videndum tamen, ne ea in malitiam veteratoriam aut neqvitiam, qvâ delectemur, nostris malis, degeneret. Israëlitæ etiam manna nimis, & non pro Sabbatho accumulantes, hoc tantùm effecerunt, ut vermes inde nascerentur, Exod.16. Sic homines, qvi etiam multa bona opera habent, si ea non pro DEO faciunt, & ad ejus gloriam referunt, aut si cum illis unicum flagitium volunt continuò servare, illa omnia computrescunt, fermentoq; neqvitiæ acescunt, nec DEO gratus panis fiunt; manna autem, qvod pro Sabbatho reponebatur, non producebat vermes: Sic etiam opus, qvod ex fide ad DEI laudem & proximi utilitatem fit, manet, neqve merces ejus perit. Qvod ut obtinere possemus, Christus ita concipiebatur, ut Spiritûs Sancti operatione peculiari omne peccati fermentum ex massâ sangvinis Mariæ eximeretur, & hanc puram assumeret, illud repudiaret: ut scribit Lutherus in cap. 38. Genes.

SECUNDA PARS.

HActenus præparatio: qvæ verò recta festi hujus celebratio? qvi delitiarum in nostro Paschate apparatus? audi Apostolum. *Nam & Christus* Agnus ille DEI, Johan.1. per omnia sacrificia Veteris Testamenti adumbratus, Hebr.9. &10. *qvi est Pascha nostrum*, seu Agnus à nobis comedendus, jam antè est *mactatus*, & qvidem *pro nobis*, qvibus meritò erat moriendum, ut ὑπὲρ ἡμῶν hoc loco idem sit, qvod vice, vel loco nostro. Confer Rom.5,7. &8. θύεσθαι autem, qvod ex Hebraismo noto, ubi זָבַח non tantùm significat sacrificavit; verùm etiam mactavit ad sacrificium, Genes.31,54. vel alium in usum, 1. Samuel.28,24. 1.Reg.19,21. denotet hoc loco mactari, velut ex his locis constat, Matth.22,4. Joh.10,10. Luc.15,23. Act. 10,13. Marc.14,12.

Loc.

LOC. COMM. I.

PRæter doctrinam de eo, qvod Christus per aqvam paschalem in Veteri Testamento fuit adumbratus, qvod non tantùm hîc expresse innuitur, verùm etiam Johannis 19,36. declaratur, notandum.

II. LOC. COMM.

QVòd cùm Christus dicatur mactatus, sola humana natura non sit mortua, ut volunt Calviniani: sed DEUS in carne passus, uti loqvitur Petrus 1. Epistolâ cap. 4,1. DEUS suo sangvine acqvisivit Ecclesiam, Actor. 20,28.

III. LOC. COMM.

QVòd pro nobis Christus satisfecerit, & id exsolverit, qvod nos debebamus, mortem subierit, qvam nos meriti eramus, ut liberati de manu hostium ipsi vivamus, v. 8. Luc. 1,74.75.

IV. LOC. COMM.

COnsiderabimus convenientiam Agni paschalis nostri cum eo, qvi sub Veteri Testamento erat, & nostram cum Israëlitis comparationem ex cap. 12. Exod. instituemus.

1. Erat *agni puritas*. Illi agnum anniculum & immaculatum ad hunc usum destinabant; nos habemus Agnum DEI inculpatum & incontaminatum, 1. Petr. 1,19. in qvo nulla labes, nulla macula, Esa. 53,12.

2. *Ejusdem mactati, assati & comesti integritas*: Siqvidem neqvè os ei erat comminuendum, nec qvicqvam in crastinum relinqvendum. Ita etiam Christo nostro os nullum est comminutum, Joh. 19,36. & totus cum suo merito est fide apprehendendus & applicandus, ut qvisq; eum rectè noverit, duas ejus naturas, personam unam, & officium triplex, neqve naturas divellat cum Nestorio, neqve easdem confundat cum Eutyche, neqve etiam tàm diu moretur eum fide comedere, dum illud manè alterius diei irrumpat, Psal. 49,15. hoc est, unicuiqve dies ultimus & extremi diei gustus prænuncius, ut qvisqve hic dicat cum Thomâ, Johan. 20. Dominus meus & DEUS meus! cum Paulo Gal. 2. Christus se tradidit pro me: qvemadmodum in Veteri Testamento unusqvisqve paterfamilias pro se agnum paschalem mactabat.

3. *Agni qvarto die ante mactationem separatio*: Sic Christus die Palmarum separatus à mundo novâ pompâ se offert mactandum, Johan. 12,12. & sicut ibi vesperi fiebat agni jugulatio: Sic Christus sub

huius

hujus mundi vesperam, Genes. 49. Daniel. 9. Galat. 4. est in ara crucis occisus.

4. *Ejusdem ad ignem assatio.* Sic enim noster Agnus paschalis est torrefactus ardore iræ DEI, Deuter. 4,24. Psalm. 21,10. Zachar. 13,19. suiq; erga nos amoris flamma, Ose. 11,8. & 9. Hæc est brevis collatio agnorum paschalium. Videamus nunc comparationem comedentium.

Notanda hîc est, 1. *Servitutis atrocitas.* Judæi, qvando instituerunt esus atqve ritus agni paschalis, erant servi: Nos verò æternùm perditi, ac servituti æternæ subjecti; unde non nisi per Agnum hunc rectè comestum liberamur, Johan. 8,36. tùm fide spiritualiter, Joh. 6. tùm in Cœnâ sacramentaliter, Matth. 26,28.

2. *Per mediatorem data libertas.* Illi per Mosen educebantur: nos per Christum, Luc. 1,74. Illi ad terram sanctam adducti: Nos, si non subduxerimus nos, Hebr. 10,38. in cœlum introducti, Rom. 8,24.

3. *Adjunctorum utilitas.* Illi adhibebant herbas amaras, Exod. 12,8. Nos tollamus jugum crucis carni qvidem acerbum, Psal. 116,13. Matth. 11,29. 1. Petr. 4,12. Actor. 14,22. bonum tamen, Psal. 119,71. Ut enim illæ herbæ amaræ appetitum excitabant: ita nos afflictiones ardentiùs orare, & propiùs ad DEUM accedere compellunt.

4. *Celebrationis hujus perennitas.* Illî singulis annis durante Veteri Testamento; nos singulis diebus Christi memoriam recolamus, 2. Tim. 2,4. Psal. 34,1. & 103,1.

5. *Profectionis necessitas.* Illi agno comesto primùm ex Ægypto abibant, unde etiam tùm postes januæ agni sangvine illinebant, festinanter comedebant, lumbis succinctis, calceis indutis, & baculis in manibus, domoq; non egrediebantur: Sic nos sangvine agni nostri postes cordis illinamus, Actor. 15. 1. Joh. 1. lumbos accingamus, calceos induamus, Ephes. 6. baculum in manibus teneamus, scipionem puta verbi DEI, Psal. 23,4. festinemus ad DEUM nos convertere, Syr. 5,8. & 18,22. & ex Sodomâ hujus mundi nos proripere, Genes. 19. Luc. 17,32. neqve extra illa Ecclesiæ pomœria nos conferamus: Illa enim est magna DEI domus, in qva sola est salus: sicut tempore diluvii in arcâ Noæ. Et hoc modo etiam illa, qvæ semel à Judæis in prima institutione pro ratione illius temporis ordinata & facta, ad nostrum usum possumus accommodare. Nos igitur nostro agno Paschali come-

comesto ad iter filiorum verorum Israël nos paremus, cogitantes sedulò de viâ Scripturæ purâ, per qvam eundum; de fidei bonorumq; operum viâ, in qva pergendum; deniqve de viâ salutis, ad qvam unicè tendendum. Sic demùm Pascha hîc celebrabimus condignè, & deinceps in cœlo gaudium obtinebimus insigne.

DOMINICA QVASIMODOGENITI, seu prima post Paschatis festum.

1. Johan. 5. v. 4.

ΟΤι πᾶν τὸ γεγεννημένον ἐκ Θεοῦ, νικᾷ τὸν κόσμον· καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ νίκη ἡ νικήσασα τὸν κόσμον, ἡ πίστις ἡμῶν.

QVoniam omne, qvod natum est ex DEO, vincit mundum: & hæc est victoria, qvæ vicit mundum, fides nostra.

JOsua *ab Angelo DEI increato* instruitur, qvî possit urbem Jericho expugnare, nempè si arcam fœderis cum populo seqvens ad buccinarum à Sacerdotibus inflatarum sonitum circumeat civitatem, septimo die vociferando occupet, & cum populo sibi ab anathemate caveat, Jos. 6. Sic nos, qvi à Christo dicti sumus Christiani, Act. 11. ab eodem Jesu ex hujus mundi Ægypto in terram verè sanctam seu cœlum introducendi per Prophetas, Evangelistas & Apostolos hinc inde in Scripturâ monemur, qvomodo possimus Jerichuntem, hoc est, vel sublunaria hæc, vel odorifera & sensibus nostris grata, (potest enim vel à יָרֵחַ id est, luna, vel à רֵיחַ id est, odor, illud nomen proprium derivari) expugnare, siqvidem

Nunqvam bella piis, nunqvam certamina desunt:
Et qvîcum certet mens pia semper habet.

Vide Job. 7, 1. 2. Cor. 10, 3. & 4. Ephes. 6, 11. & 12. 1. Timoth. 1, 18. 2. Tim. 2, 3. 1. Petr. 2, 11. nempè arcam fœderis, super qva propitiatorium, Ecclesiam, dum Christum JESUM ostentat, Rom. 3, 25. semper seqvamur,

& ad buccinas spirituales ministrorum verbi, Esa.58, 1. attendamus, mundum circumeamus, non nos immergamus, aut includi patiamur, ita eo utamur, ut non abutamur, 1. Cor. 7, 29. & 31. ita simus in mundo, ut tamen semper simus in eo peregrini ac viatores, Genes. 47, 9. 1. Petr. 2, 11. Job. 9, 25. Sic septimo die vociferantes, id est, tempore mortis à DEO prædefinito, Job. 14, 5. occupabimus, plenariéq; vincemus ista omnia, si modò interea nobis caverimus ab omni anathemate, à flagitiis grandioribus, ob qvæ DEUS, nisi agatur de illis seria pœnitentia, anathemate æternùm homines dovovet, Matth. 25, 4. 1. Cor. 6, 10. Galat. 5, 19. Ephes. 5, 5. qvoniam talia peccata disterminant inter DEUM & homines, Esa. 59, 2. & malum non potest cohabitare cum DEO, Psal. 5, 5. & 15, 1. Idipsum Apostolus in hoc dicto, 1. Joh. 5, 4. paucis verbis qvidem, sed emphaticis declarat. Nos in eo hæc duo considerabimus:

I. Qvodnam sit fidei subjectum.
II. Qvodnam ejusdem effectum.

PRIMA PARS.

QVi ex Ægypto exibant, non nisi per mare rubrum mirabili DEI ductu in terram sanctam tendere poterant, & qvidem militari ordine, Exod. 13. v. 17. & 18. Nos sumus naturâ in spirituali Ægypto Ap. 11. v. 8. ubi tenebræ occupant mentem, Es. 9, 1. & 60, 1. 2. ac plagæ multæ corpus & animam cruciant, confer Exod. 7, 8, 9, 10. exire inde non possumus nisi per mare rubrum, id est, in comparatione, baptismum CHRISTI sangvine rubentem, 1. Cor. 10, 2. Joh. 13, 18. 1. Joh. 1, 7. Apoc. 1, 5. transierimus, eoq; tincti fuerimus, ubi Sacramentum Domino nostro Zebaoth, Psal. 24. diximus, fore, ut sub ejus vexillo, Exod. 17, 15. strenuè militemus, Rom. 6. Hinc igitur odium mundi satanæq; & pugna existit, in qva cùm multa alia arma spiritualia, de qvibus Eph. 6. reqvirantur, tum inprimis fides est necessaria. Qværimus itaq; Qvinam & unde habent fidem? Joh. respondebit πᾶν τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ Θεοῦ, omne qvod natum est ex DEO. Naturaliter ex parentibus, supernaturaliter ex DEO gignimur. Ibi generamur, hîc regeneramur Joh. 3, 3. Tit. 3, 5. & hic qvidem media à DEO ordinata sunt verbum 1 Petr. 1, 23. & 2. v. 2. & sacramentum initiationis Joh. 3, 5. per qvæ ministri verbi gignunt, Gal. 4. v. 19. spirituales liberos, 1. Cor. 3, 1. & 2. Hebr. 5, 12. & 13. Ex illis

illis mediis ritè usurpatis oritur fides Rom. 10, 17. per qvam evadunt filii dilecti Gal. 3, 26, 27.

LOC. COMM. I.

VErbum & sacramenta sunt efficacia conversionis nostræ media, per qvæ DEUS est potens, ut destruat munitiones, 2. Cor. 10, 4. per Evangelium illuminat, & salvos facit homines, 1. Cor. 1. v. 21. Confer Joh. 7, 20. Actor. 11, 14. vide exempla, Actor. 2, 37. & 8, 35. & 10, 44. & 16, 14. Per sacramenta sua bona cœlestia dispensat, Tit. 3, 5. Act. 22, 16. Refutantur igitur hîc Enthusiastæ vetères ac recentes, qvi illis mediis nihil tribuunt; & Pelagiani, qvi illis non opus esse dicunt, cùm homo suis viribus se posit ad Deum convertere. Qvâ de re vide in Articulo 5. & 13. Aug. Conf.

II. LOC. COMM.

O *Mne* cum dicit Johannes, nihil, nullum vel nullam vult excludere, qvod est contra particularitatem à Calvinianis effictam notandum: qvasi DEUS qvosdam externè saltem regeneret, internè autem & verè illos tantùm, qvos absoluto decreto elegit: Contra qvos nota alibi explicatum dictum Gal. 3, 27. 28. & ita conclude. *Qvicunq; baptizantur, regenerantur. Omnia Ecclesiæ visibilis membra apud nos baptizantur. E.* Sic omnibus bonum semen committitur à DEI ministro, sed non æqvè benè suscipitur aut custoditur Luc. 8. Sicut omnes Israëlitæ Mosen seqventes per mare rubrum in terram seu littus oppositum salvi perveniebant, suffocatis in aqva Ægyptiis, Ex. 14. Qvibus adjungi potest Noachi cum suis miranda sustentatio in arcâ, Gen. 7. & 8. 1. Petr. 3, 2.

III. LOC. COMM.

NUlla major potest esse vel cogitari, qvàm illa est dignitas, qvòd pii sint ex DEO geniti. Ita enim sunt filii & hæredes Rom. 8. Gal. 3. & 4. O beatos, si ita se gerunt, ne ejiciantur cum Ismaële immorigero, scientes qvod ad hoc sint vocati, ut benedictionem hæreditario jure conseqvantur, 1. Petr. 3, 9. Magno qvidem Mosen afficiebat beneficio Pharaonis filia, cùm eum ex aqvis extractum enutriendum curaret & pro filio adoptaret, Exod. 2. verùm longè majori nos DEUS, qvi non tantùm inimicos amavit, sed etiam suâ virtute per verbum & sacramenta regignit, ut ad ipsius imaginem restauremur, æternumq;

beemur. Qvod ut fiat, simus (qvod nomen huius diei dum dicitur *qvasimodogeniti* & *dominica in albis* monet) ut qvasimodogeniti, appetentes lactis spiritualis, 1.Petr.2,2.Hebr.5,13. 1.Cor.3,2. & in sangvine agni dealbemus nostras stolas, Apoc. 7. 14. ut olim coram DEO in albis appareamus, ibidem 13.

1. Albus color in multis rebus est naturalis: sic Christiani sunt simplices.

2. Albus color facilè potest maculari: Sic Christiani possunt facilè peccare.

3. Vt ex albo facilè potest macula aqvâ elui: sic Christiani possunt facile liberari à peccato per CHRISTUM.

4. Albus color longè resplendet: sic Christianorum opera splendeant coram hominibus. Matth. 5. v. 5.

5. Albus color maximè distat à nigro: sic Christianus maximè distat ab eo, de qvo dici potest: *Hic niger est, hunc tu Christiane caveto.*

6. Albus & niger sunt contraria mediata: sic qvidam sunt tepidi, qvidam ὀλιγόπιστοι, alii magnæ fidei.

7. Albus color disgregat visum: sic Christianus modò cœlum, modò terram respiciat, hanc ut caducum bonum: illud ut æternum mansurum.

PARS SECUNDA.

UNde sit nostra Christianorum nobilitas, audivimus: Qvid illa efficiat aut præstet, porrò subjiciamus. *Vincit mundum*, id est, omne malum in mundo, 1.Joh.2,15.16. & qvicqvid à Principe hujus mundi proficiscitur, Joh.12,31. & 14,30. c.16,11. Eph.2,2.2.Tim.2,26. nõ debet amari, coli aut recipi, sed vinci. Si autem vinci debet, necesse est, ut contra id pugnemus: si contrà pugnamus, pro hoste nostro declaramus ac habemus. In Christo autem superiores evadimus. Non enim ita nos vincimus mundum, ut Alexander Magnus, qvi tamen brevi pòst victus est à febri & morte; sed armis spiritualibus, 2. Corinth. 10, 4. Qvomodo ergò victores evadimus? *Supra nos* sustentat DEI charitas, Rom.8, 37.39. *Intra nos* fidei pretiositas, 1. Corinth.15,57. 1. Petr. 1,7. qvo nos impellit, *infra nos* rerum mundanarum vilitas, 1. Joh.2,17. qvæ tria his etiam continentur verbis. Et *hæc est illa victoria, qvæ vicit mundum, fides nostra.* Per fidem solam possumus omnia adversa de-

debellare: qvemadmodum multis exemplis ex Scriptura petitis demonstratur, Hebr.11. Fides verò non est nuda notitia & assensus, siqvidem talis etiam est in hypocritis, Matth.7,21. Actor. 26,27. & Diabolis, Marc.1,24. Jacob.2,19. sed scientia Christi, Esa.53,11. & fiducia, inprimis qvæ nititur DEI Patris misericordiâ, Filii Mediatoris ac Redemptoris benevolentiâ, & Spiritûs Sancti summi Ecclesiæ Doctoris gratiâ, horumq; effectibus, nempè gratuitâ electione, justificatione & salute æternâ. Qvi enim ita credit, salvabitur, 1.Petr.1,3.4.5.7.8.

I. LOC. COMM.

VIta hominis Christiani nil aliud est, qvàm perpetua militia, Job. 7,1. Ephes. 6,12. 2. Corinth. 6,7. Summus Imperator est Christus, Psalm.24. & 46. Ille nimirum, qvi præcesit & eduxit ex Ægypto populum Israëliticum, Exod. 13. & 14. & qvi apparuit Josuæ ut Princeps militiæ Jehovæ, Josu.5. & 6. & Gideoni, Judic. 6. Vexillum est Jehova ipse, Exod. 17. Hostis, totus mundus & Diabolus: Arma describuntur Ephes. 6. Vides igitur esse pugnandum; si succumbis, perpetua ignominia; si superas, glorioſa te manet victoria. Vide, utram malis? Illam facili negotio & ex te ipso habes; hanc cum labore qvidem & afflictione, verùm cum & in Christo præmium & gaudium æternum. Milites Saulis etiam inediâ ferè consumpti fortiter contra suos hostes pugnant, 1. Samuel. 14. & nos pane vitæ saturati manus hostibus imbelles dabimus?

II. LOC. COMM.

SI fides vincit mundum, certum est, qvòd nullum malum, nisi culpæ, seu grande flagitium, volentes possit à DEO separare & superare. Nos autem hæc ita discamus ad nostrum usum convertere; Si te carnis libido titillat, ut peccatum facias; hoc tibi subjice: Fides mea vincit hunc mundum. Ita fides est ὅπλον φυλακτήριον, muniens contra securitatem: ubi habes Christum πρόμαχον, Matth. 4. vel si te post peccatum peractum Diabolus sollicitat ad desperationem: hoc cogita: Fides mea vincit mundum: & ita erit ὅπλον ἀμυντήριον. Si te mors fera terret, perpende: Fides mea vincit mundũ, dum in illum confidit, qvi fuit morti mors, Os.13. 1.Cor.15. mortemq; devicit ac Diabolum, Hebr.2,14. Constantino Magno contra suos hostes pugnanti, apparuit in aëre crux, cum hac inscriptione: *In hoc signo vinces:*

Sic etiam nos semper ad JESUM Christum crucifixum, 1. Cor. 2, 2. fide respiciamus: ita victores erimus. Maccabæi, (qvi inde nomen acceperunt, qvod initialibus vocum Hebræarum literis scriberent, & usurparent hoc Symbolum ex Exod. 15, 11. מכבי, id est, מִי כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהוָה, qvis est par tibi inter Deos Jehova) suos hostes gloriosè devicerunt in nomine DEI veri, sicut & David Goliathum, 1. Sam. 17. Nos simile symbolum usurpantes ex Gen. 49, 10. יָבֹא שִׁילֹה & triumphantes clamemus contra hostes, Jud. 7, 20. Hîc gladius Jehovæ & Gideonis, hoc est, si nomen proprium velis vertere, qvi amputat ac præscindit omnes in nobis ipsis peccandi & in hostibus nocendi occasiones.

III. Loc. Comm.

Cùm dicitur νικήσασα, *qvæ vicit*, monemur nos spe esse salvatos, Rom. 8, 24. & certum esse fundamentum DEI, qvod ut credentes ipsum, sic ipse hos noverit, curet & defendat, velitq; , ut abstineant ab iniqvitate, qvi ipsius militiæ suum nomen dederunt, 2. Tim. 2, 19. hæc spes non pudefacit, Rom. 5, 5. Fidelis enim est, qvi repromisit, Hebr. 10, 23. Ne igitur abjiciamus fiduciam nostram: ita reportabimus æternæ vitæ coronam. Ibidem v. 35. 36. ut enim metam in terra sancta præfixam oculo irretorto semper intuentes Josua & Caleb, promissâ felicitate tandem perfruebantur; reliqvi autem ad Ægyptum identidem respectantes atqve anhelantes in deserto peribant: Sic veri fideles & finaliter perseverantes salvantur, defectores autem intereunt.

DOMINICA MISERICORDIARUM DOMINI.

1. Petr. 2. vers. 21.

Εἰς τοῦτο γὰρ καὶ ἐκλήθητε, ὅτι καὶ Χριστὸς ἔπαθεν ὑπὲρ ἡμῶν, ὑμῖν ὑπολιμπάνων ὑπογραμμὸν, ἵνα ἐπακολουθήσητε τοῖς ἴχνεσιν αὐτοῦ.

SIqvidem in hoc vocati estis, qvoniam & Christus affli-

afflictus est pro nobis, relinqvens nobis exemplum, ut insequeremini vestigia ipsius.

Judic. 9. Abimelech, qvi occidit fratres suos, & postea suum seditiosum populum, amputavit ramos arborum, sublatos humeris imponit, populoq; sibi tùm adhærenti edixit, qvod vidistis me facere, festinanter facite, sicut ego; qvod etiam illi libenter præstant, arcemq; qvam obsidebant, igne succendunt, & cives interficiunt: Sic Diabolus, qvi est Pater, Johan. 8, 44. & Rex impiorum, Princeps mundi & κοσμοκράτωρ, Joh. 12, 31. Ephes. 6, 12. (qvod notat nomen Hebræum, si etymon spectes, אֲבִימֶלֶךְ idq; hûc potest accommodari, qvum unusqvisqvè improbus verè dicat in corde ad Diabolum, hic est *pater meus* & Rex, factis ipsi obediens) occidit fratres suos paulò post creationem, nimirum homines lapsos, mortæ æternâ: & hæc est ejus intentio unica, Omnes posse unà interimere, Apoc. 12, 9. Idem suo imperio subjectos facilè in eam pertrahit sententiam, ut faciant, qvemadmodum ipsum facere viderunt, & studio unanimes arment in prælia fratres; proximum irâ ac odio interimant, Matth. 5. livorisq; ac turbarum igne omnia vastent, Jacob. 3, 5. & 6. Prov. 16, 27. Pudeat ergò Christianos, si non multò majori cum alacritate suum Ducem sequantur, qvi ipsis reliqvit in vita & morte suâ egregium exemplar, qvod omnes vult imitari, Johan. 13, 15. Verùm, huic idem fere contingit, qvod Jothano legitimo Gideonis hæredi, qvem Sichemitæ rejiciebant, ne regnaret super ipsos, etiamsi malum imminens prædiceret, Judic. 9. Sic enim multi homines vel dictitante conscientiâ, & multò magis Scripturâ attestante, scientes, Christum esse Regem constitutum à DEO Patre, Psal. 2, 6. tamen cum Pharisæis nolunt eum super se regnare, Luc. 19, 14. Johan. 19, 15. aut ejus imperio colla subdere, Psal. 2, 3. ideoqvè non est mirum, si æternùm pereant, ibid. vers. ult. Nos autem, qvi speramus, olim per hunc Regem nobis datum iri regnum, Luc. 12, 32. audiamus, qvid à nobis reqvirat per Apostolum: nempè hoc, ut ejus vestigia premamus. Partes dicti erunt duæ:

I. *Christi pro homine patientis tolerantia.*
II. *Christiani DEUM hunc suum sequentis diligentia.*

PARS

PARS PRIMA.

1. SAm.10,26,27. & 11, 12. laudatur Saul, qvòd contemptum sui forti animo pertulerit, qvippe suæ vocationis ad regnum sibi probè conscius: Ita nos qvoq; omnis generis injurias magno spernamus animo, qvod nostræ vocationis ad regnum cœlorum certissima habeamus documenta Matth. 5,12,44,45. Petrus ad id hortatur c.2,19.& 20. nullum esse decus, si qvis merito suo patiatur, sed illud demum magnam apud Deum habere retributionem, si qvis pro bono mali messem metat, nullâ suâ culpâ, neq; esse qvod qvis cum profano Poëta dicat aut cogitet:

Qvæ venit indignè pœna dolenda venit.

Id verò in CHRISTO ostendit. *Qvia & CHRISTUS passus est pro nobis*, CHRISTUS, Filius ille Dei, immaculatus, sanctus, impollutus Hebr.7,26. passus est animi terrores, corporis dolores, à Judæis & gentibus coram Judicio Ecclesiastico & politico, ut ita hic sit qvasi epitome qvædam historiæ pasionis Dominicæ, cujus finis & usus continentur illis verbis *pro vobis*, ut hominum peccata expiaret, & illi sibi partum meritum fide applicarent: Atq; ita Christus est nostrum donum, qvod est præcipuum in toto redemptionis opere: Deinde verò etiam est exemplum, qva de re ita loqvitur Apostolus: *Post se relinqvens*, vel reliqvum post se faciens (qvam puto esse emphasin verbi græci ὑπολιμπάνων) ὑπογραμμὸν exemplar propriè alicujus scripti vel picturæ, qvod proponitur exprimendum discipulis, qvi artem ipsam discere expetunt, in qvod respicientes sua opera conficiant, & ad ejus normam exigant. Hoc loco autem pro ὑποδείγμασι & τύπῳ usurpatur in vita seqvendo & exprimendo à Christianis.

LOC. COMM. I.

DEI viæ & hominum, ut neq; aliàs, ita neq; in hoc conveniunt, Es. 55.v.8.& 9. qvòd primum qvo qvis DEO est dilectior, eò etiam in mundo est afflictior Act. 14, 22. Hebr. 12. ex Prov. 3. 2. Tim. 3, 12. Ezech. 9,6. 1. Petr. 4,17. 2. Maccab. 6. 13. & 14. Ut enim, qvi cum Mose ad Montem Sinai propius accedebāt, ignem etiam magis videbant, fulgura audiebāt; qvàm qvi procul erant remoti: ita etiā, qvi ad Deū verâ fide accedunt, non tantùm fiunt discipuli lucis, sed & crucis. Deindè qvod Deus vult diligi & coli inimicos, qvos mundus odio esse prose qven-

sequendos clamitat Matth. 5, 44. Exemplo hic esse poterunt David & Abisai 2. Sam. 16. cùm Simei malediceret regi exuli, hic mundi ad quasvis injurias excandescentis, ille hominis pii in voluntate DEI acquiescentis præbet exemplum.

II. LOC. COMM.

CHRISTI passio est inspicienda dupliciter, primariò, ut pro mundi peccatis placamentum Rom. 3, 25. deindè, ut piis ad benè vivendum erectum monumentum 1. Joh. 3, 16 & 17. Errant igitur gravissimè, passionisq; mysterium, quantum in se est, evacuant Photiniani, dùm CHRISTUM Salvatorem mundi exemplarem tantùm esse pronunciant, qui ostenderit suâ vitâ & morte viam, quæ ad DEUM duceret. Hoc enim potuisset fieri per angelum, & sine morte; Et quid fiet tùm illis emphaticis scripturæ vocabulis, in hoc mysterio studiosè retentis, nempe λύτρον, ἀντίλυτρον, ἀπολύτρωσις, ἀγοράζειν, περιποιεῖσθαι, כֹּפֶר, item CHristum pro nobis legem impleviſse, factum esse maledictum pro nobis? quæ omnia alibi prolixius declarantur. Reducantur saltem hi ad sacrificia V. T. Christiq; umbras Hebr. 9. & 10. Illa non tantùm Deo consecrabantur, verùm etiam immolabantur, ut vel unus Levitici liber abundè testatur: Atq; ita ut dùm ea offerentes in hunc agnum Dei respicerent, peccata ipsorum verè expiarentur.

III. LOC. COMM.

ERrant tamen & ii, qui ita rationem deputant frustra: Si Christus pro meis peccatis satisfecit, licet mihi pro libitu vivere, & peccatis indulgere, ut Dei gratia abundet, Rom. 6, 1. Nam si Christus passus nobis reliquit exemplar in vitâ imitandum, ut magister noster, Matth. 23, 8. Joh. 13, 23. qui id nolunt in vitâ quantum fieri potest exprimere, se hujus magistri præcepta non magni facere facto declarant ipso, & dum nolunt fieri conformes ejus imagini in piè vivendo, patienterq; crucem ferendo ac miseriam: neq; olim similes ei erunt in regnando & gloriâ, 1. Joh. 3, 2. Luc. 22, 28. 29. Rom. 8, 17, 29. 1. Petr. 4, 13. Qui in aula Regis Pharaonis cum Mose vivebant, nec inde se proripiebant, eligentes potiùs cum populo Dei ignominiam ad tempus perpeti, Hebr. 11, 25. 26. quàm momentaneam voluptatem, & evanidam mundi magnificentiam, posteà tenebris, reliquisq; Ægyptio-

ptiorum plagis involvebantur, & tandem in mari rubro suffocati peribant. Sic etiam qvi de mundo se nolunt segregare, cum eo tandem intereunt, 1. Joh. 2, 15, 16, 17. Veniamus igitur in communionem crucis, ut simus etiam participes olim æternæ lucis: qvi fuimus æmuli pietatis, erimus consortes felicitatis.

SECUNDA PARS.

Huc enim nos nostra vocat electio, Christiq; directio, qvâ de re porrò ita loqvitur Apostolus: *Ad hoc enim & vocati estis*, qvando in Baptismo Sacramentum hujus sanctæ militiæ Domino dixistis, & sub ejus vexillo strenuè vos esse militaturos confirmâstis, 1. Pet. 3, 21. Saul regnum administrans, bellumq; contra Philistæos gerens, si qvem fortem virum videbat ac strenuum, eum sibi adscisebat, 1. Samuel. 14, 53. Christus Dominus Zebaoth contra Diabolum & mundum pugnans, fortes in bello hoc spirituali, Ephes. 6, 10. ad se recipit, & confortat; ignavos, & ῥιψάσπιδας damnat, Hebr. 10, 35. 38. siqvidem munia officii sui non expediunt, nec vocatione suâ dignos se gerunt, vid. Rom. 6. *Vocati* enim *estis*, ait hîc Petrus, ut post Dominum vestrum incedentes (qvam credo esse emphasin verbi Græci compositi ἐπακολουθήσετε) insistatis ejus vestigiis, qvæ ipse cùm in tota vita, tùm præsertim in passione suâ pressa reliqvit, & angustam illam, difficilem, & horridam viam (uti carni qvidem videtur) primus calcavit, ut vobis jam facilior sit decursus: qvemadmodum qvis in nive vel luto obductâ semitâ faciliùs alterius insistendo vestigia potest premere, qvàm primùm viam expedire.

LOC. COMM. I.

QVid mirum aut novum animo Christiani accidit, si calamitatibus affligitur? 1. Petr. 4, 12. Non alia enim ejus est vocatio & instructio, qvàm ut Dominum suum seqvens tollat suam crucem, Matthæi 10, 38. cùm servus non sit melior Domino, ibid. v. 24. Joh. 13, 16. Is passus est innocenter, Esa. 53; hic eum imitetur, 1. Petr. 2, 20. Is passus est patienter, Esa. 53. etiam hic posideat suam animam in patientiâ, Luc. 21, 19. Is pertulit suam crucem constanter, Joh. 13, 1. etiam hic sit constans, & ad finem usqve perseveret, Matth. 10, 22. exemplo Pauli, Act. 23, 11. Eph. 3, 13. qvemadmodum hortatur Dominus Apoc. 2, 10. Nauta non miratur, si vento jactetur in alto: qvia hæc est ejus vocatio,

tio, Psal.107,23. Pugil & miles nihil moratur vigilias, labores & vulnera: qvia est ejus vocatio, & spectat præmium, 1.Cor.9,25. 2.Timoth. 2,3. & 4. Agricolæ non accidit novum pluviis madefieri, pulvere obrui: qvia hæc est ejus vocatio, & sperat uberem messem, ibidem v.5. Confer 1.Cor.9,7. David qvidem initio in armis non benè poterat progredi, 1.Sam.17,39. siqvidem non erat expertus: Qvandoqvidem verò ad id erat vocatus, ut deinceps suos Rex defenderet in armis, ita se postea exercebat, ut evaderet bellator maximè strenuus, 2.Samuel. 17,8. & 10. Ita etiam nos cogitemus, vocationem nostram esse, ut in hoc mundo ad momentum patientes, æternùm recreemur, Esa.54,7.8. 1.Petr.5,10. qvemadmodum Davidis regnum tandem stabiliebatur valdè: Sic etiam filii ejus Christi JESU regnum est æternum, 2.Samuel.7. Luc.1.

II. LOC. COMM.

CHristus ad supplicium, qvod nostrâ causâ erat subiturus, qvùm educeretur, ipse præibat, portans crucem; Simeon autem eum sequebatur, ferens tantùm aliqvam crucis partem leviorem, Luc.23,20. Sic omnis Christi auditor (notat illud Hebræum nomen שִׁמְעוֹן si explices) & discipulus cogitur seqvi suum Magistrum, Luc.9,23. Verùm ille magnum peccati onus, qvod homini puro seu nudo nimis grave est, Psal.38. in se suscepit, nobis autem suum jugum leve vicissim tantùm imponit, Matth.11,19. & 30. Seqvamur igitur, non qvò Dii, ut Cæsar dicebat, sed qvò Christus verus DEUS vocat, & præit ipse. David in exilium egressurus fideles suos servos statim habebat spontaneos comites, 2.Sam.15,14. Christus suos discipulos ad hortum comitantes, Matth.26. Nos ergò Davidem nostrum & Christum jam in gloriâ constitutum non seqvamur alacres?

III. LOC. COMM.

CHristi vestigia sunt virtutes & opera bona, præstita propter nos, qvæ nos oportet imitari. Mitis est: discamus ex ipso esse mites, Matth.11,29. fert patienter dura verba & verbera. His vestigiis insistamus. Vide qvæ apud Apostolum post hunc versum seqvuntur in hoc capite. Qvod si seqvuti fuerimus hanc viam, non errabimus; si consectemur hanc veritatem, non seducemur; si adhæremus huic vitæ, nunqvam in æternum moriemur, Joh.8.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730469042/phys_0159
DFG

DOMINICA JUBILATE.

1. Petr. 2. v. 11.

Ἀγαπητοὶ, παρακαλῶ ὡς παροίκους καὶ παρεπιδήμους, ἀπέχεσθε τῶν σαρκικῶν ἐπιθυμιῶν, αἵτινες στρατεύονται κατὰ τῆς ψυχῆς.

Dilecti, obsecro tanqvam advenas ac peregrinos, abstinete à carnalibus concupiscentiis, qvæ militant adversus animam.

Bileam ariolus & fascinator improbus, Num. 22, 5. & 6. & cap. 31, 16. Deut. 23, 4. & 5. Jos. 24, 9. & 10. Nehem. 13, 2. Apocal. 2, 14. dat Balaco hoc consilii, ut Midianitarum fœminæ Israëlitas vocent ad sua sacra, suorumq; corporum ipsis faciant copiam: ita futurum, ut illi in terram sanctam ab his inescati & detenti, tum à DEO irato prostrati ob suam libidinem non perveniant; qvod consilium & ille & hæ fideliter exseqvuntur, & præterqvam qvòd à Pineha occiditur Simri & Cosbi, aliqvot millia hominum interficiuntur, Num. 25. 1. Cor. 10, 8. ob scortationem suam. Sic Diabolus, qvi verè est בִּלְעָם devorans vel confundens populum, Apocal. 12, 4. 1. Petr. 5, 8. 1. Cor. 14, 33. svadet mundo, qvi pietate vacuus & vanus est, (ק enim notat exinanitum) Rom. 3, 23. ut invitet homines pios, seu fide factos Israëlitas, Rom. 9. Gal. 3. & 4. ad sua sacra mala & scortationem spiritualem. Qvod si patiuntur hi se seduci, nec seriâ pœnitentiâ ad suum maritum revertuntur, Jer. 3. actum est de illis, & æternùm pereunt: & Simri, seu ebrius ex mundi furore, & Cosbi seu à patre mendacii deceptus, à Sacerdote maximo Christo JESU mundi Judice gladio oris confodiuntur. Hoc ipsum graviter inculcat Apostolus hoc versu, cujus partes constituimus duas:

I. Svavem factam hortationem.
II. Gravem subjectam rationem.

PARS

PARS PRIOR.

SAul qvamvis non satis tempestivè suos milites adjurat, ne qvid cibi capiant, donec ultionem de hostibus satis amplam sumserint, victoriamq; plenam reportârint, 1.Sam.14,25. cui populus, licèt lassus & fessus admodum, etiam tùm paret, cùm satis mellis ei adesset. Si hi milites ejusmodi intempestivo edicto Regis tàm promptè obediverunt, vel contra suum ipsorum commodum: qvid nos facere decet, qvi mandato justissimo, & utilissimo sumus à nostræ militiæ duce obstricti, nostro maximo commodo, ut caveamus nos concupiscentiis mundi dedere. Futurum enim est, ut moriamur, si secundùm carnem vivamus, Rom.8,13. Idem mandatum hîc Petrus repetit ad continentiam Christianam, pios incitans hâc hortatione: cujus duo membra. Prius continet subjectum, seu ad qvos illa dirigitur. Posterius objectum, seu de qvo illa instituitur. In priori membro sunt tria vocabula seu epitheta eorum, ad qvos oratio dirigitur, satis emphatica: nempè potissimùm Christianos in minori Asiâ dispersos c.1. v.1. alloqvitur. Sub eorum verò nomine omnes alios, qvi hæc legunt vel audiunt, intelligit: siqvidem omnibus competit illud Ose.2,23. hîc v.10. repetitum: *Qvi qvondam non eratis populus, nunc estis DEI populus; & qvi non consequuti eratis misericordiam, nunc eam estis consequuti.* Cùm igitur jam suum nomen Christo & civitati illi manenti in cœlis dederint, hic dies aliam vitam, alios mores postulat: & proinde videant, ne huic mundo conformes se gerant. Vide, qvæ dicta sunt ad Rom.12,2.Phil.3,21. Sunt enim jam *primùm* ἠγαπημένοι, *dilecti* à DEO in Christo, Ephes.1,6. ac propter eum in gratiam recepti, 2.Cor.5,18.19. imò in regnum lucis translati, Coloss.1,12. & 13. dilecti etiam velut fratres ipsi Apostolo, videlicet futuri ejus cohæredes. Et hoc vocabulo exordioli loco utitur, non tantùm Petrus ipse infra cap.4,12. & 2.Epist.cap.3,1.14.17. verùm etiam Jacobus & Johannes Apostoli in suis Epistolis, ut ita benevolentiâ conciliatâ libentiùs audiantur à suis. *Deinde* sunt & hi ipsi παρέποικοι, qvi cùm non sint de domo, seu familiâ aliqvâ, neqve etiam ex regione aliqvâ oriundi, tamen cohabitant, & sunt inqvilini seu incolæ, non indigenæ, ut hoc nomen Actor.7,29. Ephes.2,19. & cognatum παροικία pro peregrinorum incolatu, Actor.17,17. 1.Petr.1,17. sicut & verbum παροικέω

pro peregrinum ac hospitem esse usurpatur Luc.24,8.Hebr.11,9. & notat, pios in hoc mundo esse tantùm hospites & peregrinos, non conscriptos cives. *Tertiò* appellantur παρεπίδημοι & advenæ, qvòd cùm non sint ex populo qvodam orti, tamen ei se associârint. Unde iidem, qvi dicuntur ξένοι, hoc nomine tanqvam exegetico indigitantur Hebr. 11,13. vide etiam vers.1. cap.1. hujus Epistolæ Petri. Hos dilectos, inqvilinos, & advenas *adhortor*, inqvit Apostolus, παρακαλῶ, (qvod sæpè jam explicatum) velut qvidam militum præfectus instigo. In posteriori prioris partis membro est ipsa propositio: *Ut abstineatis à carnalibus concupiscentiis*, ne perficiatis illa, qvæ caro adversus Spiritum concupiscit, Galat.5. & vobis seqvenda suggerit. Unde non tàm monet, ne habeant pii prava desideria, (id enim in hac vita fieri non potest,) sed ne illis planè indulgeant aut perficiant: reprimant potiùs, doment, imò, si opus est, crucifigant.

LOC. COMM. I.

IN terris, seu foro soli obtinet qvidem illud Poëtæ: *Ut ameris, amabilis esto*; verùm in cœlis, seu foro poli, qvando humanum genus primùm diligebat DEUS in Filio, nihil in eo erat, qvod amabile illud redderet, uti patet ex parabolâ longè elegantissimâ, Ezech. 6,16. Undè rectè hoc loco dicuntur ἀγαπητοὶ, id est, illi, qvos DEUS amore suo prævenit, 1.Johan.3,10. qvando omnes erant ejus inimici, impuri & peccatores impii, Rom.5,6.8.10. Qvia verò DEUS nos ita dilexit, nos homines, ad exemplum Patris cœlestis, diligamus nos invicem, & DEUM ipsum super omnia, ut hortatur Johannes 1. Epist.3.&4. Ahasverus Mardochéum extollens, mortiq; destinatum honore & gaudio cumulans, maximo ipsum afficiebat beneficio: verùm illum honorabat, qvi ipsum suo indicio de conspiratione contra Regem factâ, in vita conservaverat: huic decus addebat, qvi vitæ auxilium tulerat, Esth. 2. & 6. DEUS nos longè majori benevolentiâ complectitur, dum immerentes, & morti æternæ merito addictos, cœlesti regno ditat.

II. LOC. COMM.

QVoniam pii in hoc mundo non habent manentem civitatem, sed futuram inqvirunt, Hebr. 13,14. etiam terrena ita habent, qvasi non habentes: itaqve mundo utantur, ut eô non abutantur, 1. Corinth.

rinth.7,29,30.31. cœlestia curent, Colos. 3,1. &2. obliti eorum, qvæ sunt à tergo; extendentes se ad ea, qvæ sunt à fronte, Phil.3,14. memores suum πολίτευμα esse in cœlis, ibidem v.20. & vitam hanc totam ac omnem esse instar peregrinationis, Genes.47,9. 1.Chron.29,15. Psal. 119,18. 2.Cor.5,6. Hebr.12,13. Syracides in prologo v.11. In qva oportet nos circumspectè, Ephes.5,15. ac valdè prudenter ambulare, Psal.90,12. &101,2. Eccles.11,8. Syr.7,40. David in exilium ejectus in deserto vivebat cum suis, & studiosè cavebat, ne cum Saulis copiis conveniret, in eandem vallem; sed diversam montis alicujus partem obibat, ne interficeretur, 1. Sam.23. &24. capp. Nos in exilium ejecti cum Adamo extra Paradisum, Genes.3. in deserto hujus mundi vivimus, dum ad cœlestem patriam contendimus, caveamus, ne cum copiis militantibus Diabolo & mundo conjungamur. Futurum enim est, ut ita ab illis interficiamur. Diversa autem semper sectemur, & amemus, precemurq́; cum Davide ex Psalmo 141,4. *Ne sinas inclinari animum meum ad rem malam, & ne inescer rebus amœnis eorum: qvia peregrinus sum coram te, inqvilinus, ut omnes patres mei,* Psal.39,13.

III. Loc. Comm.

COncupiscentiam habet omnis pius, sed tantùm improbus illi indulget, ac se planè ei dedit. Sicut aqvam omnes Gideonis milites bibebant; verùm probati tantùm manu, reliqvi toti proni se ad illam prorsus inclinabant, ac velut plenâ se proluebant undâ, Judic. cap.7. Sic qvi voluptatibus licitis & bonis hujus mundi parcè fruitur, DEO rectè militat; qvi autem totum se involvit, & plenis faucibus se ingurgitat, reprobatur. Holofernes cùm tantum vini biberat, qvantum nunqvam per vitam suam, à Judith interficitur, Jud.12. &13. capp. Sic cum nimis diu & nimis multum se qvis in voluptatibus & animi desideriis provolvit, plerumqvè tandem in suis peccatis perit; cui DEUS ex benignitate immensâ sæpè dat longius resipiscendi spatium, Roman.2,4. &5.

PARS POSTERIOR.

TAntum etenim periculum istis imminet, qvi concupiscentiis suis frænum laxant, (vid. Belzasarum Dan.5.) qvod porrò Apostolus gravissimè declarat, *qvæ* concupiscentiæ, puta in actum deductæ *militant*, στρατεύονται, veluti exercitu conducto undiqvè pugnant, *contra* ipsam

ipsam *animam*, qvâ homo nihil melius aut pretiosius qvidqvam habet in terris. Qvis verò adeò demens est, ut, si possit salvus evadere, ad hostes capitales transfugiat, seq; illorum libidini dedat; qvod omnes faciunt, qvi vitiis sese mancipant, breviq; voluptate æternum sibi parant cordolium: qvemadmodum in avibus, feris, & piscibus inescatis videre est. Semel enim ubi capiuntur, vitâ rem solvunt aucupi, venatori, piscatori.

LOC. COMM. I.

SI nullus, qvi militat, implicatur aliis vitæ generibus, ac diteſcendi modis, 2. Tim. 2, 4. saltem curat, ut placeat Imperatori: etiam nos, qvi sub vexillo Christi nos militaturos promisimus in Baptismo, Roman. 6. hujus vitæ malæ rationibus modisve illegitimis ne nos dedamus, sed militemus bonam militiam, 1. Tim. 1, 18. 2. Tim. 4, 7. ut placeamus Domino exercituum, & in carne ambulantes, ne juxta carnem militemus, 2. Cor. 10, 3. meminerimus semper, qvàm vafros, qvàm potentes, qvamq; propinqvos hostes habeamus, qvippe qvos in sinu fovemus, qvibusq; plus nimio, nisi caveamus, favemus, Galat. 5, 17. Ephes. 6, 12. Davidem in suo exercitu noluerunt permanere Philistæi; qvia metuebant, ne ad hostes in ipso conflictu transiret, & ipsos Philistæos interficeret, 1. Sam. 29. Et nos simus adeò stulti & socordes, ut vitia, qvæ certò nos tandem interimunt, libenter apud nos retineamus? Securus esse non potest, qvi angvem sub veste latentem circumfert: & tuti essent, qvi fovent in animo serpentem infernalem? ô magna negligentia! ô socordia! Age expergiscere qvi dormis, Ephes. 5. *Non torpere gravi patitur sua regna veterno* hic Rex ac Dominus noster.

II. LOC. COMM.

QVæ corpus nostrum, qvod tamen in cineres est rediturum, oppugnant, sollicitè cavemus, & admodum horremus, Esa. 7, 2. & qvæ militant adversus animam, non curemus? Pro seipso dabit homo, qvicqvid est ipsi, ut vitam redimat, Job. 2, 4. ut autem vivat æternùm anima, nihil laboris suscipit? ô cœcas hominum mentes! ô pectora cœca! servitutem corporalem omnes cum Judæis aversantur, Joh. 8. spirituali se ipsos libenter mancipant. O hominum spectate stultitiam! Simson nimis deditus scorto, eiq; sua omnia revelans, capitur,

tur, ac tandem orbatus oculis miserè interit, Jud. 16. Multi homines mundo, scorto impudentissimo, se nimis oblectantes privantur fidei & mentis lumine, atqve ita in peccati pistrino circumaguntur, ac demùm in se ipsos lapsuras vitiorum ædes demùm evertunt, cùm in foveam desperationis ruunt præcipites. Age, considera illud Salvatoris dictum Matth. 16, 26. *Qvid prodesset homini, si totum mundum lucrifaceret, animæ verò suæ dispendium ac jacturam faciat?* Vis igitur cavere animæ mortem æternam, cave seqvaris concupiscentiam internam. Ità hîc peregrinare, ut inter cœli cives conscribaris, ubi terror, error, plangor & angor exulat; ubi lætitia sine tristitiâ, honor sine ignominiâ, & (ut verbo dicam) DEUS unus in omnibus omnia, 1. Cor. 15. Sic verè in æternum jubilabis, qvando impiorum cœtus in inferno perpetuò ejulabit. Ita fiat!

DOMINICA CANTATE.

Ex Epistola Jacobi c. 1. v. 16. 17.

Μὴ πλανᾶσθε, ἀδελφοί μου ἀγαπητοί. Πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἐστι, καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων· παρ᾽ ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα.

NE erretis, fratres mei dilecti. Omnis donatio bona, & omne donum perfectum, è supernis est, descendens à Patre luminum, apud qvem non est transmutatio, aut conversionis obumbratio.

PHilistæi colebant DEI loco Dagonem, id est, idolum, inferiùs ad piscis formam factum, qvod aliàs vocabant gentes maritimæ Tritonem. Huic, si qvid boni ipsis obtigisset, acceptum ferebant, & gratiis actis, sacrificiisq; oblatis, coram eo lætabantur: sicut patet, cùm Simson captivum tenebant, Judic. 16, 23. 1. Samuel. 5, 2. Verùm tùm, qvando arca DEI in ipsius ædes inferebatur Israëlitis erepta, 1. Sam. 5, 2. Dagon primùm in terram prosternebatur,

ut indicaretur, idolum agnoscere DEI veri; & mortuam statuam, Numinis vivi potentiam. Deinde autem capite & manibus privatus jacebat, tantùm pars inferior referens piscem remanebat: nec decus in reliqvo corpore truncus habet: ad significandum, neqve sapientiam inesse ei, cùm capite privatus, neqve potentiam, cùm manibus jam careat. Nos igitur rectiùs colimus illum DEUM, qvi non tantùm in mari facit mira, Psal. 66,5. & 6. & Psal. 106,7. & 22. & 107,24, qviq; solus est fiducia omnium extremitatum terræ & maris longinqvarum, Psal. 65,6. & 10. Huic enim nunqvam deest sapientia, nunqvam ejus deficit potentia. Unde etiam meritò ad illum accedimus, petentes, qvicqvid nobis deest, Jac. cap. 1,5. & in memoriam nobis revocantes illud aureum Syracidæ dictum cap. 18,30. Optima est fiducia in Dominum solum: qvandoqvidem mortuum cor adhæret rei mortuæ. Sacerdotes Baalis vociferantes, cùm tamen non esset, qvi ipsis responderet, à Prophetanon immeritò deridentur, 1. Reg. 18. v. 27. *Clamate voce magnâ; qvandoqvidem DEUS vester fortasse dormit, ut evigilet.* Noster autem DEUS & *custos Israëlis non dormit, neqve dormitat*, Psal. 121,4. siqvidem *apud ipsum non est conversionis obumbratio*, Jac. 1,17. Qvem versiculum explicaturi, in duas eum partes dividimus.

Prior erit: *Bonorum donorum durabilitas merè superna;*
Posterior: *Donantis immutabilitas verè æterna.*

PARS PRIOR.

NE errarent in deserto vasto Israëlitæ, columna nubis & ignis eos semper deducebat, Exod. 14,7. Nos in mundi hujus deserto ne erremus, semper respiciamus ad lucem DEI, qvam in scriptura habemus accensam, Psal. 19. & 119. Prov. 6. 2. Petr. 1. Eam si rectè ac fideliter seqvimur: nunqvam sinet nos ad hæreticorum scopulos offendere. Huc vocat Apostolus suos in hoc capite. Cùm enim essent multi, qvi dicerent, mala à DEO hominibus mandari, & hos ad scelera divinitùs impelli, (sicut hodiè qvidam Calviniani blasphemant,) Jacobus ad lineas eos revocat, & ostendit, errare eos, cùm qværant causam mali extra hominem: cùm ex corde exeant malæ cogitationes, pravè dicta & facta, uti Salvator etiam concludit Matth. 15, 17. 18. 19. Est igitur in priori parte hujus dicti ἄφεσις v. 16. & θέσις v. 17.

v.17. Illa est qvasi Exordium, benevolos, attentos ac dociles reddens auditores. Benevolentiam sibi comparat istâ apostrophe: *Fratres mei dilecti.* Fratribus enim ut faveamus, & vera præmonstremus, cognatio & sangvinis cõjunctio nos incitat. Attentionẽ & docilitatẽ ista parant: *ne errate*, μὴ πλανᾶσθε, ne erretis, vel à vobis, vel ab aliis decepti, ac in errorem seducti. *Cœcus enim qvando cœcum ducit, ambo in foveam cadunt*, Luc. 6, 39. Qvoniam verò iste error, à DEO tentari homines, & impelli ad flagitia & scelera, v. 13. cane pejus & angve est vitandus: qvid demum de DEO sentire oportet pios? Hoc scilicet, qvòd ab illo omne bonum, & qvicqvid est perfectum, proveniat. Unde etiam nomen GOTT nonnulli apud Germanicos à Gut derivatum esse putant. Ut autem eò meliùs hæc scitu utilissima regula memoriæ traderetur, placuit Spiritui sancto versum hunc integrum apponere:

Πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον·
Omne bonum donum, & munus qvodcunq; probatum.

Sunt qvidem dona qvædam mala, & illis, qvibus dantur, noxia, vel per se, ut venenum alii propinatum; vel per accidens, ut si des furioso petenti gladium strictum, infanti candelam ardentem, illis divitias, qvorum ingenium est proclive ad libidinem & luxuriam: Verùm omne bonum donum, à qvocunqve datum, primum autorem habet DEUM, & bonum est, qvatenus ab illô, bonôq; fine præbetur. Rom. 2. 4, & 5. Sunt qvædam δῶρα ἄδωρα, qvippe imperfecta, & sæpè, juxta illud,

Ridiculè hæc homines, neqveunt qvæ vendere, donant.

Hæc verò omnia τέλεια, ita omnibus numeris absoluta, ut unicuiq; in suo genere nihil desit. Sunt autem supernè ex cœlo ab ipso DEO: Proinde hic non potest esse omnis mali & peccati autor: qvia nullus fons amaram simul & dulcem fundit aqvam, infra c. 3, 11. & 12. *Descendit* verò tale munus ad nos *à Patre luminum*, τῶν φώτων, autore illorum omnium, qvæ veniunt lucis nomine, sive sint homines clari & illuminati, sive lux ipsa, sive res qvæq; chara & læta; hoc enim modo potissimùm vox græca usurpatur. Vide Matth. 5, 14. Rom. 2, 19. Joh. 11, 9. Apoc. 18, 23.

LOC. COMM. I.

FRatres dilectos eos, qvos sumus reprehensuri, blandè appellemus, non tantùm, qvia habemus Philosophi in Rhetoricis præceptum,

sed potiùs hoc loco Apostoli, & hinc inde Salvatoris CHRISTI exemplum. Confer Gal. 6, 1. & 2. 2. Tim. 2, 24. Ut enim pastor ovem errantem insequens, voce amicâ & sibilô revocat, non clavâ prosternit: Ita animarum pastores eos, de quibus adhuc restat spes frugis, cum omni tolerantiâ in viam reducant; vide Luc. 15. Et qvòd τὸ σκληρὸν μαλθακῶς dicere prosit, præsertim apud magnates, exemplum Nathanis indicat, 2. Sam. 12. Facit hoc contra istos, qvi semper malis verbis, errantes in doctrinâ, esse excipiendos, & scommatũ aut convitiorum plaustra convehenda esse clamitant. Qvasi verò non esset locus aliqvando, & qvidẽ in initio, dum nondum constat homines esse præfractos, (de qvo cum constat, authoritatem severissimam & verba durissima afferenda esse omninò scriptura præscribit,) mollioribus remediis. Similes sunt isti Zelotæ Apostolis, qvi igne cœlitùs delapso statim erant perdituri eos, qvi non recipiebant Christum, Luc. 9, 53. 54. qvos tamen DOMINUS reprehendit ibidem v. 55. absit tamen, ut his fervorem concionatorum cupiamus restringi in refutandis falsis; tantùm minùs necessarias, & supervacaneas invectivas in initiô abesse cupimus.

II. LOC. COMM.

ERrare humanum est, postqvam semel à verô bonô recesserunt protoplasti: sed qvia venit CHRISTUS, ut errantes in viam revocaret, hunc sequamur Psal. 119. v. ult. Joh. 14, 6. Matth. 8, 11. Ut autem faciliùs in hac via regia maneamus, nostra statua Mercurialis est DEI verbum, qvod est lux pedibus nostris, Psalm. 119, 105. Qvorsum possumus referre piorum Veterum illam picturam, qvæ extat in nostris templis bono fine depicta: qvanqvam admodum falsè eam rident qvidam Calviniani, facientes intelligendo, ut nihil intelligant, *Christophori* dico. Nomen eum notat, qvi fert Christum: hic est Christianus, non corporis, sed fidei brachiis eum excipiens, & arctè tenens, ut Simeon, Luc. 2. & ita cum Christo crucifixo tollens suam crucem, Matth. 10. Ille per vastum pelagus ambulat; hic per mundi calamitates & miseriarum mare cum Salvatore suo, Psal. 69, 2. Ille habet magnum & firmum scipionem, qvô nitatur, & lapsurus se sustentet: nos DEI verbum, Psal. 23. Ille littus vicinum respicit: nos vitæ æternæ portum. Ille in casula ibidem lucem ostentatam oculo intento intuetur; nos in magnâ DEI domo DEI verbum. Ita ille tolerat,

rat, & molestias superat, ac non errat; qvia magnus & ad lumen attendens: Nos omnia mala vincimus; qvia Christus nobiscum, Roman.8,37, & magno animo ad futuræ gloriæ respicimus præmium, Rom.8,17,18. 2. Corinth.5, 17.18.

III. Loc. Comm.

DEUS est omnis boni autor, non tantùm, qvia res valdè bonas creavit, Genes.1,31. verùm etiam, qvia easdem paternè conservat ac sustentat. Olim ex Edeno procedebat fluvius ad irrigandum hortum, & inde se in qvatuor capita dividebat, Genes.2,10. Ecce semper ex cœlesti Paradiso; Luc.23. seu felicitate æternâ, ubi satietas gaudiorum amœnissimorum, Psal.16,11. procedit fluvius ad irrigandum Ecclesiæ hortum, de qvo multa in Cant. Canticor. & inde sese dividit in omnes qvatuor mundi angulos, seu partes: & verè bonitatem DEI experiuntur qvidem jumenta & homines, Psal. 36,7. veruntamen præcipuè in homine se ostentat illa, dum ei dat dona perfecta, qvibus aliæ creaturæ carent: *Sapientiam* (de qva versibus præced. hujus capitis) v.5. *Christi notitiam*, qvæ salvat Esa.53. & tandem credenti *felicitatem ac vitam æternam*; ut meritò dicas:

Omne bonum donum & perfectum à Numine summo est.

Alexander Magnus aliqvando suam potentiam declaraturus, promulgabat: Venirent omnes, & peterent, qvicqvid vellent: fore, ut voti compotes redderentur. Accedunt homines sapientes: Da nobis, inqviunt, Rex, immortalitatem. Confusus ille tacuit, cùm, qvô indigebat ipse, id alteri largiri haud posset. Noster verò Imperator, summus largiri benè potest. Rex Darius edictum proclamandum curat: Si qvis intra triginta dies ab ullo Deo vel homine, præterqvam à se, aliqvid peteret, projiceretur in foveam Leonum, Daniel. 6, 8. & seq. DEUS noster longè rectiùs mandat: *Omni tempore invoca me. Ego Jehova, gloriam meam alteri non dabo.* Psal.50. Esa.42. Et si qvis alium Deum vel hominem fiducialiter invocat, & divinum honorem ipsi exhibet, nec pœnitentiam agit: meritò in foveam Leonis infernalis dejicitur: qvia ab Ipso omne bonum donum. Accedite igitur stulti; dabit vobis sapientiam: accedite pauperes; dabit, qvod sufficit opum: accedite ægroti, est Medicus, Exod.15,26. Psal.103,3. accedite afflicti, solabitur: accedite mortui, & morituræ fons vitæ est.

IV. LOC. COMM.

HInc oritur ἔλεγχος. Si à DEO est omne bonum donum perfectum: peccatum ipse nec volet, nec approbabit, nec ad id impellet. Gravis igitur est qvorundam Calvinianorum blasphemia, qvi DEUM autorem peccati faciunt. Simei, qvòd uncto DEI maledixisset, 1.Reg. 2. tandem mortis afficitur supplicio gravissimo: Et illi blasphemi, qvi ex DEO, qvantum qvidem in se est, faciunt qvendam Diabolum, simulatorem crudelem, & iniqvum Tyrannum, impunè hoc ferrent? Nos dicimus cum Mose ex Deuter. 32,3. *Rupis illius opus est perfectum, omnes ejus viæ sunt jus; DEUS noster bonus est, & fidelis, & iniqvitas non est in eo. Justus & rectus est.* Et credimus magis soli Mosi veraci, qvàm huic Calvinianorum turbæ fallaci.

V. LOC. COMM.

SI autem DEUS est Pater luminum, & nos ejus filii: vers. seq. oportebit nos etiam in luce ambulare, Johan. 3,21. Roman. 13, 12. 13. Si est ipse Pater lucis: petamus nos ab eo illuminari, cum Davide dicentes: *Illumina oculos meos, ne dormiant dormitionem mortis!* Psal. 13.

VI. LOC. COMM.

SI bonum donum descendit, nos priùs piis cogitationibus, votis ac suspiriis ascendamus: ita ascendet pii oratio, descendet DEI miseratio. Nostra autem oratio ascendat ad DEUM, ut suffitus gratus, Psal. 141,2. Confer sacrificium à Noacho oblatum, Gen. 8.

SECUNDA PARS.

POrrò perfectus effectus arguit perfectam causam. Age, hîc est donorum magna perfectio: videamus jam donantem, & qvidem qvæ sit ejus immutabilitas verè æterna, de qvâ ita pergit disserere Apostolus: *Apud qvem* Patrem luminum *non est mutatio*, ulla παλλαγὴ emphaticè magis, nulla permutatio alternativa, nulla vicissitudo, sceleris mutatio, aberratio à Lege & metâ constitutâ. Verbum enim παλλάττω significat, vario permutatim, alternis hoc & illo modo facio, prætereo, transeo, per errorem in aliud incurro, qvàm constitueram. *Aut nulla conversionis obumbratio,* ita ut modò alius ac priùs in suâ luce appareat, postqvam est mutatus, ut Sol sub nube, in ecclipsi, in apogæo, & hypogæo, in variis anni horis, & ut Luna in variis

riis suis faciebus, dum modò corniculata, modò plena, modò gibbosa videtur. Qvò Lutherus respiciens vertit: noch Wechsel des Liechtes vnd Finsternüß. Syrus Interpres; *neqve umbra receßûs vel vicisſitudinis*. Nam ubi hæc, ibi, qvando qvædam discedunt, alia succedunt. Non ita in DEO, qvi semper unus, & idem est, Psal.102,28.

LOC. COMM. I.

UNus & idem, ut essentiâ, ita voluntate: Unde semper bonis benè, malis malè vult evenire. Qvando autem circa unum objectum, seu hominem solet fieri mutatio, ut huic DEUS sit iratus, cui paulò antè erat propitius: mutationem in hoc, non in illo factam esse scimus, sicut declaratur Jerem.18,8. & ut statua in ædibus semper uno eodemq; loco firmiter subsistit, ego autem prout ipsi vel faciem, vel tergum obverto, vel eam circumeo: ita & mihi modò hæc illius pars est dextra, modò sinistra, modò adversa, modò aversa: non qvia illa se vertat, sed qvia ego me converto. Sic etiam se res habet (si parva licet componere magnis) inter hominem & DEUM. Is potest esse modò pius, modò impius: modò faciem obvertere DEO, eumq; colere, modò tergum, eiq; repugnare. Ille amatur, hic odio habetur, siqvidem DEUS non mutat, Mal.3,6. Decretum stabile erat Salomonis de Adonia 1.Reg.1,42. *Si futurus est strenuus, non cadet ullus capillus ejus in terram; sed si malum deprehendetur in eo, utiqve morietur.* Longè firmius autem est illud DEI decretum, qvod ad Roman.8,13. & Ezech.18. pluribus declaratum. Proinde, ut, qvi vult finem attingere, oportet eum hûc contendere, finis ad ipsum non venit: Sic etiam, qvi DEI promissionibus vult frui, oportet hunc multò magis accedere, qvando DEUS omnium rerum finis ad ipsum in suo verbo & Sacramentis appropinqvat.

II. LOC. COMM.

REs omnes mundanæ, nempe cœlum, terra, & qvicqvid in eis, Esa.40. Matth.5. Luc.21. Psal.102,27. pereunt; solus DEUS, & qvi ipsi adhærent, sunt interitûs expertes, Joh.8,51. Omnes homines sunt mendaces & peccatores; solus DEUS justus & verax, Psal.116. Rom.. Qvisqvis igitur ad perfectionem adspiras, ad DEUM anhela, in ejus fidem ac clientelam te trade: Sic nulla mala te evertent, Psal.46.& 2. Non *egestas*: qvia ipse est αὐτάρκης, cœli terræq; Dominus, Psalm. 50.

Non

Non *ignis:* siqvidem ille in eo suos servare potest incolumes, Dan. 3. Non *aqva:* in ea enim Noachum cum suis conservavit; per eam Mosen cum Israëlitis deduxit salvum. Non *Tyranni:* qvia cor Regis in manu DEI est, Proverb. 21. Is perdidit Pharaonem crudelissimum, Goliathum fortissimum, Sennacheribum audacissimum, Herodem arrogantissimum. Non *mors:* qvia vita est, suosq; per mortem in vitam transfert, Johan. 5, 24. Non *mala alia:* qvia plerumq; ante illa DEUS suos recipit. Confer Esa. 57, 5. Genes. 15, 15. 2. Reg. 20, 18. & 22, 20. Sapient. 4, 10.

III. Loc. Comm.

Lux in Scriptura felicitatem, tenebræ infelicitatem sæpè denotant. Felicissimus igitur est ille, apud qvem lux æterna & perennis, Psal. 36, 10. Nos ergò qvi vivimus hanc vitam tenebris & malis obrutam, ad Solem Justitiæ accurramus, ut illuminemur, Malach. 4, 2. Joh. 1, 4. 5. 9. cum cœco clamantes ad urbem Jericho, id est, in hisce sublunaribus: *Domine, ut videam,* Luc. 18. ex hac incerta rerum vicissitudine tendamus in aliam beatitudinem, qvæ donorum omnium perfectorum est perfectissimum, & non nisi à Patre luminum orandum atqve expectandum: *Cui sit honor & gloria in perpetua secula!*

DOMINICA VOCEM JUCUNDITATIS.

Jacob. 1. vers. 22. 23. 24.

Γίνεσθε δὲ ποιηταὶ λόγου, καὶ μὴ μόνον ἀκροαταὶ, παραλογιζόμενοι ἑαυτούς. Ὅτι εἴ τις ἀκροατὴς λόγου ἐστὶ, καὶ οὐ ποιητὴς, οὗτος ἔοικεν ἀνδρὶ κατανοοῦντι τὸ πρόσωπον τῆς γενέσεως αὐτοῦ ἐν ἐσόπτρῳ· Κατενόησε γὰρ ἑαυτὸν, καὶ ἀπελήλυθε, καὶ εὐθέως ἐπελάθετο ὁποῖος ἦν.

Estis autem effectores sermonis, & non auditores solùm, fallentes vosmetipsos. Qvoniam si qvis audi-

audiat sermonem, nec cum factis exprimat, hic similis est viro, consideranti faciem nativitatis suæ in speculo: Consideravit enim seipsum, & abiit, & continuò oblitus est, qvalis esset.

SAlomo edicebat Simei: *Extrue tibi domum Jerosolymis, habites ibi, neq; inde egrediaris huc aut illuc: Qvò enim die fueris trãsgressus torrentem Kidronem, scito te moriturum. Ipse respondit: Bona est res: uti loqvutus est Dominus meus Rex, ita faciet servus tuus.* Posteà verò suos servos persequitur, & cùm esset contra mandatum Salomonis egressus, occiditur, 1. Reg. 2, 36. 37. Omni Christiano hodiè, qvando nomen suum profitetur Christo in Baptismo, & vocatur communi nomine שִׁמְעִי, id est, qvi sit obediturus hujus militiæ Duci, Salomo verus, seu pacis Princeps Christus edicit: *Extrue tibi domum Jerosolymis, mane in Ecclesiæ gremio, ubi est pacis visio,* (ex רָאָה enim & שָׁלוֹם nomen illud Hebræum est compositum.) *Ne egrediaris huc aut illuc, neqve ad dextram in securitate & profanitate ad Calvinianos, Arrianos, Photinianos, Mahometanos: neqve ad sinistram in nimiâ superstitione ad Pontificios & similes declinato. Sed ibi mane, ubi in fide benè operans habes certam consolationem, animiq; pacem,* Rom. 5, 1. *qvando autem vel malâ doctrinâ, vel pravis moribus inde ex luce ad tenebras, resq; atras & confusas in hoc mundo* (עָבַר enim significat ater fuit) *transfugis, moriturus es.* Si enim in Christi militiâ verâ tantùm salus est, Esa. 53. Joh. 17, 3. qvi eam ignorant, peribunt. Et si Christus non novit iniqvitatis operatores, Matth. 7. qvi malè vivunt in flagitiis, salvi esse, dum tales sunt, neqveunt. Ipse verò, qvasimodogenitus respondet, se hoc facturum. Cùm autem tantùm audit hoc, ut nomen שִׁמְעִי innuit, & non facit, morte moritur; si non per intercessorem Christum liberatur, apud qvem solum est Lex, vel doctrina libertatis, v. 25. hujus c. 1. Epistolæ Jacobi: ubi sub finem idem thema tractatur, non sufficere, nosse voluntatem Domini, sed reqviri, ut fiat à nobis. *Servus enim, qvi novit voluntatem Domini, vapulabit multis.* Nam multi Jerosolymis adscripti, dum insequuntur servos suos, id est, affectus, qvibus imperare, & qvos in officio continere debebant, à DEO interficiuntur, qvia promissam obedientiam non præstant, ac tantùm vani sunt, non

veri auditores sermonis, contra qvos hoc loco agit Apostolus. Nos indè propositionem explicaturi in eâ videbimus duo:

I. Dilucidam Christianismi explicationem.

II. Perspicuam mali Christiani cum oblivioso institutam comparationem.

PARS PRIOR.

QVando Ephraimitæ placidum responsum Gideonis acceptabant, servabantur: cùm autem nollent Jephtæ excusationem accipere, sed minas addebant, ab eo interficiebantur, Jud. 8. & 12. Sic etiam illi, qvi à DEO sunt regeniti, ut fructum ferant, (אֶפְרַיִם enim à פָּרָה, id est, fructificavit, nomen habet, Genes. 41, 52.) qvando suscipiunt Christi sermonem, salvantur: cum autem respuunt, pereunt. Unde monebat Jacobus cap. 1, 21. *Cum omni mansvetudine susçipite sermonem, qvi vobis implantatur.* vid. Luc. 8. *qvippe qvi potest salvare vestras animas.* Atqve hæc est occasio hujus dicti: in qvo proponitur vera & utilis audiendi verbi divini ratio, v. 22. cui opponitur futilis ejusdem observatio, vers. 23. In priori sunt tria membra: 1. θέσις. 2. ἄρσις. 3. ἔκβασις. Θέσις est: *Fitote*, γίνεσθε, qvod nuper explicatum Ephes. 5, 1. *factores sermonis*; id facite, qvod sermo præscribit. Ut autem Sermo est duplex, Legis & Evangelii, ita etiam duplex Facere; illud operum; hoc fidei. De qvô Joh. 6, 28. 29. Illud est piè vivere; hoc DEO propter Christum confidere. Ita demum veri eritis Christiani, si feceritis, qvæ Christus dixit. Is autem potissimùm reqvirit fidem, & ex eo bona opera, ut fructus. Hujus itaqve sermonis, ut factores existatis, conemini. Ἄρσις hæc habet, *& non solùm auditores*, qvi verbum qvidem audiunt, sed in cor non demittunt, similes stulto, qvi super arenam ædificat, & ruinæ periculum struit, Matth. 7, 26. 27. cùm ille, qvi facit, sit similis prudenti, qvi supra petram ædificat, & cujus ædes contra pluvias, fluvios, & ventorum flabra perstant, ibid. v. 24. 25. Non enim auditores, sed factores Legis justi censentur apud DEUM, Rom. 2, 13. qvod Ἔκβασις hîc subjecta innuit, qvæ ita habet: παραλογιζόμενοι ἑαυτούς, *decipientes* non DEUM suâ hypocrisi, aut alios bonos lædentes, sed *seipsos fallentes*, & qvidem per falsum syllogismum, qvem vocamus παραλογισμόν, dum ita argumentatur: *Qvi verbum audiunt, sunt beati. Ego audio. ε.* Major enim non est vera,

cùm

cùm DEUS nolit otiosos speculatores, sed qvi in corde bono ac probo, postqvam audierunt sermonem, retinent, καὶ ἔχουσι, **sie halten jhn fest**/ & fructum ferunt in patientiâ, Luc. 18,15. Qvò respiciens Jacobus sermonem prædicatum vocabat ἔμφυτον, v. 21. Lutherus: **das Wort/das in euch gepflantzet ist**. Sunt enim velut agricolæ verbi divini ministri: ut in eâdem parabolâ Luc. & 1. Corinth. 3. v. 6. & 7. declaratur.

LOC. COMM. I.

ὃ χρὴ μόνον χριστιανὸς καλεῖσθαι, ἀλλὰ καὶ εἶναι. Beati, inqvit Christus, eritis, si feceritis ea, Joh. 13,17. & cap. 15,14. Nam scienti bonum facere, si non facit, peccatum est ei, Jacob. 4,17. Luc. 12,47. Comicus reprehendit eos, qvi sunt factiosi lingvâ & inertes operâ. Apostolus etiam hîc non vult auditores otiosos, sed mandatorum DEI factores studiosos. Plerosq; Apostolos Dominus vocavit, qvando officii sui obibant munia, hos retia sarcientes, illos piscantes. Indicio hoc est, laborandum esse iis, qvos DEUS vocavit in suam vineam, Matth. 20. Qvando Salomon templum illud sumptuosissimum extruebat, qvò singuli opus suum conficerent, ἐργοδιώκτας præfecit, qvi urgerent tardiores, 1. Reg. 5,16. Christus jam spirituale illud templum, de qvo vide cap. 40. Ezech. & de ejus complemento Apoc. 21. & 22. ædificat; ut ergò singuli faciant officium, Apostolos & verbi ministros jubet hoc κέλευσμα insonare: *Estote factores sermonis*.

II. LOC. COMM.

QVi *habet aures*, qvibus possit audire, *audiat*, aliqvoties gravissimè monet Salvator, Luc. 8. & alibi. Qvin etiam addit: *videte, qvomodo audiatis*, v. 18. Qvi enim tantùm audit, & non obedit, aures qvidem habet, sed non illas, per qvas sermo in pectus ipsum demittatur: oculos habet, verùm non mentis, qvibus videat, qvomodo rectè & salutariter attendat. Talis DEUM verum non colens, & proinde idololatra, similis est Idolis, qvæ gentes colunt. Aures habent, sed non audiunt; oculos, sed non vident; manus eis sunt, sed non palpant, Psal. 115,5.6. & 7. Sic etiam illi otiosi auditores manum aratro qvando admovent, retrospiciunt ad alia, Luc. 9, 62. & proinde ad regnum cœlorum nondum sunt apti. Auditores sermonis tantùm erant illi, qvibus Noachus ante diluvium: illi, qvibus Lothus ante So-

domæ incendium: illi, qvibus Moſes ante ſubmerſionem: illi, qvibus Jeremias & reliqvi Prophetæ ante Babylonicam abductionem prædicârunt: qvi cùm nollent efficere, qvod DEUS præcipiebat, efficiebat DEUS ipſe tandem, qvod prædicebat. Sic enim ſe res habet: qvando homo tantùm eſt auditor, DEUS eſt punitor; contrà, qvando homo eſt ſermonis effector, DEUS eſt illius adjutor & protector. Cœcos & claudos domum ſuam ingredi nolebat David, poſtqvam Jeroſolymam occupaverat, 2. Sam. 5,6. & 8. DEUS verò in perſpiciendo cœcos, in obediendo & obſeqvendo claudos, ſeu tardos, extrudit ex hâc militante, ac poſteà triumphante Eccleſiâ, Apoc. 21,27.

III. LOC. COMM.

NEminem niſi à ſeipſo lædi, aſſerebat qvondam Chryſoſtomus. Paradoxon hoc multis videri poſſet, cùm nemo ſit, qvi ſe non magis, qvàm ullum alium diligat, ſibiq; malit eſſe benè, qvàm alteri. Ita tamen ſe res habet, ut dicit hoc loco Apoſtolus: *Homo ſeipſum decipit, ſeipſum lædit.* Aſpice protoplaſtos: qvis decepit eos? ipſi ſeipſos, dum Diabolus qvidem ſvadebat. Conſidera Simſonem: qvis decepit eum? ipſe ſeipſum. Delila enim ſaltem ipſum interrogabat, extorqvere non poterat, niſi ipſi libuiſſet tandem ſecreta revelare. Spiritus mendax tamen decepit Achabum, inqvies? Ita ſanè, ſed poſtqvam ſe ipſe deceperat priùs, & malebat Diabolo potiùs, qvàm Prophetæ Domini auſcultare. Sic hodiè mundum decipit Diabolus, Apocal. 12. verùm dum non cavent, dum objecta ab eo amant & ſeqvuntur homines. Haſaël perſeqvens Abnerum, ab eo confoditur, 2. Sam. 2,23. Sic multi Haſaëles, id eſt, illi, qvi fecerunt hactenus, qvod volebat Dominus, qvando ſeqvuntur Abner, & eum, qvi à domo Davidis defecit, interficiuntur. Vis autem teipſum non decipere, ſeqvere veritatem in Scripturâ revelatam. Solem ſibi ſtare volebat Joſua, ut hoſtes cæderet, Joſ. 10. Tu, ut teipſum ſerves, & hoſtes vincas, Solem Juſtitiæ tibi aſſiſtere rogato: ita omnia benè geres, in luce ambulabis, non offendes, neqve teipſum decipies. Ita Chriſtianus non tantùm diceris, ſed verè eris.

PARS SECUNDA.

MUlti enim homines ſunt ſimiles pincernæ Pharaonis, cui cùm Joſephus in carcere ſomnium ex voto eſſet interpretatus, petiis-

tiisſetq;, ut memor eſſet ſui, qvando jam iſtud fuerit completum, isq; promiſiſſet prolixè, tamen oblivioni tradidit eum, Gen. 40, 14, & 23. CHRISTUS hominibus velut ſopore alto detentis, manè à ſe ſpiritualiter excitatis, ex voto omnia futura promittit, ſi ſe rectè gerant, petitq;, ut ſemper ſui memores vivant; Verùm multi oblivioni hæc tradunt, poſtqvam ſunt evecti ad dignitates, feliciterq; degunt. Id Jacobus porrò per comparationem qvandam explicat. *Qvia ſi qvis auditor ſermonis eſt, & non factor, ille ſimilis eſt homini, qvi contemplatur faciem ſuam nativam in ſpeculo, qvando ſe contemplatus eſt, ſtatim abit,* aliò vocatus, aliisq; rebus intentus, *ſtatim obliviſcitur, qvalis fuerit,* ubi nævus, aut labes eluenda aut demenda. Atq; ita ille labor priùs ſuſceptus planè erat inutilis. Ita etiamſi qvis homo ad ſpeculum (qvod dicitur Græcè ἔσοπτρον, ab εἰσόπτομαι, qvòd ſemper inſpici debeat) legis accedit, videt ſibi ineſſe multas maculas, ſi abit, nec corrigit, qvod monet; & ſi ad ſpeculum Evangelii, qvod ad CHRISTUM pulcherrimum inter filios hominum, qviq; nos mundat ab omni peccato, 1. Joh. 1. ducit, ſe ſiſtit, nec credit, qvò abluantur maculæ, tollantur nævi, purgentur labes: fruſtrà audiit, & nullum illius contemplationis fructum reportat; qvia talis manet, qvalis fuit à nativitate carnali Joh. 3. nempe maximè pollutus Ezech. 16.

LOC. COMM. I.

LEx eſt ſpeculum, oſtendens qvales fuerimus, nunc ſimus, eſſe debeamus, & olim futuri ſimus. Nam talis erat in ſtatu integritatis Adam, & talis erit homo in vitâ æternâ, qvalem lex eſſe jubet: & qvia in nullo præcepto qvisqvam ſe jam eſſe illis dotibus præditum, verùm contrà multis maculis aſperſum ac perditum, intelligit: in illâ velut limpidiſſimo ſpeculo nos contemplamur, ex eâ peccatum agnoſcimus, Rom. 3, 20. agnitoq; morbo ad medicum confugiamus, Matth. 9, 12. Qvod cùm ita ſit, qvis ſit uſus legis, etiamſi per illam ſalvari neqveamus, apertè videmus. In juſtificandis eſt ſpeculum noſtræ innatæ pravitatis, Rom. 7, 7, 11, 13, 20. & 5, 20. In juſtificatis à nobis reqviſitæ puritatis, Gal. 5. v. 13. ut non ſimus ἄνομοι Θεῷ, ἀλλ' ἔννομοι Χριστῷ, 1. Cor. 9, 21. Juxta nonnullos Exod. 38, 8. hoc dicitur, qvod mulieres piæ Deo ſua conſecraverint ſpecula, qvaſi jam deinceps illam ſe nimis exornandi rationem abjicerent, ex qvorum pretio

sit confectum magnum aliqvod pollubrum : Ut alii putant, fuit id vas æneum constitutum, ut cùm esset aqvâ impletum, se in illâ contuerentur, qvicunq; erant tentorium ingressuri, ut ita maculas abluerent, comptioresq; in Ecclesiam prodirent. Nos meliùs possumus dicere, à DEO esse constitutum hoc limpidissimum atq; optimum legis speculum in Ecclesiâ, ad qvod dum omnes accedant, superbire desinant, & ad fontem salutis CHRISTUM accurrant, abluturi suas maculas.

II. LOC. COMM.

VErùm nonnulli ex his, qvi agnoverunt eas ex lege, vel præ negligentiâ, vel præ sordium amore non sunt soliciti, ut eas eximant, similes illis, qvi cùm ad speculum accesserunt, & vident, se esse maculatos; tamen non attendunt, qvàm inqvinati sint : atq; ita, dum sordidi in publicum prodeunt, risui atq; ludibrio se aliis exponunt. Ita non tàm deridendos, qvàm in æternum ad tartara detrudendos se offerunt DEO, qvi peccatis sunt maculati, siqvidem nihil coinqvinatum intrat DEI aulam, Apoc. 21, 27. sed qvi admonitus per legis speculum tamen sordet, pœnæ loco ei prædicitur, ut sordescat adhuc, Apoc. 22, 11. Nos id demus operam, ut ita τὸ πρόσωπον τῆς γενέσεως ἡμῶν κατανοῶμεν, ἵνα εἰς σωτηρίαν μετανοῶμεν. Ita hoc speculum inspiciamus, ut in pietate assiduè proficiamus : ita ad illud convertamur, ut à malis ad DEUM & bona jugiter convertamur : qvemadmodum Socrates suos monebat, ut qvotidiè contemplarentur suam faciem in speculo, ut, si esset pulchra, dignis dotibus ac virtutibus eam exornarent; si deformis, sapientiâ ac probitate illa damna rependerent. Sic nos hîc perpendamus, qvæ sit nostra infirmitas, qvâ laboramus; qvæ nobilitas, qvò meritò contendimus; semper memores sermonis Domini Act. 20, 35. *Non qvi dicit : DOMINE, intrabit in regnum cœlorum ; sed is, qvi facit voluntatem patris mei, qvi est in cœlis*, Matth. 7, 21. Si enim Jesabelam sine dubio ad speculum fucos apponentem curat in terram dejiciendâ Rex Jehu, 2. Reg. 9, 30. qvantò magis Rex Jehova omnes hypocritas, qvorum qvisqve verè est אִיכָּבוֹד, id est, non habitaculum DEI, fucos pietatis præ se ferentes, in infernum tandem dejicit. Qvod ut caveamus, memores hujus admonitionis Apostolicæ maneamus.

DOMI-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730469042/phys_0178
DFG

DOMINICA EXAUDI.

1. Petr. 4. vers. 8.

Πρὸ πάντων δὲ τὴν εἰς ἑαυτὰς ἀγάπην ἐκτενῆ ἔχοντες· ὅτι ἀγάπη καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν.

ANte omnia verò charitatem inter vos vehementem habentes: nam charitas operiet multitudinem peccatorum.

1. REg. 6,23. & cap. 8,6. & 7. Salomon, sapientissimus Regum omnium, in templo suo splendidissimo, qvod DEO maximis sumptibus exædificabat, duos Cherubim fecit, purô aurô obduxit, super arcam propitiatorii posuit, ita ut alas super hanc expandentes, unus hunc murum exteriorem, alter adversum contingeret, atqve ita totum atrium complerent. Christus Rex pacis, imò Pax ipsa, Mich. 5,5. & per qvem nos habemus pacem, Roman. 5. Johan. 14,27. qvi est Patris sapientia, Matth. 11,19. in qvô omnes thesauri sapientiæ divinæ sunt absconditi, Colos. 2,3. qviq; à DEO nobis factus est sapientia, 1. Cor. 1,30. in templo suo maximo, seu Ecclesiâ Catholicâ, per totum mundum dispersa, qvam maximo labore, & λύτρῳ pretiosissimô redemit, & collapsam instauravit, 1. Petr. 1,18. & 19. Cherubim esse vult, id est, humanas facies, homines affabiles, placidos, mites, pacificos, qvi in suo corde tegant Christum, verum propitiatorium, Rom. 3,25. Gal. 2,20. qviq; non leonum, ursorum, luporum, aut canum instar se invicem mordeant, ac lacerent; sed proximum juvent: hos obducit purô aurô, id est, suô verbô, qvod est aurô purius, Psal. 12. & 19. fulgore illustrat, qvidq; illis sit credendum, qvid faciendum, qvid omittendum, describit; super arcam propitiatorii, id est, Christum, qvem Pater proposuit ἱλαστήριον, Rom. 3,25. niti & sustentare se ita jubet, ut illum corde obtegentes alas hinc inde extendant, qvousq; murus non obsistit, id est, omnes juvent & foveant, officiisq; suis, consiliis & auxiliis protegant, (qvod alæ in Scripturis sæpè notant,) ubicunqve sunt homines, qvi nondum habent obstinationis mu-

murum, aut blasphemiæ sepem obduxerunt: siqvidem cum his nihil debet illis commercii esse: Et ut ibi alter alterum semper intuetur; sic hi semper mutuis se invicem exhilarent, ac provocent officiis. Hoc est, qvod Petrus capite 4. v. 8. mandat, ut ante omnia Christiani habeant alii in alios charitatem intensam, qvippe qvæ operiat peccatorum multitudinem. Nos in eo dicto considerabimus duo:

I. Charitatis longitudinem.
II. Utilitatis ejus magnitudinem.

PARS PRIOR.

APud Reges Persarum lex erat, ut nemo injussu Regis accederet ad solium ipsius: qvod si qvis fecisset, statim mortis erat reus, nisi fortè singulari ex gratiâ Rex sceptrum extenderet, eôq; signô suam erga eum declararet clementiam, Esth. 5, 2. & 8, 4. Apud Jehovam, Regem Regum, hæc Lex est, ut nemo ad illius solium seu thronum accedat, petiturus aliqvid, nisi ipse habeat charitatem erga alios extensam, unde jubet suos orare: *Pater noster, da nobis,* Matth. 6, 9. & 14. Hoc ipsum Petrus hoc loco inculcat. Cùm enim dixerat: *Estote sobrii & temperantes ad preces,* subjicit tandem: *ante omnia verò habentes charitatem, alii in alios intensam.* Noverat, per dissidia, jurgia & contentiones maximè preces impediri: (qvi enim non dimittunt proximo, nil accipiunt à DEO,) ideóq; ut preces sint DEO acceptæ & gratæ, ac ut verè possint dicere: *Pater noster,* oportet omnes adfectu esse fratres. Multi orantes de aliis sunt solliciti, qvæ non sunt ita necessaria, qvomodo stent, qvibus gestibus utantur, qvæ verba adhibeant, qvæ suo loco possunt tolerari, orationemq; non impediunt: *Ante omnia verò,* & inprimis reqviritur *fraterna dilectio,* ubi speratur paterna DEI exauditio; sit mutuus amor, ubi petitur audiri noster clamor. *Habete charitatem,* non simulate lingvâ aut externis factis benevolentiam, 1. Joh. 3, 18. & qvidem ἐκτενῆ, *extensam,* Lutherus: **eine brünstige Liebe**/ qvæ non durat unum aut alterum diem, sed diu; non decurtatam aut præcisam statim, ubi proximus non ita benè promeretur. Unde additur εἰς ἑαυτὰς, **vnter einander/oder einer gegen den andern** (*alii in alios* invicem, Fratres vestros, religionis potissimùm, qvi sunt qvasi alteri ipsi; qvod per Græcam phrasin notari existimo, cùm aliàs vulgò dicatur εἰς ἀλλήλους, 1. Thess. 3, 12. 2. Thess. 1, 3. vel ἐν ἀλλήλοις, Joh. 13, 35.

Loc.

LOC. COMM. I.

DEUS nolebat sibi templum à Davide ædificari, eò qvòd multum sangvinis effudisset: Salomonis verò hîc operam reqvirebat 2.Samuel.7. Sic multò minùs grata habet eorum officia, qvi fratres vel animo saltem occidunt, Matth.5,22. pacificorum servitia habet accepta, Matth. 5,9. & pro filiis eos adoptat. Qvi itaqve cupit aliqvid à DEO impetrare, noverit istis malevolentiæ, livoris atqve odii erga proximum affectibus pravis imperare, aliàs frustrà oraturus DEUM Patrem, qvi non vult proximum agnoscere fratrem. Fratricida Cain phrasi Hebræâ legitur summo studio in id incubuisse, ut urbem conderet, verùm vagationibus animiq; anxietate prohibitus non absolvit, Genes.4,14.16.17. Sic fratricidæ illi similes, qvi odio indulgent, 1.Joh.3,12. DEO gratum sui corporis templum non parant, aut præbent. Ibi enim, ubi fratrum viget concordia, viget DEI benedictio & gratia, Psal.133,3. Ante omnia igitur simus solliciti, ut habeamus dilectionem mutuam, veram verorum discipulorum Christi notam, Johan.13,35. Ita futurum est, ut qvemadmodum Apostolis unanimiter congregatis dabantur Spiritûs Sancti dona, Actor.2,1. cœlestibus muneribus à DEO & ipsi cumulemur.

II. LOC. COMM.

HÆc autem dilectio non erga paucos, qvi nobis benefaciunt, se exerat more publicanorum, Matth. 5,46. verùm ad omnes homines se extendat, qvi nostrâ ope indigent, sive noti sint, sive ignoti: qvod Salvator in Parabolâ Luc.11. declarat. Eadem sit mutua, *ut ita benignitas & fides occurrant sibi, justitia & pax se osculentur*, Psalm. 85,11. Noacho mandabat DEUS, ut arcam intrinsecus & extrinsecus picem obduceret, ut ita arctius singulæ tabulæ cohærerent, nec rimis fatiscens illa aqvis repleta submergeretur, Genes.6,14. Nobis injungit idem, ut in Ecclesiæ arcâ hoc agamus, qvò interiùs erga DEUM, exteriùs erga proximum charitatis glutine simus probè obducti, firmiterq; cohæreamus, 1.Cor.6,17. Actor.5,13.

III. LOC. COMM.

HÆc dilectio sit ἐκτενὴς, talis, qvæ manum libenter protendat ad benefaciendum. Multi enim sunt factiosi lingvâ, inertesq; operâ, multa promittunt, pauca præstant, atqve ita ostendunt, sibi esse

vel nullam, vel curtam amoris ſupellectilem. Laudantur & benedictione ditantur duo filii Noachi, qvi patris ſui nuditatem pallio magno (ſiqvidem humeris apportabant) obtexerunt averſis oculis, ne eam viderent, Gen. 9, 23. Sic etiam Chriſtianos veros, qvi volunt ſuum nomen, Hebraicè כָּתַב, ſcribi in libro vitæ, ſeq; allici, & dilatari, (id notat פָּתָה) ut ibidem ad nomen alluditur v. 27. decet ad aliorum nævos oculos claudere, & charitatis pallio obvelare, qvemadmodum pius Imperator dixit, ſe, ſi qvid mali admitti, vel flagitii perpetrari videret à verbi divini miniſtro, ſuam trabeam vel paludamentum illi injecturum, qvò minùs id ſcandalum videretur. Hoc imitemur! qvò etiam illa, qvæ in parte poſteriori ſeqvuntur, ſpectant, eandemq; habent metaphoram.

SECUNDA PARS.

QVoniam autem talis *dilectio* ita extenſa, *operiet* & obvelabit *multitudinem* magnumq; cumulum *peccatorum* à proximo commiſſorum: Qvæ ſententia ab Apoſtolo citatur ex Proverb. 10, 12: ubi ex oppoſito membro optimè perſpicitur, qvæ ſit hujus ſententia, nempe dixerat Rex ſapientiſſimus: *Odium excitat contentiones*: ſi qvis odio proſeqvitur proximum, aut illi invidet, aut contra eum irâ exardeſcit, plerumq; fit, ut inde excitentur omnis generis convitia, fœdæq; peccatorum exprobrationes, ab humanitatis Chriſtianæq; charitatis officio alieniſſimæ: ſiqvidem nihil magis hominum animos à ſe invicem distrahit, qvàm enumeratio eorum, qvæ minùs rectè ab aliis facta ſunt. Contrà verò Charitas obtegit omnes defectiones, diſſimulat, ſi qvid minùs rectè factum videt, 1. Cor. 13, 7. aut ſi non poteſt negari, corrigit & excuſat apud alios homines, qvantum in ſe eſt extenuando velut ſepelit, & ex omnium hominum conſpectu velut removet. Non verò hoc loco Apoſtolus loqvitur de obtectione peccatorum in conſpectu DEI, de qvâ Paulus ex Pſal. 32, 1. Rom. 4, 7. Jac. 5, 20.

LOC. COMM. I.

UNde conſtat, qvàm graviter errent Pontificii, nec ad ſcopum planè colliment, dum hoc dictum citant, qvaſi dicatur in eo, dilectionem noſtram tegere peccata noſtra coram DEO: ſiqvidem (qvod ex antecedente oppoſito commate liqvet) de eo loqvitur, qvod fit inter homines amicos vel inimicos. Amicus amici nævos excuſat & tegit; ini-

inimicus omnia accusat, & detegit. Qvæ igitur consequentia: Homo amicus per dilectionem tegit peccatum amici coram hominibus; Ergò tegit sua coram DEO? Et hic est ἔλεγχος.

II. LOC. COMM.

Νουθεσία & ἐπανόρθωσις elegans est illa: Facilè omnes perferre ac pati qvi potest, sine invidiâ laudem inveniet qvidem, & amicos parabit, juxta Comicum; sed certiùs juxta verbum Prophetarum & Apostolorum DEI benevolentiam, hominumq; sibi conciliabit, qvi non omnia ad vivum resecat, non aliorum nuditatem more Chami ostentat ac deridet, verùm tegit. Laudatur Rachab, Jos. 2,4. Heb. 11,31. Jacob. 2,25. qvòd exploratores Israëlitarum absconderit; magnumq; hujus facti reportavit præmium, Jos. 6. Prædicatur cujusdam mulieris fides, qvæ Davidis Legatos texit, 2. Sam. 17,19. & sine dubio à Davide postea est affecta munere. Nobis etiam, si tegamus aliorum nævos ac errores, repositum est magnum & memorabile nomen, maximumq; præmium. Semper autem hic Salvatoris Maxima obtineat: *Qvod alios facere vultis vobis, facite & vos ipsis*, Matth. 7,12.

III. LOC. COMM.

OCcurritur hîc vanæ multorum exceptioni: Semel atqve iterum possum condonare; Is verò nimis sæpè ad eundem offendit lapidem: ideóq; ferre non potest ulteriùs impunè. Respondet Apostolus: Curta est vestra charitas. Nam extensa operit peccatorum multitudinem. Davidici Legati hoc sibi valdè dedecori putabant, vestes suas à Rege Hammonitarum esse abscissas usqve ad medium. Unde etiam David tantam injuriam ulciscens, Hammonitis servitutis jugum imponit, 2. Sam. 10. Qvantò magis nos dedecere putabimus, si patiamur nostrâ culpâ à Rege Ammonitarum, seu Diabolo hujus mundi, & plerorumqvè populorum Principe, pallium charitatis vel maximè decurtari, vel planè aufferri. Certè servituti æternæ & cruciatibus deduntur illi, qvi eam vestem amiserunt, nec vident denuò, ut vestes sibi comparent, tùm illas, qvibus coram DEO; tum illas, qvibus coram proximo in fide & charitate ornati posint consistere, Apocal. 3,18. Sunt enim hæc duo illa, qvibus triumphaturos de Diabolô & mundô oportet indui. Hæc Christianorum trabea, hæc eorum purpura & latus clavus. Pergamus igitur in verâ fide & charitate, ut

olim fruamur æternâ felicitate, ſtudeamus aliis declarare noſtrum mutuum amorem, qvò DEI retineamus paternum favorem, & qvondam conſeqvamur perpetuum in cœlis honorem.

FESTI PENTECOSTES FERIÆ PRIMÆ.

Actor. 2. v. 1. 2. 3. & 4.

ΚΑΙ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς Πεντηκοστῆς, ἦσαν ἅπαντες ὁμοθυμαδὸν ἐπὶ τὸ αὐτό. Καὶ ἐγένετο ἄφνω ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἦχος, ὥσπερ φερομένης πνοῆς βιαίας, καὶ ἐπλήρωσεν ὅλον τὸν οἶκον, οὗ ἦσαν καθήμενοι. Καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρὸς, ἐκάθισέ τε ἐφ' ἕνα ἕκαστον αὐτῶν. Καὶ ἐπλήσθησαν ἅπαντες Πνεύματος ἁγίου, καὶ ἤρξαντο λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις, καθὼς τὸ Πνεῦμα ἐδίδου ἀποφθέγγεσθαι αὐτοῖς.

ET qvùm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes unanimiter in eôdem locô. Et factus eſt repentè de cœlô ſonitus, tanqvam impetu venientis flatûs vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes. Et viſæ ſunt illis diſſectæ lingvæ, velut igneæ, ſeditq; ſuper ſingulos eorum. Ac repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, cœperuntq; loqvi aliis lingvis, prout Spiritus ille dabat eloqvi illis.

ELias zelo DEI plenus, ab Angelo refectus, ad montem Horeb usqve ſe confert, ubi ipſe primùm laſſus, & velut deſperans mori expetit; poſteà tamen DEUS coram ipsô transit, hôc modô: *Primùm erat ventus magnus & vehemens, perfringens montes, per-*

perrumpens q̄; petras; pòst concussio; deinde ignis: Sed in his non erat Jehova; Tandem vox silentio tenuis, ubi Jehova loqvitur, 1. Reg. 19. Qvod Eliæ contigit, id cuilibet pio contingit, qvi verè potest dicere fideli corde אֱלֹהַי יְהוָה Deus meus es Jehova. Is enim ab Angelo Dei, seu ministro verbi regenitus per verbum & Sacramenta, deinde ad montem Dei Horeb, in qvâ lex lata traducitur, hîc minis legalibus, qvæ sunt, velut fulgura ac tonitrua, Exod. 19. terretur, & mortis reus peragitur: verùm tùm ita contrito corde se gratiosè in Evangelii promissionibus revelat, Dominus præmissô ventô illô, qvi altos humanæ confidentiæ montes dejiciat, Luc. 3, 5. petrasq; cordis saxei percutiat, Jer. 23, 29. Unde seqvitur in pectore concussio & contritio, Luc. 18, 3. urentesq; pœnitentiæ gemitus, Rom. 12, 20. qvæ ubi præcesserunt, Jehovæ vox silentio tenuis seqvitur, nempe illa, qvæ in Christo revelata, Esa. 42, 2. Matth. 12, 19. 20. & qvam tantoperè audire expetunt filii Coræ, Psalm. 85, 9. sic suspirantes: *Audiam, qvid loqvatur DEUS ille fortis Jehova.* *Nam eloqvitur pacem erga populum suum, & erga eos, qvos benignitate prosequitur:* qvemadmodum in hodiernô Evangeliô eam Christi vocem ad charissimos discipulos fuisse audivimus: *Pacem relinqvo vobis, pacem meam do vobis,* Joh. 14, 27. Hoc promissum qvomodo in Apostolis completum, hodierni diei festivitas postulat explicari; qvod ex qvatuor prioribus cap. 2. Act. versibus faciemus, & in historiæ descriptione annotabimus illa qvatuor:

I. Temporis opportunitatem.
II. Apostolorum unitatem.
III. Spiritûs venientis Majestatem.
IV. Donorum datorum varietatem.

Veni Sancte Spiritus, & emitte cœlitùs lucis tuæ radios!

PRIMA PARS.

MOses ad montem Horeb, Exod. 3, 1. Israëlitæ ad montem Sinai, Exod. 19. admirabundi consistunt, spectantes cœlitùs delabentem & loqventem ignem. Nos longè justiùs ad montem Sion accedamus, montem Dei vivi, Jerosolymamqvè supernam, Hebr. 12, 22. 23. (vide & confer, qvæ præcedunt à v. 18.) visuri rem maximè stupendam in Ecclesiæ multitudine, non ut ille solus in deserto, neq; ut hi in vastâ solitudine. De Temporis circumstantiâ sonant hæc verba: *Cùm jam ad-*

adveniſſet dies Pentecoſtes, ſcilicet qvinqvageſimus à feſto Paſchatis, unde dicitur ſolennitas hebdomadum plenarum ſeptem, Levit. 23. v. 15. In Græco textu eſt duplex Hebraiſmus ἐν ex ב pro temporis nota, & συμπληρῶσθαι impleri annus vel dies dicitur, qvi jam inchoatus eſt, & procedit præcedentibus exactis. Sic Jer. 25, 12. Luc. 2, 21. & 9, 51.

LOC. COMM. I.

OBſervanda eſt hæc circumſtantia diligenter reſpectu cùm Apoſtolorum, tùm etiam aliorum; Illorum, qvibus tum complebatur data promiſſio; Horum, qvia illis tanti miraculi conceſſa cognitio. Prius hoc docet, DEUM promiſſis ſtare. Dixerat Johannes de CHRISTO Matth. 3. Luc. 3. *Ipſe baptizabit vos igne & Spiritu.* Et Salvator ipſe Act. 1, 5. 8. *Vos baptizabimini & induemini virtute ex alto non multò poſt hos dies*, nempè aſcenſionis: paulò pòſt igitur facit, ut promiſſa appareant, qvod hîc declaratur. Solatium id præbet nobis, qvando præſtolamur, dum DEUS nos juxtà promiſſiones exaudiat. Mane, dum impleatur dies, qvem ille ſibi præfixit, Act. 1, 7. non emanebit, Hab. 2, 3. tu tantùm eum expecta, Pſal. 27, 14.

II. LOC. COMM.

IN die Pentecoſtes, qvando magna populi multitudo Jeroſolymis conveniebat, hoc tantum miraculum DEUS edi voluit, ut ita citiùs toti mundo innoteſceret. Vide infra v. 5. & 6. qvemadmodum in feſto Paſchatos CHRISTUS mori voluit, Luc. 22. & 23. ne qvis tantarum rerum eſſet inter Judæos, qvibus oportebat hæc primùm prædicari, Act. 1, 8. Luc. 24, 47. Act. 13, 46. ignarus. Unde colligimus (1.) qvia veritas amat lucem, Joh. 3. mendacium autem & mala tenebras; DEUM ſua omnia apertè de die & propalàm facere; Diabolum cum ſuis in angulo noctu & ſecretò agere. Vide hiſtor. 1. Sam. 28, 8. (2.) DEUM velle, ut omnes ſuorum beneficiorum gnari & compotes reddantur, & ut Chriſtus antea in conſpectu multorum ignominiosè patiebatur, & poſtea conſciis multis reſurgebat, Matth. 28. 15. & in cœlum aſcendebat: ita glorioſè nunc revelat ſe non tantùm vivum, ſed etiam glorioſum ad dextram patris conſidere, ac ſuam promiſſionem implere voluit. Confer Matth. 26, 64. Joh. 7, 39. Act. 2, 33. Annus jubilæus apud Judæos erat qvinqvageſimus, qvando omnes ſervi & ancillæ ex Judæis in libertatem priſtinam reſtituebantur, Levit. 25.

Verùm

Verùm à paschate N. Testam. dies erat qvinqvagesimus, qvando veniebat is, qvi nobis in toto mundo erat per verbi ministerium restituturus libertatem pristinam in Adamo primo amissam, & ab Adamo secundo recuperatam. Ubi enim Spiritus Domini est, ibi libertas, 2. Cor. 3, 17. In veteri Pentecoste Israëlitæ offerebant DEO panes duos: in hâc novâ per ministerium Apostolorum miraculosè ad id instructorum Spiritus sanctus nobis in verbo offert panem vitæ, Joh. 6. Qvantò igitur major nostri festi qvàm illius solennitas? Anno 1453. in ipsis feriis Pentecostes captam esse Constantinopolim à Turcâ, sunt qvi asserunt, qvamvis alii hoc negent. Litem non facimus nostram, sed ita ad nostrum usum transferimus: demus venienti Spiritui sancto in festo Pentecostes locum, qvi pacem & omnis generis bona nobis adfert, ne illo excusso omnis generis mala nos premant; & ne captivemur corporaliter, spiritualiter captivemus omnem nostrum intellectum in CHRISTI obsequium. 2. Cor. 10, 5. Et hæc de temporis circumstantiâ.

SECUNDA PARS.

NOtanda hîc est *Apostolorum unitas*, de qvâ agunt hæc verba: *Et erant omnes concorditer in uno loco*, ὁμοθυμαδὸν, ita ut unanimi consensu idem vellent ac nollent, unde demum veram amicitiam oriri scribunt sapientes: qvemadmodum etiam de piis postea legimus v. 44. 46. & cap. 4, 32. *qvòd multitudinis illorum, qvi crediderant, fuerit unum cor & una anima.* Et hæc circumstantia reducit nos ad superiora illa, ubi CHRISTUS mandaverat, ne recederent Hierosolymis, sed ibi expectarent promissionem Patris, Act. 1, 4. cui mandato illi obsequentes introducuntur v. 12. & 14. Nos inde discimus:

I. LOC. COMM.

UT discipulorum CHRISTI verorum nota est mutua charitas, Joh. 13. 35. ita etiam illis dantur Spiritûs Sancti χαρίσματα, qvi eidem, sunt dediti; Contra autem ab illis qvàm maximè recedit, qvi oderunt proximum: sicut apparet in Saule, odio prosequente Davidem, 1. Sam. 18. unde etiam sine dubio in specie columbæ Spiritus Sanctus ad Jordanem apparere voluit, Matth. 3. ut indicaret, sibi non placere illos vultures, milvios, accipitresq;, qvi omnia in genere humano turbant, & inter qvos rarò convenit. Sic etiam Noacho olivæ folium attulit

tulit non corvus, sed columba, ut indicetur lætum Evangelii nuncium per concordiæ amantem Spiritum Sanctum, unanimesq; Apostolos adferri, Genes. 8. Si volumus dictum Scripturæ, videamus Galat. 5, 22. *Fructus Spiritûs est charitas:* & ibi est DEI Patris benedictio, ubi est fratrum mutua dilectio, Psal. 133.

II. LOC. COMM.

QVemadmodum Jacobi filii duodecim Patriarchæ in Veteri Testamento sunt Israëlitarum omnium stirpes, Genes. 49. Ita etiam Christus suos Apostolos duodecim voluit esse progenitores spirituales spiritualium Israëlitarum in N. Testamento. Et ut illi cum Patre unanimi consensu in Ægyptum jussu DEI abibant, Genes. 46. Ita hi in mundum tenebricosum se collaturi primùm concorditer, aliqvantisper perdurant, ac posteà corporibus divulsi, animis erant conjunctissimi. Et qvemadmodum qvatuor animalibus & qvatuor rotis inter se connexis in visione Ezechieli oblatâ cap. 1. unus Spiritus inerat, qvi agebat omnes, ut simul attollerentur: Sic hoc loco Spiritus Sanctus Apostolos omnes æqvè vivificat, ac movet, ut eant deinceps omnes cuncti promptissimi in qvatuor mundi partes, Marc. 16. v. 20. velut DEI Angeli & ministri parati. Est enim hic Spiritus Sanctus potentissimus, juxta & sapientissimus: de qvo jam porrò in tertiâ circumstantiâ.

TERTIA PARS.

VIdelicet *qvæ sit hujus Spiritûs venientis majestas.* Ubi notanda duo membra: Illius prolixior per signa & similitudines institutæ descriptio, vers. 2. & 3. & propria brevior explicatio in fine versûs tertii & initiô qvarti. In illo sunt IV. observanda: 1. Aër vento vehementi commovetur. 2. Domus tota impletur. 3. Lingvarum divisio. 4. Ignis apparitio. *Tùm exstitit repentè,* Græcè ἄφνω, qvod factum est ex ἀφανὴς per Syncopen & Apocopen, ex occulto & insperato adveniens, (sicut ex eodem themate deductum αὐφνίδιος, 1. Thessal. 5, 3. usurpatur,) *ex cœlô sonitus,* & qvidem ille, qvi qvasi repercussus sæpiùs ad aures venit, *tanqvam ruentis flatûs violenti,* qvi vi arbores evellit ac prosternit, & hic *implevit totam domum, ubi erant* Apostoli *considentes, & visæ sunt eis dispertitæ lingvæ velut ignis.*

Loc.

LOC. COMM. I.

SOnitus ex cœlo veniens indicavit, futurum, ut Evangelio de sinu patris per filium unigenitum allato, & Apostolis revelato, Johan. 1,14. & 17. 6, 8. omnium aures in toto mundo personarent; qvod etiam factum esse asserit Apostolus Col. 1,23. Non enim debent esse muti canes verbi divini ministri, Es. 56,10. Confer tintinnabula sacerdotis maximi in V. T. vesti addita, Exod. 28,35. Sonitus ad montem Sinai homines ita perterrefaciebat, ut omnes fugerent, Exod. 19. Sonitus hic ad montem Sion multos allicit, infra v. 6. ut undiq; accurrant. Qvod autem repente ex insperatô & velut ex occultô existat, notat, qvòd regnum DEI non veniat cum magnâ observatione, Luc. 17. & qvòd Spiritus, ubi vult, spiret; audiamus sonum ejus, nesciamus autem unde veniat, & qvò vadat? Joh. 3, 8.

II. LOC. COMM.

VEntus vehemens Spiritûs Sancti potentiam indicat. Ille est, qvi primùm in creatione aqvas fovebat, & super eas ferebatur, Gen. 1,2. Is in recreatione etiam primas tenet, Joh. 3. Psal. 51,12. Ventus aërem purgat, hic verbo & applicato Christi meritô corda, Actor. 15. Ventus cogit nubes, ut pluvia terras madefaciat; Hic Spiritus Sanctus facit, ut stillet Prophetarum & Apostolorum prophetia, super arida hominũ terrenorũ corda. Confer Job. 29,22. Ezech. 21. v. 1. & 7. Amos 7,26. Mich. 2,6. qvæ est velut pluvia fœcunda Esa. 55. v. 10. & 11. Hebr. 6, 7. Deutr. 32, 2. Ventus naves propellit; Spiritus Sanctus tardos in pietate excitat, ut tendant celeriter ad metam, properéntqve ad portum vitæ æternæ. Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia. Ventus excelsas arbores in montibus sæpè prosternit. Hic Spiritus per procellas minarum corda humiliat.

III. LOC. COMM.

TEmplum Salomonis olim DEUS suâ præsentiâ gloriosâ ita implebat, ut non potuerint consistere Sacerdotes, 1. Reg. 8, 10. 11. Nunc domum, ubi sunt Apostoli, ita implet, ut adversus omnia mala qveant subsistere. Tota qvidem terra est plena gloriâ ejus, Esa. 6. Actor. 28. Verùm speciali modo præsentiæ adest Apostolis, eos erudiendo & erigendo: unde liqvet hoc vocabulum de præsentiâ DEI accipiendum esse: qvia hæc præsentia & impletio nunqvam est sine operatione: imò hanc notat tantum. Liqvet etiam per opera-

tionem eam rectè definiri, & relatum esse, qvod se referat ad creaturas; ideóqve non attributum DEI æternum & essentiale.

IV. LOC. COMM.

LIngvæ in Apostolis videntur, & qvidem *dispertitæ*; tum qvia vis eorum maxima consistit in prædicando Evangelio, qvod est potentia ad salutem omni credenti, Rom. 1, 16. tum qvia per totum terrarum orbem erant dispergendi, & ubiqve prædicaturi, Marc. 16. Cùm homines qvondam unanimi consensu decreverant turrim ædificare, cujus fastigium ad cœlum pertingeret, DEUS lingvam unam in varias, pœnæ loco, dispertiebatur, Gen. 11. Nunc verò unanimis Apostolis templum DEI ædificaturis, & homines ad cœlum usqve evecturis datur omnium lingvarum donum maximi muneris loco, ut ita per diversitatem lingvarum gentes in unanimitatem fidei congregarentur, Joh. 11, 52.

V. LOC. COMM.

SUb ignis formâ Spiritus Sanctus apparet, qvia ille solus est, qvi per verbum nos in tenebris sedentes illuminat, Esa. 9. Matth. 4. Luc. 1. uti olim ducebat Israëlitas ignis; ille solus qvi corda nostra rigida & frigida ardere facit, Luc. 24. Ignis sursum tendit: hic Spiritus terrena despicere, & cœlestia cogitare ac sapere docet, Col. 3. Ignis aurum, & alia metalla probat; hic Spiritus corda. Ignis cœlitùs à DEO demissus olim cum nondum essent Sacramenta instituta, sacrificia incendens, homines de gratiâ DEI reddebat certos, Gen. 4. & 25. 1. Reg. 18. 2. Chron. 7. Hic sacer ignis nostra corda pietatis ardore inflammans facit inde suffitum gratum sursum ad DEUM evaporare, nempè preces, Psal. 141. v. 2. & nos de gratiâ DEI certissimos reddit, veluti sigillum & arrha, 2. Cor. 1, 22. & 5, 5. Eph. 1, 13. & 4, 30. qvæ apponuntur iis qvæ volumus esse certa illis, ad qvos pertinet. Vide Esth. 3, 12. c. 8, 8. Dan. 6, 18. 1. Reg. 21, 8. Nehem. 9, 38.

ILlarum autem circumstantiarum hactenus declaratarum prolixior enarratio huc saltem tendit, ut miraculi hujus majestatem discamus admirari. Unde jam paucis idipsum subjicitur his verbis: *Et sedit*, (scilicet Spiritus Sanctus, qvi Nominativus ex versu seq. est supplendus) *super unumqvemqz eorum*: ita se revelavit & communica-

nicavit, ut mansurus, Joh.14,16. qvod verbum sedere etiam innuit, qvippe qvod in V. T. sæpissimè pro manere & habitare usurpatur. *Et sic impleti sunt omnes Spiritu Sancto.* Non acceperunt qvasdam veluti stillas hujus gratiosæ pluviæ, sed plenum imbrem, qvo nomine ob copiam donorum Spiritus Sanctus effundi dicitur, Joel.2,28. Infr.v.17. In V. T. prophetæ magna, alii varia, sed seorsim data dona accipiebant: Apostoli autem planè à Spiritu Sancto implentur.

LOC. COMM. I.

UNde docemur (1.) Qvod alia sit ratio Apostolorum, qvatenus tales, & alia Christianorum aliorum. Illi enim cum erant futuri prima lumina & columina Ecclesiæ N.T. ita in veritate doctrinæ erant fundandi, ut in Apostolatûs officio, qvũ docebant vel coram, vel per literas, errare non possent. Duplicem hoc nobis præbet ἔλεγχον. Primum *contra Pontificios*, qvi, qvæcunqve Petro Apostolo data sunt, Pontifici suo maximo data esse svaviter somniant; cùm tantum absit, ut constet, ei istam deberi prærogativam, ut ne qvidem sit verisimile, illum esse ullo modo Petri successorem, neqve qvod ad regionem, neqvè qvod ad religionem. Vide in Loc. de Ecclesiâ. Alterum *contra Calvinianos*, qvi in qvæstione de perseverantiâ Sanctorum sæpè talia citant dicta, qvæ loqvuntur de peculiari privilegio hîc Apostolis dato, idqve ad alios qvoqve Christianos inconvenienter accommodant. Qvæ enim est ratio? *Apostoli non potuerunt post hanc Spiritus Sancti donationem in doctrinâ errare. E. neqve Christiani alii, qvum semel Spiritum Sanctum acceperunt, possunt contra conscientiam peccare, aut fidem amittere?* Nota saltem, super Apostolos singulos Spiritus Sanctus sedit; alii accipiunt eum, Act.8,17.& 19. & ipse in eos delabitur, Act. 10,44.

II. LOC. COMM.

DOcemur (2.) Apostoli Spiritu Sancto peculiariter pleni & ab eô acti tantùm vera docuerunt, ad qvæ oportet nos attendere. Isti enim sunt Patriarchæ & Prophetæ N. T. 2. Petr. 1, 19. 20. & 21. Hinc Apostoli habuerunt in mente omnium rerum sacrarum perfectam cognitionem & scientiam in spiritualibus, in voluntate promptum Spiritui obsequium; in animo divinum robur, ut neq; pericula, neqve mortem timerent qvidqvam, sed etiam in malis exultarent, Act.5,41.

PARS IV.

REstat hujus miraculi effectus, qvi est θεοδιδάκτων Apostolorum profectus celerrimus: de qvo ita scribit Evangelista: *Et cœperunt* statim, eo ipso momento, dictum factum, *loqvi aliis & novis lingvis*, Marc. 16, 17. præter suam vernaculam, qvam solam tenebant idiotæ & homines ἀγράμματοι, infra v. 7. c. 4, 13. *prout* ipse *Spiritus dabat illis effari*, Græcè longè ἐμφαλιπώτερον, ἀποφθέγγεσθαι, ita loqvi, ut singulis verbis magna vis insit, multumqve sapientiæ in singulis periodis, & dictis contineatur; ut in istis, qvæ vulgò vocamus apophthegmata, infra v. 14. & benè notandum, qvòd Paulus hoc verbum opponat illis, qvi Phanaticorum more multa mira effutiunt, cùm dicit Actor. 26, 25. *non insanio, optime Feste, sed verba veritatis*, mentisqve sanæ, sanorum more, sententias optimas *eloqvor*, ἀποφθέγγομαι. Hæc igitur est donorum Spiritus Sancti in Apostolis varietas.

LOC. COMM. I.

UBi primò perstringenda est Erasmi cœcitas, qvi existimat, hoc miraculum potiùs fuisse in auditoribus, qvàm Apostolis proloqvutoribus. Expressa enim sunt verba: *Cœperunt loqvi aliis lingvis*; Et præcedentia satis declarant, ad Apostolos miraculosis donis ornandos hæc spectare, sicut Christus promiserat, & postea in orbem terrarum emissi, singulis nationibus suâ lingvâ loqvebantur.

II. LOC. COMM.

ENoch & Elias sunt qvidem in cœlum sublati, sed postea insigni aliqvo munere suos non affecerunt, ut Salvator noster, qvi ita ascendit in cœlum, ut tamen cooperaretur Apostolis, Marc. 16. cœlumqve occuparet, ut Rex suum regnum, Act. 3, 21. ubi de majestate non de inclusione. Servus Abrahami adducturus suo heri filio sponsam, omnis generis dona secum adfert, ut adpareat, non esse eum servum domini pauperis, miseriqvè; atqve ita qvod postulat, impetrat, Gen. 24. Sic etiam Apostoli, DEI servi & legati, herili filio CHRISTO JESU adducturi Sponsam, donis maximis qvàm plurimis instruuntur, ut illa facilius seqvatur ejus nuptias ambien-

tem

tem DEUM. Huc pertinet, qvod, qvum Deus unam omnium lingvam qvondam ex irâ in varias lingvas diffudit, nunc ex gratiâ vicissim uni Apostolo omnium lingvarum cognitionem donavit, in usum suorum: Atqve ita ex DEI benignitate etiam ipsa mala piis cooperantur in bonum, Rom. 8, 28.

III. LOC. COMM.

TAndem hinc discimus, qvanta cura sit adhibenda verbi divini ministris in meditandis & componendis concionibus, ne sint scopæ dissolutæ, aut hinc inde conqvisitæ, miseréq; cohærentes laciniæ, sed meræ sententiæ & apophthegmata, ut ita Apostolorum se pro suo modulo vestigiis insistere appareat. Apostoli ἀποφθέγματα proloqvuntur, & Concionatores nostri non vereantur nugas aut incerta proferre somnia? potiùs meminerint, qvod Bezaleel fuerit impletus DEI Spiritu, peritiâ & intelligentiâ, & omni arte excogitandi res industriè inventas, operandiqvè in auro & argento, ut illa conficeret, qvæ ad tabernaculum DEI pertinebant, Exod. 31. Qvantò magis reqviritur, ut hodierni Verbi divini ministri orent ac laborent, qvo omnia, qvæ ad DEI templum exædificandum spectant, rectè elaborentur, & ipsi in verbo DEI (qvod auro purgato est præstantius) operentur, idqve ritè secare possint. Sic fiat CHRISTE, Amen.

IN FESTO SACROSANCTÆ TRINITATIS.

Rom. 11. v. 33.

Ὦ βάθος πλούτου, καὶ σοφίας, καὶ γνώσεως Θεοῦ! ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ, καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ;

O profunditatem divitiarum, & sapientiæ, & cognitionis DEI! qvàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & imperveſtigabiles viæ ejus?

EZech. 47,2. 3. 4. 5. Prophetam Virille, qvi ipsum à cap. 40,3. de statu Ecclesiæ informat, templumqve DEI ædificat, unde hoc loco iterum ejus amplitudinem dimetitur, (confer qvæ dicta Zach. 2. Prophetam, inqvam, Virille ducit via, qvæ spectat orientem, ubi aqvæ manabant, & primum talares, deinde ad genua, & porrò ad lumbos usq; pertingentes: tandem autem fuit torrens, qvem non potuit transire, sed à Viro illo in ripam traducitur. De variis aliorum explicationibus minùs hoc tempore solliciti, tantùm illa, (qvod licet) ad usum nostrum ita accommodabimus. Aqvarum nomine cognitio DEI, qvæ per Spiritus Sancti dona obtingit, aliqvando venit in Sacra Scripturâ Esa. 11,9. 12,3. 35,6. 43,20. 44,3. Zach. 14,8. Joh. 4,10. Illæ fluunt ex & in templo DEI, id est, Ecclesiâ, via, qvæ spectat orientem, seu Christum orientem ex alto, Luc. 1,78. Is enim, cùm nemo Deum vidisset unqvam, venit ex sinu patris, deqve DEI essentiâ & voluntate genus humanum erudiit, Joh. 1,18. & aqvam sitientibus præbuit, Joh. 7,37. 38. 39. Hæ verò aqvæ cognitionis DEI videntur nobis primùm parvæ, verùm qvo ulteriùs progredimur, agnoscimus divinæ sapientiæ majorem abyssum, ubi agnus peditat, & Elephas natat, id est, ubi simpliciter credens novit, ut intelligat, & subvehitur; curiosè autem scrutans, qvi vult intelligere, ut credat, confunditur & submergitur. Vide Rom. 12,3. 1. Cor. 4,6. 2. Cor. 10,5. Syr. 3,21. 22. 24. nisi qvando qvis cum Petro videt se submergi in hoc scientiæ pelago, Matth. 14,30. ad Christum accurrens fide, ejus manu sustentetur: Sicut Moses olim firmabatur Jovæ dextrâ, videns DEI gloriam, Exod. 33,22. & ita ab ipso in ripam ac portum vitæ æternæ, plenariæqve DEI cognitionis, ubi pii consistunt coram DEO jugiter intuentes eum de facie ad faciem, traducatur. Confer Phil. 1,23. 1. Joh. 3,2. Apoc. 7,15. 16. Hanc piam simplicitatem Paulus commendat, nimiam curiositatem in fidei articulis damnat hoc loco, qvum ipse multas qvæstiones ex iis, qvæ dixerat, emergentes pio silentio involvit, & potiùs monet, hic esse mirandum qvàm rimandum. Nos in hoc divino mari videamus

I. Scientiæ DEI inscrutabilem abyssum.
II. Justitiæ impervestigabilem recessum.
O lux beata Trinitas,
Et principalis unitas,

Sol

Sol esto nobis igneus,
Infunde lumen cordibus.

PARS PRIOR.

GEnes. 25, 14. Ismaël inter alios, hosce 3. filios genuisse legitur, וּמִשְׁמָע וְדוּמָה וּמַשָּׂא. Fuerunt, qvi hoc ita acceperunt, ut dicerent, haberi hîc illud optimum politicum monitum: *Audi, sile, perfer.*

Höre viel/vnd wenig sage/
Dich nicht allzusehr beklage.

Nos rectiùs Christianam esse admonitionem dicemus, qvando mysticè illa nomina propria explicata ad nostrum usum volumus convertere, hoc modo institutam: audiendum esse de DEO, non contradicendum, sed silendum, & deniqve qvod DEUS qvamvis occulto, certè non injusto judicio immittit malorum, ferendum. Qvæ tria hoc loco ab Apostolo præmonstrantur egregiè, dum primum varia suos auditores voluit cognoscere de DEI benignitate in pios, & severitate in malos; postea multas qvæstiones curiosas unica præscindit exclamatione, & judicia DEI à nobis plenè investigari non posse subjicit. De scientiâ seu sapientia DEI hæc verba sonant: *O profunditas divitiarum*, Hebraismô notô, pro, ô profundas & ab homine nunqvam exhauriendas divitias, tum *sapientiæ*, qvæ DEO est recondita, tum *cognitionis* & scientiæ nobis in verbo revelatæ; neq; hanc neqve illam homo qvispiam potest satis dimetiri. Ita immensa est sapientia, qvam & DEUS habet in se, & qvam in suo verbo ostendit, in hâc vitâ satis non potest perdisci.

I. LOC. COMM.

TEmeritas eorum reprehenditur, qvi in fidei articulis otiosas qvæstiones vel ipsi inveniunt, vel in illis resolvendis & enodandis sunt toti. Si enim Apostolum longè magis illuminatum non puduit qvædam inutilia potiùs piâ præcisione rejicere, qvàm ullâ responsione dignari; qvid nos reliqvos facere decebit? Alexander magnus nodum Gordium, qvem solvere non poterat, gladio resecabat; Nos, qvæ ex Scripturâ explicare non habemus, gladii hujus sacri, h.e. verbi ductu præscindamus. Herodes Christum multa interrogabat curiosa, sed ad omnia silebat, Luc. 23, 9. In Pythagoræ schola qvinqvenne silentium indicebatur, ut ita à sobriâ taciturnita-

tate auſpicarentur ſapientiam. Hoc ut DEUS indicaret, in voce, ſilentio tenui, apparebat Eliæ, 1. Reg. 19. Sit igitur omnium Chriſtianorum in talibus Symbolum, Eſa. 30, 15. *In tranqvillitate erit veſtra potentia.*

II. LOC. COMM.

SI eſt in DEI ſapientiâ abyſſus, meminerimus, non nimis nos immergere qvæſtionum non revelatarum vorticibus. Ex profunditate enim non facilè aliqvid qvisqve protraxerit. Sicut Nadab & Abihu afferentes ignem alienum igne à DEO immiſſo conſumuntur Lev. 10, 1. & 2. Ita adhuc נָדָב, id eſt, ille, qvi ſpontè, ultrò, & non juſſus in DEI arcana irruit, & Abihu, id eſt, pater ejus, ſeu ratio humana perverſa, qvando præter lumen Verbi DEI à DEO ipſo in templo ejus ſeu Eccleſiâ accenſum, alium ignem inqviſitionis curiosè accendunt, à DEO plerumqve excœcantur & perduntur. Nihil igitur hic noſtris viribus poſſumus: ſed qvemadmodum olim in creatione ſuper chaos indigeſtum & profundum Spiritus DEI incubans omnia fovebat ac animabat: ita etiamnunc hic ſacer ille ignis omnia in profunda hac mentis noſtræ caligine illuſtrat, & per mare hoc velut Iſraëlitis ex Ægypto proficiſcentibus tutum iter oſtendit.

III. LOC. COMM.

UT profunditas neqvit exhauriri: Ita neqve illæ divinæ ſapientiæ theſauri,

Qvis poterit magnum ſcrobe parvâ amplectier æqvor?

Prophetæ viduæ, cujus oleo benedicebat DEUS, tandem reſpondebatur, non eſſe qvo illud infunderetur 2. Reg. 4, 6. Id multo magis obtingit, qvando qvis immenſam DEI ſapientiam cupit demetiri; ſiqvidem ſapientiæ ejus non eſt numerus, Pſal. 147, 5. Videamus & alium hujus exclamationis uſum. Sit in nobis malorum & culpæ & pœnæ magna copia, hæc immenſa bonitatis DEI profunditas illam vincet. De profundis clamat David, & ſalvatur, Pſal. 130. & multi alii, qvi ſunt ſervati Pſal. 22. Qvicqvid igitur nobis deeſt, ex his profundisſimis & abundantisſimis divitiis hauriamus. Deeſt ſapientia? hinc petatur, Jacob 1. Deeſt ſanitas? huc accurratur: DEUS eſt medicus, Exod. 15, 26. Deficit bonum? ille ſolus eſt bonus, Matth. 19. &, ut omnia bona creavit, Gen. 1. ſic omnia adhuc, & in omnem

æter-

æternitatem, benè facit, Marc. 7. v. 37. qvi sitit, veniat ad has aqvas profundas, Johan. 4.

IV. LOC. COMM.

SI autem est profunditas dives sapientiæ DEI; graviter peccant, qvi DEI sapientiæ qvasi metas præscribunt, & illi, qvi petunt se hoc vel illo tempore vel modo liberari. Domino Jehovæ sunt exitus etiam contra mortem, Psal. 68. tantùm devolve in ipsum, qvicqvid malè te habet. Ille pro suâ sapientiâ novit suos ex tentatione eripere. Magna erat Salomonis sapientia, qvâ ille matris σοφγὴν latentem poterat investigare, 1. Reg. 3. Verùm illa omnis erat magnæ hujus profunditatis tantùm rivulus; siqvidem à DEO illam exoraverat. Sapiens erat Bezaleel, Exod. 35, 10. sapientes Prophetæ & Apostoli, Matth. 23, 34. Verùm omnes ab æternâ DEI Sapientiâ missi, & instructi fuére tantis donis, Proverb. 8. Qvod verò ad ipsam immensam DEI sapientiam spectat, eam in hâc vitâ videmus tantùm per ænigma & speculum, 1. Cor. 13. in verbo, ubi qvæ ad salutem consequendam scitu sunt necessaria, abundè sunt revelata, Actor. 20. ubi tamen maxima pars eorum, qvæ scimus, est minima pars eorum, qvæ ignoramus, ut parvuli, qvibuscum suos Christus sæpè comparat, Matth. 18. & 11. Ut meritò dicat Apostolus, DEI stultitiam, qvæ talis videtur, esse longè sapientiorem omnibus hominibus, 1. Cor. 11, 25. & meritò omnes exclamemus: *O profunditatem divitiarum sapientiæ & cognitionis DEI!*

PARS POSTERIOR.

QVando filius DEI apparebat Manoæ, ejusqve uxori, & illi qværerent de nomine ejus, mirabili sacrificii incensione, suâqve in cœlum ascensione declaravit, id plenè ab hominibus sciri in hâc vitâ non posse: ut ipsi fatentur, Jud. 13, 18. sed cum Mose tantùm videri posse DEI posteriora, Exod. 33, 23. id est, opera & miracula, ex qvibus aliqvantulum de omniscientiâ, de omnipotentiâ ac majestate ejus balbutire incipimus. Et ut qvis faciliùs in terrâ, in frugibus, herbis, arboribus, solis effecta videt, qvàm ipsum solem intentis aspicit oculis sine læsione: ita etiam meliùs nos facta DEI miranda contemplamur, & admiramur, qvàm in ipsum adytum mysteriorum DEI perrumpimus, qvalibus in legislatione Exod. 19.

mors denunciabatur. Eam ob causam nunc ad DEI justitiâ in operibus declaratam nos ducit Apostolus, ut si illa non satis cognoscimus tanqvam effecta, qvid de perfectione causæ sit statuendum, facilè concludamus. *Qvàm inscrutabilia sunt judicia ejus!* Judicia enim ex scripturâ rimanda, qvalia in V. T. dicebantur jura, leges, constitutionesqve populo Israëlitico per Mosen traditæ ad politiam populi istius directæ, Exod. 21, 1. Sed in naturâ, mundiqve gubernatione, & Ecclesiæ conservatione miranda, Exod. 6, 6. Chron. 16, 12. Ut enim judicare sæpè sumitur per metalepsin, pro absolvere innocentem, ejusqve justitiam asserere, & contrà nocentem punire, ejusqve malitiam pœnis afficere: ita etiam vox *Judicii* hoc loco notat mirabilem piorum liberationem, & impiorum oppressionem, qvæ qvando, per qvos fieri debeant aut possint, nemo potest à priori scire, & perscrutari: ἐξευνᾶν enim id proptiè significat, & sedulam inqvisitionem notat, Joh. 5, 39. ut indicetur, qvantumvis aliqvis sedulò inqvirat, tamen eum non posse indagare omnes illos modos ac rationes, qvibus Deus suos eripit è malis, impios verò perdit. Non tantùm verò in istis est tanta difficultas, verùm etiam in omnibus aliis DEI actionibus, de qvibus ita subjicit Apostolus: *Qvàm imperveſtigabiles sunt viæ ejus!* Via namqve in Scripturâ nominatur id, qvod qvis studet, agit, molitur, cogitat: qvæ omnia in Deo sunt nobis abscondita, in qvantum iterum DEI mirandam mundi gubernationem concernunt: aliàs viæ Domini sunt benignitas & fides, Psal. 25, 10. in Scriptura revelatæ; sed tamen in se consideratæ nostrâ cognitione longè sunt superiores, Psal. 103, 11. & 12. Eph. 3, 18. ut meritò qvisq; pius dicat:

Non hæc inqviro vestigia, pronus adoro.

Loc. Comm. I.

Judicia DEI inscrutabilia esse, qvum audimus, discant pii rebus suis confidere, (Psal. 4. **er führet sie wunderlich**:) impii diffidere; siqvidem Dominus vel mille modos novit, suos liberare, malos perdere. Exempla id probant. Vide hæc judicia in Noacho cum suis servato, & mundo suffocato: In Israëlitis per mare traductis; in Ægyptiis aqvâ obductis; in Davide gloriosè vincente; Goliatho ignominiosè occumbente: in Daniele erepto; ejusq; adversariis à leo-

à leonum agmine direptis: In Petro ex carcere liberato; Herode ab Angelo trucidato. Hic est unus judiciorum DEI modus, variis exemplis in Scripturâ annotatis, qvotidianâqvè experientiâ observatis comprobatus, qvum DEUS exercet potentiam in brachio suo, Luc. 1, 51. & 52. Verùm alius est magis inscrutabilis, qvum DEUS permittit, ut pius à malo in his terris non tantùm prematur, sed & sæpè opprimatur. Aspice infantes innocentes à Pharaone crudeliter occisos; Nabothum & Stephanum lapidibus obrutos; Johannem & Jacobum decollatos: ubi meritò cum Jobo cap. 21. cum Psalte Psal. 37. & 73. cum Jerem. 12. obstupescimus. Mirabundi alter alterum respiciebant homines, cùm Joseph non tantùm pro ætate cujusqve assignabat locum in convivio; sed & Benjamino qvintuplo plus reliqvis dabat, Gen. 43, 33. & 34. verum fratrem esse horũ ignorabant. Nos multò magis itaq; miramur, qvum videmus, Christum esse piorum fratrem, Deum credentium patrem, & tamen plus dare in hoc mundo servis rebellantibus, qvàm filiis obseqventibus.

II. LOC. COMM.

QVia DEI viæ sunt tàm procul à viis hominum remotæ, qvàm cœlum à terrâ, Es. 55. non mirum est, eas in hâc imbecillitate esse imperveſtigabiles. Qvis enim assequi potest viam DEI in creatione, qvum, qvando nihil erat, esse omnibus rebus solo verbo dabat? Qvis in generis humani redemptione, qvum, qvando hominibus malè erat, per Filium incarnatum, bene ut esset, parabat? Qvis in sanctificatione? qvis in mundi conservatione, gubernatione, consummatione? Is viam in deserto, in mari invénit, is ex rupe, imò ex maxillâ asini aqvam dedit, is ignem fecit non urere, Solem non currere, bruta loqvi, coturnices castra Israëlitarum seqvi. *O imperveſtigabiles Dei viæ! Ex ipso, per ipsũ & in ipso sunt omnia, Ipsi sit honor & gloria.*

DOMINICA I. POST TRINITATIS.

1. Johan. 4. v. 12.

Θεὸν οὐδεὶς πώποτε τεθέαται. ἐὰν ἀγαπῶμεν ἀλλήλους, ὁ Θεὸς ἐν ἡμῖν μένει, καὶ ἡ ἀγάπη αὐτοῦ τετελειωμένη ἐστὶν ἐν ἡμῖν.

DEUM nemo vidit unqvam. Si diligamus nos invicem, DEUS in nobis manet, & Charitas ejus est perfecta in nobis.

2. SAm. 9. celebratur David, qvòd ob fœdus cum Jonatha-ne & familiâ ejus, 1. Sam. 20, 14. & 15. initum, benignitatem erga ejus filium Mephiboseth, pedibus affectum seu claudum, exercuerit propter parentem, 2. Sam. 9, 7. Ita etiam omnis pius, & DEO in filio suo unigenito dilectus, Ephes. 1, 6. qvod Davidis nomen sonat, si interpretari qvis velit, non tàm in hâc vitâ, qvàm post eam in extremo judicio coram omnibus hominibus celebrabitur, Matth. 25. qvòd ob fœdus cum JEHOVA in baptismo initum benignitatem & misericordiam exerceat, suamqve benevolentiam declaret DEI filio adoptivo, seu proximo, Johan. 1, 12. qvi in se est Mephiboseth, id est, talis, qvem meritò suæ ignominiæ pudet, qviqve oculos præ pudore vix audet in cœlum attollere, Luc. 18, 13. cùm sit sibi suorum delictorum conscius, & pedibus sæpè claudus, qvi non ita perfectè in omnibus viis suis seu actionibus incedit, uti meritò debebat, neqve etiam de nobis promeritus, qvemadmodum CHRISTUS in parabola Luc. 10, 30. & seqq. declarat: tamen propter patrem cœlestem, qvi mandavit hunc amorem, Matth. 5, 44. 45. Hoc Johannes, discipulus ille, qvem diligebat Dominus impensiùs, Johan. 13, 23. & 21, 20. inculcat diligentiùs, in suâ priori epistolâ. Ut enim, qvi cibi alicujus gustavit dulcedinem, optimè eum potest aliis commendare: ita etiam hic Johannes amoris potest scribere Encomium, qvippe qvi novit ejus præstantiam & fructum, qvi à Domino tantoperè fuit adamatus, eumqve vicissim ita redamavit, ut Petrum ad ejus monumentum accurrens anteverteret, Johan. 20, 4. Hunc igitur audiamus, hortantem nos ad amorem *primò* Patris cœlestis, qvi est supra nos, *deinde* fratris terrestris, qvi circa nos: vel

I. Ad amorem debitum DEO.
II. Præstandum pio.

PRIMA

PRIMA PARS.

DE duobus tantùm legimus, Mose Exod. 32, 32. & Paulo Rom. 9, 3. qvòd fratres suos plus dilexerint, qvàm seipsos, dum ille pro Israëlitis cupit de libro vitæ deleri: hic pro iisdem anathema fieri. Et de illis hoc qvidem scribitur, qvi DEUM peculiariter se revelantem viderunt; Moses, non tantùm in rubo ardente, Exod. 3. sed etiam postea in igne Exod. 19. Paulus autem in luce circa ipsum, & comites Damascum petentes, refulgente desubito, Actorum 9. 22. 26. capitibus, ut indicetur, tum demum oriri in corde ardentem dilectionem erga proximum, qvando præcesit DEI visio; siqvidem *ignoti nulla cupido*. Sic argumentatur Johannes vers. 20. *Qvi dicit, se DEUM diligere, & odit fratrem, mendax est: qvi enim non amat fratrem, qvem videt, qvomodo DEUM diligeret, qvem non videt & novit?* Ita oculi sunt in amore duces. Et hoc est argumentum qvidem verum, sed vix ita persvadet multis, sicut qvod jam seqvitur præceptum severum, v. 21. *Et hoc mandatum habemus*: Græcè ἐντολὴν, tale mandatum, qvod à superiori ad nos missum, ut omninò fieret, qvale sine dubio hoc est, non modò in monte Sinai præscriptum, sed posteà à Filio DEI, qvi ex sinu Patris ad nos venit, velut ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, post fidem præcipuè inculcatum, Johan. 13, 14, 15, capp. ab ejusqve Apostolis porrò sæpissimè repetitum. Rom. 13, 8. & 9. Galat. 5, 13. & 14. 1. Timoth. 1, 5. 1. Johan. Epist. tota. Jacob. 2, 8. Habemus autem id non à magistratu, cui est parendum, Rom. 13, 5. 1. Petr. 2, 13. sed *ab ipso DEO* immediatè latum, *ut qvi* in primâ tabulâ *diligit Deum*, ut summum numen & bonum, *is fratrem non negligat*.

LOC. COMM. I.

DIscimus, unde tàm rara inter homines concordia. Ratio: Qvia est in plerisq; magna Dei ignorantia, qvem, si vidissent, in verbo diligere inciperent. Qvando Petrus & reliqvi duo Apostoli in monte saltē gustū qvendam habebant felicitatis divinæ, statim omniū suorum bonorum obliti, ibi esse desiderāt unicè, nil morati alias mundi delitias: Ita si viderimus saltē Dei qvandam imaginē, hæc reliqva, qvæ suspici-

mus, abjiceremus. Vide Psaltem Ps.73,25.26. Paulum Phil. 3,7.8.10. Rogemus igitur cum Davide, Ps. 13,4. *Illustra oculos meos, ut non dormiam somnium mortis, sed qvia apud te est fons vitæ, fac in luce tua* (Christo luce mundi unica, Joh. 1, 8, 12. capp.) *videamus lucem illam DEI*, aliàs nobis inaccessam, Psal. 36, 10. Joh. 1, 18. 1. Tim. 6, 16. Accedamus cum Mose ad hunc ignem, mirantes, Exod. 3. ita fiet tandem, ut incipiamus ardere amore erga eum, qvem venerari & amare debemus. Qvando videbant Israëlitæ, Saulem esse omnibus humero altiorem & elegantiorem, 1. Sam. 9, 2. & cap. 10, 23. 24. comperiebant item ab ipso esse devictos hostes, 1. Sam. 11, 12. tum demum eum amabant, & ut Regem colebant: Sic etiam, si nos rectè consideraverimus, qvàm excelsus sit DEUS, qvantisqve nos affecerit beneficiis, tum demum eum ex toto corde diligemus.

II. Loc Cômm.

QVia à DEO mandatum est, ut ipsum amemus; omne autem mandatum habet additam comminationem, & hanc qvidem mortis æternæ; qvis est adeò suæ salutis prodigus, ut nolit amando creatorem & benefactorem suum vivere potiùs, qvàm contra eum rebellando ire perditum? Verùm plerisq; hominibus idem contingit, qvod uxori Lothi, qvæ cùm haberet mandatum, ut ducis sui vestigiis insisteret, nec ad Sodomam jam pereuntem respiceret, ipsaq; præcepti immemor retrò converteret oculos, in salis statuam & lapidem obriguit; siqvidem multi non id spectant, qvod ante se est, nec ad CHRISTUM ducem suum oculos convertunt, nec eorum, qvæ sunt à tergo, & cum mundo pereunt, obliviscuntur; verùm ut lapides aut statuæ ad hæc terrena igne consumenda consistunt, cùm tamen illa salis statua posset condire fatuos, ut inderent animo sapientiam. Qvia itaqve hoc mandatum habemus à Rege Regum, non possumus sine summo sacrilegio ei non parere. Nebucadnezar mandatum de suâ statuâ aureâ adorandâ dabat, & violatoribus ejus mandati caminum igne ardentem minabatur, ac in illum conjiciebat qvotqvot suo mandato non parere animadvertebat: Qvid putas facturum tandem rerum omnium Monarcham, DEUM qvando plerosqve homines non curare suum præceptum videt? malè malos perdet, qvi nolunt eum ut Regem venerari.

III. Loc.

III. LOC. COMM.

MUlti autem putant, se posse Deum diligere cum hypocritis & Pharisæis rebus externis Matth. 6. & 23. sed ille, qvi non spectat, qvod est ob oculos, & ante pedes, sicut homines, 1. Sam. 16. tantum abest, ut patiatur sibi glaucoma obduci, ut palàm redarguat, Ps. 50. Es. 1. Zach. 8. Multi volunt DEUM diligere, & simul mundum, ac patrem ejus Diabolum; Verùm & hi ex ipso audiunt,

Nemo potest Dominis rectè servire duobus, Matth. 6.

Vult igitur diligi Deus ex toto corde, Deut. 6.

Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
Expertus metuit,

ait Poëta. A sanctuario meo incipitote interficere, illos nimirum, qvi non ritè DEUM colunt, dicit Propheta Ezechiel cap. 9, 6. imò in propinqvis meis, si non rectè se gesserint, sanctificabor, dicit JEHOVA, Levit. 10, 3. Siqvidem *servus, qvi novit voluntatem Domini, & non facit, vapulabit multis*, Luc. 12, 47. Et Dominus minatur, se illos, qvi non sunt in amore fervidi, Rom. 12, 11. verum tepidi, evomiturum, Apoc. 3, 16. Qvia verò DEUS solus nobis dedit omnia, illum diligamus solum super omnia, hoc est præceptum verè magnum, Matth. 22, 37. 38. Et hæc de amore, qvem debemus DEO: Jam porrò de eo, qvi præstandus est proximo.

SECUNDA PARS.

DEUS solus diligi non vult, sed secum unà suos filios. Sicut enim qvando Abrahamo & Lotho apparens duobus Angelis comitatus accedebat, & unà cum illis excipiebatur hospitiô, Gen. 18. & 19. Hebr. 13, 2. & hos simul comiter volebat tractari: Sic etiamnum in mundo illi magno præcepto, hoc, qvod in secundâ tabulâ seqvitur, est simile, Matth. 22, 39. ut diligatur frater noster, Christúsqve in pauperibus rectè excipiatur, Matth. 25, 34. & 40. & cap. 26, 11. hoc ergò mandatú habemus, ut qvi ritè velit Deum diligere, *etiam diligat fratrem suum*, non tantùm, qvi est talis cognatione & regione, sed inprimis religione, Gal. 6, 11. non tantùm nos diligentem, verùm nostra operâ & ope indigentem, Luc. 10. non tantùm superiorem, sed & parem ac inferiorem. Ad summam, eum omnem, qvi unum ratione creationis agnoscat nobiscum patrem, unum ratione incar-

carnationis & redemptionis habeat fratrem, unumqvè Spiritum Sanctum in veritate ducem. Hunc non amemus ore & dictis tantùm, sed juvemus re, opere & factis, ubi re opus est, 1. Joh. 3, 18.

LOC. COMM. I.

REfutantur hinc illi, qvi existimant, sufficere ad pietatem, si Deum freqventatione templi, eleemosynarũ erogatione, aliisqvè externis operibus colant; ut verò proximum ex animo aliis officiis juvent, non adeò reqviri. Similes sunt isti homines Sauli Regi, qvi magnum numerum optimorum pecorum DEO reservabat in sacrificium, sed huic non placebat, qvando proximum suum Davidem non amabat, 1. Sam. 15, 16, 17. capp. Theodosius statuã à se positam in urbe Thessalonica volebat non tantùm inviolatam servari, verùm etiam in pretio esse, eosqvè graviter puniebat, qvi illam evertebant. Deus hominem ad sui imaginem ipse fecit, & hîc in mundi theatro reposuit, non ut lædas, sed ut observes & colas; id si non feceris immisericors judicium misericordiæ expers expectes necesse est, Jac. 2, 13. Vis ergò DEI in te derivare benevolentiam, proximo aperi fontes tuæ beneficentiæ, Hebr. 13, 16.

II. LOC. COMM.

HInc jam ex contrario concludo, qvàm pauci sint hodiè verè pii, ut dicas meritò cum Davide: *Defecerunt*, Psal. 12, 8. qvod si iis Deum non amat, qvi non juvat proximum, pleriq; qvi se pro Christianis venditant, erunt servi neqvam, qvi, cùm ipsis à DEO debita sunt condonata, & multa alia dona collata Matth. 18. tamen in proximum sunt crudeles. Vide divitem in inferno ejulantem, Luc. 16. & cave admittere eandem culpam, qvi cupis effugere istam pœnam. Si sic claudis, erga fratrem indigentem, tua viscera, 1. Joh. 3, 17. Deus tibi non aperiet olim cœli limina, Matth. 25, 41. Luc. 16, 9. sic igitur tibi semper subjice hoc memori mente: Fac, ô DEUS, teneam, ut qvi diligo Deum, non negligam fratrem meum!

EX EPIST. II. POST TRINITATIS.

1. Johan. 3. v. 15.

Πᾶς ὁ μισῶν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, ἀνθρωποκτόνος ἐστί· Καὶ οἴδατε, ὅτι πᾶς ἀνθρωποκτόνος οὐκ ἔχει ζωὴν αἰώνιον ἐν αὐτῷ μένουσαν.

Omnis

Omnis, qvi odit fratrem suum, homicida est: Et scitis, qvòd omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.

JOab dolo interficit Abnerum 2. Sam. 3, 27. & Hamasam 2. Sam. 20, 28. eò qvod metuebat, ne sibi præponerentur, 2. Sam. 19, 14. Sed tandem à Benaiâ in domo DEI occiditur, 1. Reg. 2, 29. & 34. Sic homo, cujus DEUS ratione creationis Pater est, יוֹאָב qvasi יְהוֹאָב, vel qvi cupiditatibus suis indulget nimium, qvasi esset à radice יָאַב id est, desideravit, instinctu Satanæ odio suo & malevolentia occidit Abnerum, id est, eum, cujus pater lux est, אַבְנֵר, hoc est, pium, qvi in luce ambulat, & rectè facit, Joh. 3, 21. & Hamasam, id est, illum, qvi est populi excellentia ac decor, ut עַמָּשָׂא ex עַם id est, populus, & נָשָׂא, id est, extulit, componamus. Facit hoc, qvia timet, ne DEUS illum sibi improbo anteponat; Verùm fruatur ad tempus istâ suâ felicitate, & ferat aliqvandiu impune, tandem à Benaja (בְּנָיָהוּ sonàt filius DEI) seu filio DEI, justo judice omnis carnis, mortis reus pronunciatur, etiamsi confugiat ad aram velut asylum, & templum Domini incolere videatur. Hoc est, qvod Johannes apertè satis hîc pronunciat: Qvi fratrem odit, eum occidit, & homicida non habet vitam in se manentem.

Partes duæ:

I. Odium ergà fratrem est homicidium.

II. Osorem manet grave judicium.

PRIMA PARS.

ISraëlitæ, qvando per mare rubrum educti ex alterâ ripâ videbant manè in litore fluitare mortua Ægyptiorum cadavera, tum demum se perfectè ex manu Pharaonis liberatos agnoscebant, & unâ in terram sanctam properabant, Exod. 14, 29. & 30. Sic Johannes hoc loco v. 14 concludit: Nos pii, qvi sumus fide Israëlitæ, Rom. 9. Gal. 4. per mare omnium pœnarum, & ex lacu, in qvo non erat aqva solatii, Zach. 9. scimus nos esse eductos manè & de die, qvando unà cum fratribus nostris unanimes in via Domini progredimur, & jam homines mundanos in peccatis esse mortuos agnoscimus, Eph. 2. mirandumq; DEI judicium celebramus, qvando illos, qvi aliis mortem inferre conantur, ex lege talionis cum Pharaone &

Diabolo mortem æternam oppetere cernimus. *Omnis enim*, ut ne qvis, qvod se excipiat, habeat, *qvi odit fratrem suum*, qvem diligere ex mandato DEI debebat, 1. Joh. 4, 21. *homicida est*, qvia & animo, seu cogitationibus suis ac dictis, & calumniis, aliisq; rebus sæpè eum interfectum esse expetit.

I. LOC. COMM.

ALiæ sunt DEI, aliæ hominum viæ, & diversa etiam judicia, Esa. 55. siqvidem in foro soli, odii sui nemo luit pœnas, neq; eo homicidium commisisse dicitur, sicut in foro poli. Unde CHRISTUS malas qvinti præcepti explicationes, à Pharisæis ex judicio humano allatas, graviter corrigit Matth. 5, 22. Si enim DEUS tam severè amorem præcepit, ut paulò antè dictum, ex 1. Joh. 4, 21. etiam odium eodem modo prohibuit: qvandoqvidem novit omniscius legislator, non tantùm ex amore omnia reliqva proximo præstanda officia oriri, sed etiam contrà ex odio omnia mala, qvæ aliis inferuntur, existere. Sicuti enim ex festuca incensa, aut lucerna Domi neglecta nonnunqvam tota urbs conflagrat: Sic ex privatis odiis ac dissidiis nefanda unius vel plurium publica pernicies plerumq; exoritur. Vis exempla? Cainum respice, Josephum adspice; priùs fratres ipsum oderant, posteà inhumaniter vendebant. Israëlitæ Regibus Ægyptiorum primùm erant odio, pòst crudeliter opprimebantur. Principiis igitur, si in omnibus affectibus, certè hîc obstandum, serò enim medicina paratur, cum mala per longas invaluére moras. Nimis serò Ægyptii meditabantur fugam, qvando aqvis videbant se cinctos & rotas curruum fractas. Exod. 14. Serò Benjaminitæ fugâ cupiunt salutem qværere, qvando ab omni parte hostium copiis erant circumvallati, Jud. 20. Sic etiam rarò se extricant, qvi se diu Diaboli laqveis constringi patiuntur. Oculos enim eruit, qvemadmodum Simsoni Philistæi; digitos manuum & pedum præscindit, ut Adonibesech; ut neq; velint neq; possint se redimere captos, aut ex potestate ejus in libertatem vindicare. Oculi hi sunt in hac comparatione benevolentia, digiti manus, beneficentia, qvæ per odium tolluntur. Vid. vers. 17. hujus capitis. Tales autem claudos & cœcos DEUS in suum tabernaculum cœleste non recipit. Psal. 15, 1. Confer historiam 2. Sam. 5, 8. descriptam.

II. Loc.

II. LOC. COMM.

EX odio & invidiâ Diaboli primùm mors & omnia mala in mundum seu homines venêre, Sap. 2, 24. Gen. 3. Unde ipse primus & maximus homicida est, Joh. 8, 44. hujus autē filii sunt omnes, qvi sui hujus patris facta imitantur, & proximum oderunt, eiq; ægrè faciunt. Consule nostrum Evangelistam in hoc c. v. 10. In hoc, inqvit, manifesti sunt filii DEI & Diaboli. Nempe Diaboli filius est, qvi non diligit fratrem v. 12. Cain erat ex malo, hoc est, Diabolo, qvi sæpè καὶ ἐξοχὴν πονηρὸς dicitur Matth. 13, 19. Eph. 6, 16. 1. Joh. 2, 13. & c. 5, 18. Hinc jam conclude, qvàm pauci sint DEI filii; qvia pauci proximum diligunt: qvàm multi verò sint filii Diaboli: qvia pleriq; fratrem odio habent, Matth. 5, 45.

III. LOC. COMM.

MAgnum est flagitium, odisse fratrem; siqvidem unus Pater, qvi eos genuit, illum graviter puniet, qvi tantas in sua familia dat turbas, ut ipsi etiam extranei malè de DEI domesticis ipsoq; DEO loqvantur, 2. Sam. 12, 14. Laudatur Abrahamus, qvòd noluerit inter se & Lothum esse lites, qvia erant fratres Gen. 13. qvantò magis nos decet id semper cogitare, ne sint lites inter me & te, siqvidem sumus fratres, qvibus unus est pater in cœlis, in terrâ Ecclesia mater. Ille fratres istos tetricos tumultum excitantes tandem domo seu cœlo ejicit, sicut Salomon Adoniam secunda vice regnum invasurum, 1. Reg. 2. Jacobus maledicit iræ duorum suorum filiorum Gen. 34, 30. & 49, 7. non tamen planè omni hæreditate privat; DEUS autem illis pacis publicæ turbatoribus in Ecclesia hæreditatem regni cœlestis omnino adimit: ut in secundâ parte audiemus.

IV. LOC. COMM.

DIscimus, qvòd homo homini lupus; & meritò ingemiscimus, homines ad DEI imaginem creatos, esse sæviores qvàm bruta animantia, qvæ non sæviunt, nisi in dispar genus; homo verò committit homicidium. ô pravos mores! imò diabolicos furores! Namq; scit unanimes armare in prælia fratres Dæmon. Exemplo est Cain & Abel; Esau & Jacob: ut non sine gemitu usurpes: Fratrum qvoq; gratia rara est.

SECUNDA PARS.

CUcurbita citò creſcit, & citò iterũ flacceſcit à verme corroſa, Jon. 4. Sic improborum felicitas ſæpè exiguo tempore ſit magna; verùm qvando vermis conſcientiæ incipit ſaltem mordere, omne gaudium evaneſcit. Vide profugum Cainum, molientem urbem condere; aſpice Belzaſerem in vino improbè ſe jactantem, qvando videbat digitos in pariete. Hac de re ita loqvitur noſter Johannes: *Et nôſtis*; nôſſe certè debetis ex ſacris literis, imò experientiâ edocti, *qvòd omnis homicida non habeat*, id eſt, (ſi hebraiſmum explices) nullus omninò poſſit poſſidere *vitam æternam*, Gal. 5, 20. 21. qvam DEUS Pater offert; Filius morte ſuâ paravit, Spiritus ſanctus olim in baptiſmo contulit, & adhuc in verbô vult conferre: ſed ſuô vitiô non habeat *in ſe ipſo manentem*: qvia DEUM ejus authorem, ut dilectionem ipſam, à ſe rejecit & exturbavit.

LOC. COMM. I.

QVando in tota regione Ægypti erant plusqvam cimmeriæ tenebræ: in terra Goſen, ubi habitabant Iſraëlitæ, erat lux ſplendida, Exod. 10, 23. Typus hic eſt, in ſola Eccleſia eſſe veram de DEO doctrinam, qvippe qvæ ſola eſt lux lucens in obſcuro loco, 2. Petr. 1, 19. nam alios populos operit caligo, Eſai. 9, v. 1. & 60, 1. ſuper Eccleſiam oritur lux Domini. Illi igitur extranei, Eph. 2. ignorant DEI eſſentiam & voluntatem; nos DEI domeſtici novimus, qvia Filius DEI revelavit nobis, Joh. 1. 18. Mirabantur Syri ſemper ſua conſilia arcana nota eſſe Regi Iſraëlis ex revelatione Prophetæ, 2. Reg. 6. Nos longè rectiùs hoc prædicemus, qvòd omne DEI conſilium ſit nobis notum, Actor. 20. cum Davide Pſal. 147, 19. & 20. Videamus igitur, ut hac notitia rectè utamur, nec per ſecuritatem peccemus, neq; ex infidelitate deſperemus: Qvæ enim qvis novit, ea facilius cavere poteſt. Novimus, qvantopere DEUS flagitet amorem; qvantopere contrà deteſtetur invidiam & odium; ſi hæc novimus, beati, ſi fecerimus, Joh. 13, 17. Nam qvi novit bonum, & non facit, illi eſt peccatum, Jacob. 4, 17.

II. LOC. COMM.

QVia qvintum præceptum ex CHRISTI explicatione non tantùm homicidium externum, qvod manu peragitur; verùm omne odium

um prohibet: Christianorum est cavere non tantùm φόνον, sed etiam φθόνον· siquidem ex hoc ille sæpè oritur, imò jam in corde perficitur. Laudantur Rechabitæ, qvòd licèt vinum ipsis sæpè arriserit, tamen ob paternum interdictum nunqvam eo sint usi, Jer. 35. Sic etiam nos cogitemus, qvi sumus filii DEI. Sit vindicta bonum vitâ jucundius ipsâ! Esto odium gratum. At Pater meus cœlestis interdixit mihi; non odio habeas proximum tuum, Lev. 19, 7.

III. Loc. Comm.

Si hic homicida non habet vitam æternam in se manentem: habuit certè ab initio. Qvâ fronte igitur audent Calviniani negare, illos esse verè regenitos in baptismo, habuisse veram fidem & gratiam DEI. Si enim non manent hæc bona, abeunt & proinde antea ibi verè fuerunt. Unde nos discimus, hominem suâ culpâ amittere vitam, qvam habebat, & retinere per DEI gratiam poterat, non autem absoluto DEI decreto condemnari. Qvis est adeò stultus, ut dicat, 1. Sam. 5. Arca DEI non mansit apud Philistæos, *E.* ibi nunqvam fuit. Imo rectiùs concludo, *E.* fuit ibi ad tempus, & postea esse desiit. Eadem concludendi hîc erit ratio. Si mei contra mandatum Salomonis Jerosolymâ exiens occiditur, 1. Reg. 2. Homo contra DEI præceptum, communionem sanctorum, fidei unitatem & charitatis vinculum rumpens ferat impunè? Nos ergo, qvi scimus hæc, videamus, ut habeamus vitam in nobis manentem, idq; ut fiat, cum discipulis rogemus; Vitæ autor, mane nobiscum, Luc. 24 Spiritus dilectionis deducat nos viâ rectâ, Psal. 143. ut dilecto nostro fratre, re DEO nostro utamur propitio patre.

DOMINICA III. POST TRINITATIS.

1. Petri 5. versu 8.

Νήψαλε, γρηγορήσαλε, ὅτι ὁ ἀνλίδικ@ ὑμῶν διάβολ@, ὡς λέων ὠρυόμεν@ περιπαλῆ, ζητῶν τινα καλαπίῃ.

SObrii estote, vigilate, qvoniam adversarius vester Diabolus, tanqvam Leo rugiens obambulat, qværens qvem devoret.

1. REg. 13. qvidam Propheta habebat peculiare DEI mandatum, ne Bethelæ comederet panem, aut biberet aqvam, neq; abiret viâ illâ, qvâ venerat. Is tamen alterius mendacio plus credens, patitur se reduci, comedit & bibit; propterea postea à leone interficitur in via. Homo pius à DEO Bethelem, id est, domum DEI, seu in Ecclesiam introductus, hoc mandatum habet: caveat, ne ipsius cor gravetur crapulâ, Luc. 21. ne in viâ peccatorum, qvâ venit, & unde abductus est, iterum ambulet, Psal. 1. Si verò potius mundi mendacio qvis credit, qvi dicit: Edamus, bibamus, cras fortè moriemur, Esa. 22. 1. Cor. 15, 32. & comessari ac cum improbis conversari incipit: leo infernalis illum eum in istâ viâ tandem interficit, nempe Diabolus tandem eum secum deducit ad inferos. Qvod ne fiat, graviter hortatur Petrus 1. Epist. c. 5, 8. experto crede Ruperto. Ipse hujus leonis insidias & ungves sensit, teq; ut caveas, monet. Rex Israëlis à Propheta Elisæo monitus, ut hîc vel ibi caveret adventantem Syrorum exercitum, admonitioni parens servabatur, 2. Reg. 6. Tu nisi hujus Apostoli monito parueris, mortem certissimam oppetes.

Partes duæ:

1. Nostra in cavendo vigilantia.

2. Diaboli in capiendo industria.

Illumina lux vera oculos nostros, ne dormiamus somnum mortis æternæ, Psal. 13.

PRIMA PARS.

DAniel. 5. Belzasari regnum & vita eripitur ebrio, & de nocte: Homini pio, qvi verè est בַּלְשַׁאצַּר Dominus cui est thesaurus 2. Cor. 4, 7. Matth. 6, 20. 21. & regnum speratum, Luc. 12, 32. & vita data eripitur, si minùs sobriè vivat, ac dormiat, hoc est, in vitiorum somno sine pietatis sensu reperiatur. Id cùm probè nôsset Petrus, qvi de nocte CHRISTUM abnegans eum ad tempus amiserat, tribus sinibus omnes Christianos ad vigilantiam hortatur, 1. est à sobrio ho-

homine. 2. à Speculatore & vigile. 3. à Milite seu pugile. Νήψατε sobrii estote, non tantùm corpore, sed etiam animo: estote cauti & providi. Confer 1. Thess. 5, 6. 2. Tim. 4, 5. 1. Petr. 1, 13. & 4, 7. 1. Tim. 3, 2. & vulgatum illud Græcorum dictum: νῆφε, καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν, esto providus, ac memento diffidere: **Seid nüchtern / nehmet ewre Sachen wol in acht / wie verständige Leute thun:** sicut in vafris mercatoribus & institutoribus videre est. 2. neq; semel atq; iterum tantùm, sed semper. *Plus vigila semper, nec somno deditus esto.* Unde additur, *& vigilate*, more eorum, qvi excubias agunt, & in qvævis momenta hostem observantes confligere, & nutum Imperatoris exseqvi prompti sunt, Matth. 24, 42. cap. 25, 10. & 13. Apoc. 3, 2. 16, 15. Luc. 12, 39, 40. 3. qvia finis non pugna coronat, & multi pugnantes scuto abjecto turpiter fugiunt, id restat militi Christiano porrò observandum, ex v. 9. cui obsistite, luctamini. *fortiaq; adversis opponite pectora rebus.* Dicitis, non possumus ex nobis? scio; virtute DEI potestis, cui confidite. *firmi in fide*, in illum vestrâ fiduciâ recumbentes, qvi dixit: *Ego vici mundum*, Joh. 16, 33. *Vigilate igitur, state in fide, viriliter agite, & confirmemini*, 1. Cor. 16, 13.

LOC. COMM. I.

QVia Christianis omnibus graves adversarii parati sunt, nec luctandum tantùm cum carne & sangvine, sed etiã cum principibus & rectoribus tenebrarum: parent se assumptâ DEI armaturâ, habeant piam prudentiam, magnam vigilantiam, & fidelem constantiam, qvæ tria Petrus hoc loco reqvirit. In prudentiâ serpentem imitemur, Matth. 10, 16. hic enim, ut Eusebius scribit, qvotannis infirmitatem corporis exuit, remedium oculorum novit, caput præcipuè defendit, imò nosse dicitur herbam, qvâ se in viram qveat revocare. Christiani verò rectiùs *primùm* suo cum hoste dimicaturi qvotidiè omnes sordes & excrementa malitiæ deponunt, Jac. 1, 21. qvotidiè cum Domino militiæ suæ Christo moriuntur, & novi oriuntur, Rom. 6, 4. *Deinde* remedium oculorum spirituale nôrunt scripturam, per qvam Deus illuminat homines cœcos, 2. Cor. 4, 4. 2. Petr. 1, 9. & 19. qvia nôrunt Christum sibi acclamare ex Apoc. c. 3, 16. *Collyrio inunge oculos tuos, ut videas*, qvod nisi fiat, *dormiunt somnũ mortis*, Psal. 13. *Tertiò*, Caput ut salvum saltem habeant, id student.

Omnia si perdas, Christum servare memento;

Is est caput suorum fidelium, Eph. 1, 22. & salvat sua membra, Eph. 5, 23.

5. 23. Fidem igitur potissimum serves, & coronam vitæ auferes, 2. Tim. 4. 7. & 8. *Denig,* herbam nôrunt, qvâ etiam mortui reviviscât, videlicet vivum DEI verbum, Ephes. 4. Joh. 8. Hoc est: *Estote prudentes, ut serpentes.*

II. LOC. COMM.

VIgilantiam imitemur gruis, non tantùm, qvia ille stata sui adventûs observat tempora, Jer. 8, 7. verùm etiam, qvia noctu pars exnumero plurium (agmen enim plerumqve videas) excubias agunt, altero pede tenentes lapidem, ut si exciderit dormientibus expergiscantur. Sic & homo pius observet omnes benè agendi occasiones, Ephes. 5, 16, Rom. 13, 11. Christumqve angularem lapidem, manu fidei teneat tàm firmiter, ut neqve dormienti excidat, sed in ipso vivat, Gal. 2, 20. Qvod tamen si fit ex imbecillitate carnis, statim *ἀναπήφειν* conetur, 2. Tim. 2, 26. & se ex somno vitiorum excitari patiatur, Rom. 13, 11. cum Mariâ Magdalenâ, qvum amisit hunc Dominum, qværere non desinat, donec reperiat, Johan. 20. Et hæc vigilantia omnes Christianos decet. De illâ autem, qvæ singulis ordinibus ut Ecclesiastico, Ezech. 3. & 33. Act. 20, 31. Ebr. 10, 17. politico, Psal. 127. v. 1. Nehem. 2, 12. œconomico Luc. 12, 36. convenit, alius est dicendi locus.

III. LOC. COMM.

ISraëlitis jussu DEI terram sanctam occupantibus nemo poterat resistere, sed omnes victi succumbebant, Jos. 1, 5. Sic etiam nos, si mandatorum DEI memores, pergimus in cœlestem patriam, omnia cogentur cedere prona piis, si modo ipsi sint in fide fundati, ac stabiles, & reliqvis armis pio militi necessariis instructi, Eph. 6. Solet aliàs Diabolus cum Crocodilo conferri in multis aliis; nunc in eo tantùm eos componamus; qvòd, ut hic fugientes, sic ille timidos & ignavos prosternat. Verissimũ enim est, qvod scribit Jacobus cap. 4, 7. *Resistite Diabolo; & fugiet à vobis*, ibid. v. 8. Appropinqvate DEO: & appropinqvabit vobis. Appropinqvabimus autem ad DEUM, & fugiemus à Diabolo fide verâ, qvoniam sine fide verâ impossibile est DEO placere, Hebr. 11, 6. & *qvi credit in filium, in judicium condemnationis non venit, sed transit ex morte in vitam*, Joh. 5, 24. qvandoqvidem Christi morte se solatur, *qvi hanc potestatem exuit ei, qvi habebat mor-*

mortis imperium, id est, Diabolo, Hebr. 2, 14. Confer Tyrannos à liberatoribus Israëlitarum occisos, de qvibus hinc inde in libro Judicum.

SECUNDA PARS.

DIaboli autem natura & studia jam porrò describuntur; siqvidem tum demum aliqvis adhibet magnam solicitudinem, qvando rectè percepit periculi magnitudinem. Magno in discrimine versabantur Samaritæ, qvando DEUS immittebat ipsis leones, 2. Reg. 17, 25. à qvibus aliqvi interficiebantur: Longè verò in majori discrimine qvotidiè sunt omnes Christiani, qvando audiunt, qvòd *Diabolus*, ille DEI apud homines Gen. 3. & hominum apud DEUM Job. 1. Apoc. 12. calumniator, ipsorum juratus hostis, & *adversarius* perpetuus, & *velut Leo rugiens* (hic non rugit, nisi tum, cum præda adest aliqva, Amos 3, 4.) fremens & sævissimo impetu rugiens, non qviescat, non stertat, sed in omnes nocendi occasiones intentus *obambulet*, Luc. 11, 24. & *qværat* diligentissimè, *qvem* velut balæna immanis *absorbeat* & deglutiat. Id enim propriè notat τὸ καταπίνειν Matth. 23, 24. Heb. 11, 29. Apoc. 12, 16. & per metalepsin interitum talem, unde spes nulla resurrectionis, 1. Cor. 15 54. 2. Cor. 5, 4.

LOC. COMM. I.

VIgilandum est, multæ insidiæ sunt bonis, non tantum illas hic struit mundus, sed inprimis Diabolus, dum voluptatem vel escam objicit, & post perpetratum malum conscientiæ angorem ad satietatem usqve oggerit. Iracundo exaggerat vindictæ bonum, posteà à DEO expectandum supplicium, ut in Caino, primo homicidâ, videre est, Genes. 4. Libidinosis hominibus dulcedine amoris blanditur, vide Ammonis & Thamar, Absolonis item & Rubenis incestas nuptias, & pœnas postea inseqvutas adjice: Luxuriosis vini præstantiam commendat, Proverb. 23, 29. Verùm sæpè solent vino magna subesse mala. Considera Noachum ebriosum, Lothum incestuosum, Nabalem ingratum, Balzaserè perturbatum. Ecce, hi & similes affectus pravi, sunt qvasi Diaboli retia & laqvei, qvibus homines constringit, si diu & sæpè illis indulgeant.

II. LOC. COMM.

DIabolus autem est semper hominum adversarius, & capitalis hostis, ideoqj cavendus. David qvando semel Saulis hastam ef-

fugerat, deinde ei se non credebat; verùm homines sæpiùs à Diabolo læsi ejus blanditiis denuò habent fidem. O cœcas horum mentes! Ignem fugimus, & ei, qvi in ignem æternum nos adducit, adhæremus, sed stultissimè: serò sapiunt Phryges, & cum iis dives epulo in inferni cruciatibus. Nemo gestans in sinu serpentem se tutum esse somniat; & securi Diabolum in sinu foveamus?

III. Loc. Comm.

SEd multi hostem suum contemnunt ob impotentiam: verùm illud hîc fieri non potest, qvia adversarius ille satis potens: unde confertur Leoni & qvidem rugienti, & alibi forti armato, Luc. 11, 21. Imò est princeps hujus mundi, Joh. 14, 30. & 16, 11. & DEUS qvidem hujus seculi, 2. Cor. 4, 4. Qvando autem dicitur Leo, pertinet hoc ad ejus manifestam vim, qvâ pios qvandoq; impetit, Luc. 2, 46. Ephes. 6, 13. Et qvidem cum leone confertur (1.) ob crudelitatem. Ut enim is reliqva animalia & ipsum hominem totum discerpit: Ita Diabolus hominem corpore & animâ perdit. (2.) ob calliditatem; qvia, ut leo inter eundum caudâ tegit vestigia, ne deprehendatur: sic Diabolus studiosè tegit ungves, ne agnoscatur. (3.) ob immitiorem senectutē. De eo enim scribitur, qvod ad senectutē vergens crudelior evadat: Diabolus reverà circa hanc ultimam mundi senectā descendens furit maximè, qvia novit parvum temporis sibi restare, Apoc. 12, 12. (4.) Ob ingenii similitudinem. Ut enim leo non frangit lignum sed ferrum: Ita etiam Diabolus illos potissimùm aggreditur, qvi sibi pulchrè stare videntur, & securi sunt; reliqvos, in cœno peccatorum qvos jacere & volvi cernit, præterit.

IV. Loc. Comm.

AD insidias diaboli, qvando se etiam in Angelum lucis transformat, 2. Cor. 11, 14. pertinet qvod seqvitur. Nempè huc spectant duo ista vocabula, *circumit & qværit*. Qvando circumire dicitur, nullibi te tutū esse credas. Errant igitur Pontificii, qvi in cœnobiis non tàm Diaboli insidias esse metuendas somniant, qvàm alibi. Dum dicitur qværere, studium ejus indefessum indicatur, ut jugulent homines surgunt de nocte latrones: ut te ipsum serves, non expergisceris?

V. Loc.

V. LOC. COMM.

QVando subjicitur, *quærens quem devoret*, interitum imminere, perpetuum intelligimus iis, qvi se non possunt ex potestate Diaboli extricare. Si qvem grandis balæna devoravit, spem vitæ non habet. Diabolus etiam non ad tempus, sed in perpetuum perdit: qvia olim dicetur: *Ite maledicti in ignem æternum, qvi paratus est Diabolo & Angelis ejus.* Nihil ergò spei, inqvis, restat? Omninò dum hanc vitam vivimus. Vide Jonam: in ventre ceti erat, & mirabi[liter] vivus extrahebatur. Tu cum eo ora, & cum Christo revivisces, [et] meritò dicas: Ego fui deficiens: Christus meus reficiens.

DOMINICA IV. POST TRINITATIS.

Roman. 8. versu 18.

Λογίζομαι γὰρ, ὅτι οὐκ ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ, πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς.

NAm reputo, non esse pares afflictiones præsentis temporis ad gloriam, qvæ revelabitur erga nos.

MOses, cùm esset arculæ pice & bitumine oblitæ inclusus, à filiâ Pharaonis extrahitur, (unde & nomen habet מֹשֶׁה כִּי מִן־הַמַּיִם מְשִׁיתִהוּ, i. e. extractus, qvia ex aqvâ extraxi eum) & in vitâ conservatur Exod. 2. Hic verò cùm postea in aulâ Regis Ægyptii posset omnibus deliciis perfrui, re tamen rectius expensâ, qvum virilem ætatem attigisset, maluit eligere, unà cum populo DEi mala perpeti, qvàm temporariam peccati perfruitionem retinere, majores ducens divitias, probrum Christi, qvam Ægyptiorum thesauros. Intuebatur enim præmii retributionem, Hebr. 11, 24. 25. 26. Ita cum Apostolo Paulo omnis Christianus est qvidam Moses per Ecclesiam, qvæ verè est & filia & sponsa Pharaonis, non qvidem illius Tyranni, κατ' ἀντίφρασιν sic dicti, qvi suâ crudelitate refert Diabolum, sed ejus, qvi verè nomen hoc habet, ut liberet nos ab omni malo (unde à radice פָּרַע nonnulli putant deri-

vari germanicum Frey) ex cœno peccatorum, qvo cum constrictus velut in sqvalido carcere jacebat Ezech. 16. extractus, in vitâ conservatur, filius DEI est & hæres Christi, intereà tamen reputat illa, qvæ nunc patitur, dum est in miseriâ, non posse conferri cum illâ gloriâ, qvæ deinceps revelabitur. Ita Apostolus Rom. 8, 17. & 18.

Partes duæ:

I. Afflictionis citò transeuntis levitas.

II. Refectionis nunqvam intereuntis æternitas.

DOMINE, in consilio tuo nos hîc deducas, ut posteà in gloriam recipias, Psal. 73, 24.

PARS PRIOR.

ILlis, qvi omnia vasa ad tabernaculum conficiebant, Deus indebat illam sapientiam, ut possent unicuiqve rei justam mensuram & pondus attribuere, ac ubiqve ratione recta conficere, Exod. 31. Eodem modo Deus omnibus verè piis etiam ita intellectum illuminat, ut rectè expendant, qvid huic vel illi rei tribuendum; cum homines mundani non nôrint ea recta rationis lance trutinare & æstimare. Pleriqve senes minus acutè vident. At Moses ex peculiari DEI beneficio in summa senectute poterat de longè prospicere terram Canaan in monte Nebo. Deut. 32, 49. 51. & c. 34, 7. Sic homo pius etiam, qvando aliis caligant oculi, videt cœlestis patriæ gloriam, licèt adhuc deprocul in monte Nebo, id est, Prophetiæ, seu sacrarum literarum. Exemplum est in Paulo, qvi non tantùm hîc, verùm & 2. Cor. 4, 17. & 18. egregium æstimatorem nobis præbet hujus nostræ calamitatis, & qvondam seqvuturæ felicitatis. Dixerat: *Si cum Christo patimur, & cum ipso glorificabimur*; qvemadmodum David eos, qvi cum ipso pertulerant exilii molestias, ad magnas dignitates provehebat. Hinc Apostolus λογίζομαι γὰρ ex ratione bene subducta accepti & expensi computo; ex bonis verisq; præmissis rectè infero & firmiter concludo, qvod *passiones*, παθήματα, qvæ verè sunt μαθήματα, & dum nocent docent, & qvidem *hujus temporis*, ejusqve oportuni καιρῷ, qvô possumus ita sementem facere, ut æternam vitam reportemus, & metamus optimam messem, *non sunt condignæ*, &c. Confer Gal. 6, 9. & 10. Non prætereundus est ille Hebraismus παθήματα τὰ νῦν καιρὸ pro τὰ παρόντα καιρῷ. Longè enim

nim plus importat illud nunc, seu momentum, ut cogitemus hujus vitæ brevitatem & levitatem: Dum loqvimur fugerit invida ætas.

Loc. Comm. I.

Si qvis est ædificaturus domum, primùm sollicitis articulis computat, num etiam sufficere possint sumptus, & qvod cœpit, ad finem perducere qveat. Si qvis bellum est moturus, benè perpendit, qvot millibus militum opus habeat, ad istum hostem debellandum, Luc. 14, 28. 31. & in salutis æternæ negotio pauci hanc curam suscipiunt, verùm statim rei, ut videntur, difficultate territi, crucem Domini nolunt tollere, ibid. v. 27. sed si qvis non renunciat aut valedicit omnibus bonis suis potiùs, qvàm ut DEUM propterea relinqvat, Christi discipulus non est; Sed ut sal fatuum ejicitur, ibidem v. 33. qvia satis ampla reportabit præmia, Matth. 10, 19. Videmus igitur, unde fiat, qvòd pauci viam arctam velint insistere, nimirùm non satis id perpendunt: cum uxore Lothi ad ea, qvæ sunt retrò, respectant, non cum Lotho, qvi animam suam eripiebat, & Paulo, qvi sciebat coronam vitæ sibi esse repositam, ad ea, qvæ sunt ante se, totis viribus convertunt. Ut aurum referrent, non reformidabant Salomonis nautæ triennem navigationem, eamqve periculosam suscipere, 2. Chron. 9, 21. verùm, ut homines illam novam Jerosolymam ex auro structã, & lapidibus pretiosis ornatam, Apoc. 21, 17. occupent, parvi temporis molestias nolunt devorare. Ut Jacob uxorem commodam nanciscereturi, in Mesopotamiam ibat, annosqve 7. imo 14. duram servitutem serviebat: Et plerique homines nolunt liberaliter servire Deo, ut fiant Sponsa Christi, filii DEI, & hæredes regni cœlorum. Nam si qvi fideliter DEO serviunt, qvod habet, summum pretium persolvit eis. Hæc igitur & similia in rerum mundanarum fragilitate, & bonorum cœlestium æternitate, rectè Christianis perpendenda esse, suo exemplo hîc monet Apostolus.

II. Loc. Comm.

Si Passiones illæ sunt tantùm hujus *nunc* ævi brevis, qvid brevi tristes lacrymamur ævo multa? δύσκολα τὰ καλά: Non sine labore nec sine Marte veniunt triumphi. Durato, & temetipsis servato secundis. Momentum est hæc vita, dum re-

respicimus, immortalitas adest. Ita etiam ipsi Ethnici ex luce naturæ potuerunt se in malis erigere. Qvid ergò nos Christianos facere decebit? Decem annos ferè in exilio vagabatur David: tandem tamen ad promissum regnum perveniebat. Qvadraginta annos in deserto oberrabant Israëlitæ; tandem tamen in terram fluentem lacte & melle introducebantur. Triennium in carcere consumebat Joseph; postea ad regiam dignitatem evehebatur. Sic multò magis nos toleremus parvas molestias, cùm simus habituri regnum æternum, & maximũ in eo gaudiũ; Et hæc est afflictionis hujus levitas.

SECUNDA PARS.

QVæ verò refectionis æternitas? Jacobi spiritus dicitur revixisse, qvando audiebat Josephum vivere. Qvid verò animi erit Christianis, qvando non tantùm CHRISTUM fratrem suum vivere, verùm etiam se post hanc mortem victuros, post ignominiam gloriam esse adepturos, percipiunt? Joh. 14. 19. Job. 16, 25. Etiamnè hoc certum est? Audi Paulum, qvi ex cœlo venit, 2. Cor. 12. Passiones illæ, de qvibus hactenus, non sunt condignæ, (id qvod οὐκ ἄξια significat,) non habent justam æstimationem & pretium, ut si qvis det pro unione insigni unum frumenti granum. Dicis, non esse alicujus pretii? Sunt qvidem in se: qvia pretiosa in conspectu etiam ipsius Domini mors sanctorum ejus, Psalm. 116. vers. 15. sed in comparatione cum æternâ gloriâ, *ad futuram gloriam*, inqvit Apostolus, *qvæ revelanda est in nobis*, tum demum nihil qvidqvam valent illæ calamitates. Compositæ enim cum æternâ felicitate non valent, *duratione*, qvia istæ momentaneæ, hæc æterna; non *æstimatione*, qvia sunt parvæ & humanæ, hæc immensa & divina; non *pondere*, qvia illæ sunt leves, hæc infinitum gloriæ pondus habet. Qvid multis? perit hîc omnis collationis ratio, qvia nulla est inter ea proportio, qvoniam si qvis propter Christum aliqvid perdit, centuplicia non modò recipit, sed, ut uno verbo omnia dicam, ipsam vitam æternam, id est, omnia bona cœlestia hæreditario jure consequitur Matth. 19, 29.

I. LOC. COMM.

PEtebat David lapides, qvibus erat occisurus Goliathum, ex torrente, 1. Sam. 16, 40. Nos arma, qvibus hæreticos maledicentes aciei DEI vivi conficiamus, ex rivis & fontibus Israëlis Ps. 68, & 26. sumа-

mamus. Ita hic nobis est lapis refugii & defensionis; nostris autem adversariis Pontificiis lapis offensionis. Dicunt illi esse meritum condigni, & posse hominem operibus suis laboriosis promereri vitam æternam; Apostolus hîc expresse negat, omnia mala hujus vitæ posse conferri cum futuræ vitæ gloriâ. Qvod si enim non potest institui comparatio, qvomodo erit illis probata meriti sui ratio. Impudentiores sunt meretrice Rahab, qvæ qvando conservaverat in vitâ exploratores Josuæ, atqve ita promeruerat, ut vicissim conservaretur cum suis; tamen non in mercedis, sed in beneficii loco se hoc habere asserit Jos. 2. Hi verò, licèt nihil promereantur Luc. 17, 9. & 10. tamen sibi mercedem dari expetunt.

II. LOC. COMM.

Licèt autem crux illa piis immissa, & benè tolerata vitam æternam non mereatur, tamen in vitâ æternâ magnum habebit præmium: proinde ne abjiciamus fiduciam nostram, patientiâ opus est, ut voluntatem DEi facientes reportemus promissum præmium, Hebr. 10, 35, 36. Malè igitur Petrus Martyr, & D. Schönfeldius, & alii hoc dictum nobis objiciunt, qvando asserimus, futuros esse gradus gloriæ in vitâ æternâ. Non enim dicimus, ullum hominem id promereri, sed ex promissione & DEI gratia dari.

III. LOC. COMM.

Pii hîc sunt in miseriâ; olim erunt in gloriâ; Contrà impii sæpè hîc rerum omnium abundant, & postea egebunt in perpetuũ, Luc. 16. unde Paulus illam gloriam vocat futuram. Nondum enim apparuit, qvales futuri simus, 1. Joh. 3, 2. Ob futurum idq; incertum lucrum certam molestiam & multa pericula subit mercator & miles: Nos ergò multò magis, qvi portum nostrum cernimus, præmium jam hoc tenemus, & in CHRISTO plus qvàm victores evadimus. Abrahamum sui domestici in prælium libenter seqvebantur, qvia Dominum liberalem anteà erant experti, Gen. 14. qvid nos facere decet, qvando Christus nos in sacram hanc militiam armat, & animat? hujus certè benignitatem nunqvam sensimus in nobis claudier. Seqvamur igitur, qvò Deus ille vocat, per angusta ad augusta, per brevem miseriam, ad perpetuam gloriam.

DOMI-

DOMINICA V. POST TRINITATIS.

1. Petr. 3. v. 10. & 11.

Ὁ γὰρ θέλων ζωὴν ἀγαπᾶν, καὶ ἰδεῖν ἡμέρας ἀγαθὰς, παυσάτω τὴν γλῶσσαν αὐτῆς ἀπὸ κακῆς, καὶ χείλη αὐτῆς τοῦ μὴ λαλῆσαι δόλον· ἐκκλινάτω ἀπὸ κακῆς, καὶ ποιησάτω ἀγαθὸν, ζητησάτω εἰρήνην, καὶ διωξάτω αὐτήν.

NAm qvi vult vitam diligere, & videre dies bonos, coërceat lingvam ſuam à malo, & labia ſua, ne loqvantur dolum: Declinet à malô, & faciat bonum, qværat pacem, & perſeqvatur eam.

1. SAm. 14. Philiſtæi terram Iſraëlis vaſtabant; Jonathan autem, & ejus armiger prælium contra eos incipiunt, & dum feliciter progrediuntur, Hebræi à Philiſtæis capti illos adjuvant; qvin etiam Ephraimitæ, qvi ſe abſconderant, prorepentes perſecuti ſunt hoſtes ſuos in fugâ; atqve ita inſigni potiti victoriâ. Cum Philiſtæis poſſumus benè comparare Diabolum & mundum. Illi ſemper pios invadunt, nonnullos etiam decipiunt ac capiunt: Jonathan autem verus ſeu Chriſtus filius DEI à Patre nobis datus, Eſ. 9. ejusq; armigeri, fideles verbi miniſtri, acerrimè contra eos dimicant, Apoc. 12. & hoſtes fundunt, Johan. 16. Hebræi itaqve dum hoc vident עִבְרִים, i. e. qvi transeunt ex hâc calamitatis valle ad felicitatis collem, Pſ. 15. & 84. (aus dem Threnenthal in Frewdenſaal) ab עָבַר tranſiit, ſe ex vinculis Diabolicis ope hujus ducis expediunt, eumq; ſeqvuntur; qvin etiam alii, qvi hactenus ex metu qvodam ſe abſconderant, proſiliunt, pugnam redintegrant, atqve virtute hujus ducis & armigerorum ejus victoriam reportant. Ea Petrus in hoc cap. 3 inculcat, & oſtendit, qvomodo unusqvisq; ſuum in militia DEI poſſit tutari ordinem, ita ut tandem benedictionem

ad

ad qvam sunt vocati, possideant. Nos inde v. 10. & 11. considerantes hæc duo videbimus.

1. *Qvæ sit pii hominis meta, ad qvam tendat?*

2. *Qvæ ejusdem media, per qvæ ad illam perveniat?*

Per vestiga & proba nos Deus, & vide num etiam ingrediamur viâ molestâ tibi. Qvod si sit, tu inde nos abductos deduc via perpetua, Psal. 139, 23. 24.

PRIMA PARS.

SUnt, qvi existimant, propterea pleraq; templa Christianorum ita esse ædificata: ut spectet sanctior pars, qvem vulgus chorum vocat, versus orientem, ut semper in memoria habeamus, in Oriente fuisse olim Paradisum, ubi esse beati poteramus, & unde ejecti sumus propter Adamum primum, & huc rursum nobis esse adspirandum per Adamum secundum seu Christum. Unde etiam in templis orantes ad aram & orientem conversi stamus. Nos rectè igitur qvotidiè, qvando solem in oriente oriri videmus, & solis justitiæ & maximarum tenebrarum memores, ad virum istum unicum orientem, Zach. 3, 8. & c. 6, 12. qviqve est oriens ex alto Luc. 1, 78. tanqvam nostrum restauratorem, illuminatorem, & salvatorem unicum confugimus, eum orantes, ut nos ad sedes illas beatas reducat, & tandem in extremo die à mortuis resuscitet. Petrus hac de re ita censet; Esse homini pio semper cogitandum, qvò tendat, cùm sciat, qvòd ad hoc sit vocatus, ut benedictionem hæreditario jure consequatur. *Qvi enim vult vitam* rectè *diligere* in hoc regno gratiæ, is se eripiat ex mundi hujus perituri Sodoma cum Loto; & qvi vult tandem in monte Domini *videre bonos dies*, hoc est, illis perfrui, ei necesse est, ut ad hanc metam, qvæ reqviem præbet fessis, in vertice summo, per asperam ac difficilem viam contendat, de qva in parte posteriori.

LOC. COMM. I.

AUdimus, qvorsum nostra omnia debeant dirigi, nempe ut benedictionem in Christo consequamur, qvi in Adamo sumus maledicti, & ut cruciatibus infernalibus addicti, cœlestia carpamus gaudia. Inter Jonathanem, & Davidem exulantem pro tempore ex Regia aulâ Saulis, hoc erat signi, ut rediret David cum pace, si diceret ille suo puero: Age, sagitta est præter te citerius, horsum fac veni, 1. Sam. 20, 21. Inter nos & Christum filium Dei nobis datum est simile Symbolum, qvando hominibus per impietatem à se digressis, & ex cœli regia exulantibus, per suos ministros acclamat: horsum venite ad nuptias,

ad convivium paratum; pax erit nobis, & recipiemur profugi, si fuerimus reversi. Esthera vocata statim comparet, ac regiâ coronâ ornatur, qvâ exuitur Vasthi venire renuens: Sic etiam multi homines vocati, qvum accedere nolunt, planè rejiciuntur, & alii eorum loco suscipiuntur. Filii Jacobi, ut audirent benedictionem patris, ad unum omnes congregantur, Gen. 49. pleriq; verò homines, ut à DEO reportent, vel pro suo libitu auferant benedictionem, Psal. 24. non volunt anniti, aut invitati adesse, Matth. 22. Luc. 14.

II. Loc. Comm.

CHristianorum studium est diligere vitam, nempe æternam, & horsum aspirare, dum mundus in illis, qvæ ad fugacem hanc vitam spectant, corradendis est occupatus, qvæ tamen omnia in morte relinqvuntur, Psal. 49. colligunt, & nesciunt, qvis sit possessurus ista bona, Psal. 39. ut meritò dicat Dominus: stulte, animam tuam abs te repetam, & cujus erunt tua bona? Luc. 12, 20. Sic se res habet omnis illius, qvi sibi ipsi thesauros mundanos colligit, & non in DEO suo ditescit, Luc. 12, & 20, 21. Solon animi bona bonis fortunæ longè præferebat, qvòd illa non tam facile, ut hæc, possint auferri. Verùm longè firmius & diutius durant illa cœlestia, Matth. 6.

III. Loc. Comm.

SI Christiani studium est vitam diligere, qvomodo eam promereri poterit? amare, mirari, eò contendere sufficit, qvæ phrasis contra Photinianos & Pontificios notanda est. Sicut illa seqvens, *Videre dies bonos*, indicat discrimen inter hanc & seqvuturam vitam. Hîc tantùm DEO fidimus, & speramus: ibi videmus, & re ipsâ tenemus: qvemadmodum aliàs illa phrasis usurpatur de ipsâ experientiâ.

SECUNDA PARS.

ISraëlitæ per mare rubrum deducebantur à finibus Ægypti, ad montem DEI reducebantur, & tandem omnes uno humero (id est, unanimiter) in hostes suos impetum faciebant. Homines pii in cœlestem patriam tendentes per mare & aqvas angustiæ, Psalm. 68. & 69. traducuntur per patientiam: de mundo ad DEUM reducuntur per pœnitentiam, & tandem omnes unà contra Diabolum & mundum pugnant per Christianam concordiam.

Hæc

Hæc enim tria media nunc porrò ab Apostolo nobis proponuntur: In malis pœnæ vera patientia; in malis culpæ seria pœnitentia, & tàm in rebus adversis, qvàm in secundis reqvisita concordia. In adversis enim homines erga DEUM solent blasphemare, erga proximum fraudulenter blandiri, ut vel malum à se in eum transferant, vel saltem in suis calamitatibus socium habeant. Utrumqve prohibet Petrus: *Qvi vult amare vitam, & bonos dies videre, qvando affligitur, caveat esse impatiens.* Si qvid tamen verborum minus decentium Christianos ex impatientiâ ipsi excidit, qvemadmodum Jobo, Jeremiæ, Jonæ, aliisqve evenisse legimus, *desistere faciat lingvam suam à malo*, παυσάτω, digito discat petulans compescere labellum, & DEI vias mirari ac venerari, non autem reprehendere pergat, qvod est malum, cùm optimus ille pater nihil malorum in pios permittat,

Ni majus qveat inde bonum, vel commoda plura
Elicere, & qvasvis mutare in gaudia curas.

Erga proximum verò ita se gerat, ut DEUM imitans veritatem in omnibus sectetur, *labia sua comprimat, ne loqvatur dolum.* Et hactenus κατ' ἀναίρεσιν, ne qvid admittatur mali; jam porrò κατ' θέσιν, ut fiat, & procuretur, qvod bonum & honestum est coram DEO & hominibus. *Discedat à malo*, cui hactenus fuit deditus, & faciat bonum, qvod hactenus intermisit, & sic non fingat, sed agat pœnitentiam, qvæ est à malo ad optimum bonum, à mundo ad DEUM conversio. Et postqvam ipse pacem apud DEUM adeptus est fide, Rom. 5, 1. etiâ pacem cum proximo colat. Non possum, inqvis? Credo. Difficilia enim qvæ pulchra? sed ut res difficiles & pulchras studiosè inqviris: ita *inqvirito pacem.* Ut venator feras indagat, sic tu hanc investiga charitatem, & ubi conspexisti vel fugientem *persequere eam.* Qvæ omnia cùm sint ex Psal. 34. v. 13. 14. & 15. desumpta, ille locus in textu authentico propter emphases vocabulorum Hebræorum cum hoc conferri utiliter poterit.

LOC. COMM. I.

Hîc discimus, vitam qvæ faciant beatiorem, & contrà qvæ faciant acerbiorem. Multi in hâc vitâ miserâ de malorum multitudine conqveruntur, & reverâ qvidem inde ingentes dolores percipiunt, dum & illas, qvas vita hæc habet, non rectè ferunt, & qvas non habet,

bet,& sibi & aliis faciunt. Qvod Lutherus eleganter expressit: Sie machen jhnen viel vergebliche Vnruhe: qvibus qvidem qvam facilè poterant carere, si ipsi qviescerent. Ecce enim Pharaonem, dum Israëlitas affligit crudeliter, qvas plagas ipse sibi accersit suo jumento! contra Deum blasphemat, contra Mosen & Aaronem loqvitur dolũ, non vult declinare à malo, & facere bonũ, non qværit pacem: Qvid igitur? vitam hanc sibi acerbam & finem horrendum parat. Sic & Abimelech, Antiochus, Sennacherib & alii. O homo, ex te ipso oritur malorum ilias: tu ipse ex impœnitentiâ, odio & invidiâ tibi pœnas attrahis, & iram DEI justam acceleras, & velut in thesaurum reponis, Rom. 2. v. 4. & 5.

II. Loc. Comm.

QVod cùm ita sit, si qvis est (licèt rari sint, qvod David in Psalmo indicat illâ suâ interrogatione: Qvis est vir ille, qvi delectatur vita? qvis est, qvi amat dies & bono frui?) qvi cupiat vitam tranqvillam ducere? (qvis verò hoc non desideret?) Qvi ex animo hoc sentit, hæc seqventia ex Christianâ Ethicâ observet. (Id enim hîc tanqvam notum præsupponimus, Davidem & Petrum hîc non tàm agere, qvomodo homo fiat coram DEO justus, qvàm qvomodo in justitiâ suâ vivere, & fidem veram probare qveat:) Lingvam refræne, lingvam, inqvam, qvæ si non coërcetur, est mundus iniqvitatis, & qvam frænare est admodum difficile, Jac. 3, 7. & 8. Ac proinde opus est, ut cum Davide qvis oret ex Psalmo 39, 2. Observabo vias meas, ne peccem lingvâ meâ, servabo circa os meum capistrum. (Confer. Jac. 3, 3. Adde Syr. 19. v. 6. & 23, 6. & 28, 14.) & cum Sirachide suspiret cap. 23, 1. O si qvis inderet ad os meum custodiam, & ad labia mea sigillum! Præcipuè verò videndum, ne contra DEUM loqvamur temerè. Si enim homo mortalis volet litigare cum DEO, non poterit respondere ei ad unum ex mille, Job. 9, 2. Specta saltem eum, qvi non habebat vestem nuptialem; interrogatus obmutuit, Matth. 22, 12. Qva propter semper sit illud nobis in mente: En, vilis sum; qvid tibi, ô DEUS, responsarem? manum meam appono ad os meum. Job. 39, 37.

III. Loc.

III. LOC. COMM.

DEinde qvia multi multas turbas suis dolis & fraudibus, qvibus conjuncta est injustitia, excitant; qvi vult benè vivere, à dolo sibi caveat, & verum dicat, Ephes. 4, 25. Non ore aliud, tacitoqve aliud sub pectore volvat. Qvantum enim malorum hinc oriatur, vides in filiis Jacobi, Gen. 34. Joabo, 2. Sam. 3. Qvid verò pœnarum expectandum illi, qvi dolosè defraudat proximum in commerciis, qvod mercatoribus vel institoribus valdè est solemne, ex 1. Thess. 4, 6. exaggerari facilè potest. Petrus certè vult, ut DEI filii omnem dolum deponant, 1. Epist. 2, 1. cùm DEUS sit verax Psal. 116. Judæis DEUS vetabat, Levit. 19, 19. Deuteron. 22, 11. ne induerent vestimentum variè commixtum ex lanâ & lino pariter; Christiano est præscriptum, ne loqvatur corde & corde Psalm. 12, 3. Si David in sua aula dolosos & minùs candidos ferre nullo modo voluit, Psal. 101. Qvid DEUM facturum credamus?

IV. LOC. COMM.

MUndus est in malo positus, 1. Johan. 5, 19. Qvamdiu igitur homo adhæret mundo, à malo non recedit. Hoc autem ut fiat, monet Scriptura, Apoc. 18, 4. Exi inde populi mi, ne participes fiatis peccatorum ejus. Considera futuros Loti generos, qvi nolebant socerum ex Sodoma euntem seqvi; certè suâ culpâ peribant cum reliqvis; Sicut & illi, qvi noluerunt cum sanctis urbe Jerosolyma excedere Pellam, tempore Titi Vespasiani. Recede igitur à malo, & fac bonum, si vis videre dies bonos. Mali ergò fugiendi, & boni seqvendi, normam habes Decalogum: Hinc examen institue. Vis exempla probata? Ab Idololatria recesserunt, Manasses & Israëlitæ aliqvoties, DEUMqve postea ex animo coluerunt: A perjurio recessit Petrus, CHRISTUMqve postea constanter est professus; Ab inobedientiâ erga parentes recessit filius prodigus, patremqve deinceps est veneratus; Ab homicidiis Moses, Theodosius Imperator, & alii: Ab adulterio Judas & David: à furto & rapinis Zachæus. Hos, si imitaris, eâdem veniâ donaris?

V. LOC. COMM.

QVæ sunt primùm investiganda, deinde perseqvenda, non facilè haberi possunt. Tale autem bonum est pax. Ideóqve ne mireris, si ea est valdè rara & cara. Multi eam non qværunt, sed ad bellum conclamant, Psal. 120,7. ideòq; non habent. Multi qvando habent, non perseqvuntur, aut non student retinere, sed leviſſima de causâ vinculum concordiæ rumpunt, contra Apostoli monitum, Eph. 4,3. Adde similes hortationes, 2. Tim. 2,22. Hebr. 12,14. Sic igitur omni tempore Christiani pacis studio debent incumbere, qværēdo media, & rationes, qvibus possit restitui, qvando eam non habent; & proseqvēdo ac fovendo, qvando habent. Exemplū egregiū habes in Abrahamo Gen. 13. Isaaco, Gen. 26. Qvemadmodū verò etiam sæpè fit, ut fera, qvā summo studio venator perseqvitur, tamē aufugiat & prehendi neqveat: Ita etiam qvandoq; cum malis boni pacem diuturnam aut non habent, aut non potiri ea possunt. Unde Apostolus Rom. 12,18. adjicit, si fieri potest, & qvantum ad vos attinet. Ad qvod dictum ante explicatum nunc nos remittimus, & Apostolico voto concludimus, 2. Thess. 3,16. *Ipse DEUS pacis semper det vobis pacem omni modo: & Dominus sit cum omnibus vobis.*

DOMINICA VI. POST TRINITATIS.

Rom. 6,4.

Συνετάφημεν οὖν αὐτῷ διὰ τοῦ βαπτίσματος εἰς τὸν θάνατον, ἵνα ὥσπερ ἠγέρθη Χριστὸς ἐκ νεκρῶν, διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρὸς· οὕτω καὶ ἡμεῖς ἐν καινότητι ζωῆς περιπατήσωμεν.

SEpulti igitur sumus unâ cum illo per Baptismum in mortem, ut qvemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris; ita & nos in novitate vitæ ambulemus.

2. Reg.

2. REg. 5. Naaman leprosus, atqve ita ferè vivens mortuus, septies in Jordane se lavans ex præscripto Prophetæ, restituitur sanitati pristinæ, & postea se DEUM Israëlis, qvi ipsum sanaverat, culturum per totam vitam promittit. Cum Naamane potest conferri qvivis homo, qvi olim in Adamo fuit נָעִים, hoc est, pulcher in statu integritatis, at per lapsum ejus, peccati lepra est infectus, & adeò depravatus, ut ipse sit mortuus, Eph. 2. Sed in terram Israëlis se confert, seu ad Ecclesiæ gremium confugit ad אֱלִישָׁע, id est, eum, de qvo verè dicas, Deus meus est salus, qvi est Christus, (cùm ille solus propterea JESUS appelletur, Matth. 1. qvòd sit liberaturus suum populum ex omni peccato; imò in nullo alio sit salus, nec ullum nomen, in qvo possimus salvari, Actor. 4. qvàm nomen JESU.) Ab illo præcipitur, ut homo Jordane tingatur, dicto à יַרְדֵּן, i. e. à fluvio judicii, hoc est, baptismo, ubi illud judicium exercetur, ut peccatis deletis homo absolvatur, & purus ob Christi justitiam imputatam, qvem ibidem induimus, Gal. 3. reputetur; ut item integritati pristinæ incipiat restitui per Baptismum, qvi est lavacrum regenerationis, renovationis ac sanctificationis. Qvia verò baptismus est ἐπερώτημα εἰς θεὸν συνειδήσεως ἀγαθῆς, 1. Petr. 3, 21. vicissim etiam reqviritur, ut homo ita renatus deinceps DEO suam obedientiam non tantùm promittat, sed etiam præstet, qvod Paulus eleganter in principio c. 6. Epistolæ ad Roman. declarat. Nos inde excerpentes v. 4. in eo hæc duo videbimus.

I. Qvomodo vetustas carnis in baptismo moriatur.

II. Qvomodo novitas vitæ in Christo oriatur.

Domine, qvi nos ex merâ misericordiâ salvasti per lavacrum regenerationis, & renovationis in Spiritu Sancto, effundas, qvæsumus, eum super nos copiosè per Christum Salvatorem nostrum, Tit. 3. v. 5. & 6.

PRIMA PARS.

2. REg. 3, 20. & 21. mira qvidem, sed tamen vera habetur historia. Dùm enim turbæ Moabitarũ superveniebant sepelientibus, projecerunt suum mortuũ in sepulchrũ Elisæi, & factum est, ut ille mortuus attingẽs ossa Elisæi reviviscceret, ac in pedes erectus exsurgeret. Qvando nos in peccatis mortui sepulchro sumus inferendi, su-

superveniunt turmæ hostium infernalium, qværentes nostram animam, sed si tum in sepulchrum CHRISTI, qvi verus est Elisa, per baptismum injicimur, reviviscimus & novum spiritum ac succum vitæ ex illo haurimus. Id Apostolus hîc declarat, & 1. qvidem, qvomodo Christi simus membra in morte: deinde verò in Sanctorum sorte. Cohærentia horum verborum, qvæ aliàs videtur obscura, est talis. Dixerat in fine capitis præcedentis Apostolus, peccatis nostris illustrari beneficium CHRISTI. Objici poterat: Ergóne peccandum, ut gratia fiat auctior? v. 1. Respondet Apostolus v. 2. Neqvaqvam; qvin potiùs hinc seqvi, omninò non esse peccandum. Argumentum per inversionem est tale. Qvi mortuus est peccato, is non vivit eidem. Pii sunt mortui peccato. E. eidem non vivunt. Minor probatur: Qvicunq; per baptismũ fiunt membra CHRISTI, illi mortui sunt peccato: Pii per baptismum fiunt membra Christi: E. sunt peccato mortui, & per conseq. in novitate vitæ ambulẽt. Hâc textus cohærentiâ perspectâ verborum vim porrò considerabimus. Tria Apostolus hîc potissimum proponit: Christi mortem, sepulturâ, & resurrectionem. Jam verò, qvia Christiani per baptismum Christo inseruntur, eadem illa tria in singulis istis reqviruntur, & ex morte Christi, peccati mortem seu dominii sublationem; ex sepulturâ, peccati obtectionem coram DEO; & demum ex resurrectione, vitæ novæ declarationem vult seqvi Apostolus. De primo in v. 3. egit: *An ignoratis, qvòd, qvicunq; in Jesum Christum baptizati sumus*, de qvâ phrasi pluribus dictũ in explicatione Gal. 3, 27. *in mortem ipsius sumus baptizati?* hoc est: ut in baptismo propriè dicto mergimur, ita cum Christo mortuo mori & submergi debent nostra peccata, ne deinceps vivat in nobis vetus ille homo, sed succidatur propediem propullulans peccati radix, donec tandem per nostram ipsorum mortem & cinefactionem tollatur. Qvod si ita est, & mortui solent sepeliri: qvemadmodum & Christum in cruce mortuum, & inde sublatum à Josepho & Nicodemo sepultum legimus: *Unà etiam nos sepulti sumus cum eo*: omninò non naturaliter, sed spiritualiter, non physicè sed mysticè, per baptismum scilicet in mortem, qvi baptismus etiam suo ritu figurat qvodammodo nostri veteris hominis submersionem & mortificationem. Unde etiam Christus suam passionem & mortem baptismum vocat, Matth. 20, 22. & 23.

Lo-

LOC. COMM. I.

SEmper debet Christianis in memoriâ esse Baptismus, ut cogitet qvisqve: Non ego perfidum dixi Sacramentum. Ibimus, ibimus, utcunqve præcedes, supremum carpere iter, comites parati. Est enim hoc efficacissimum ad benè vivendum argumentum. Unde Apostolus hoc potissimùm urget. Cui enim qvis se militaturum promisit, non tantùm ad ejus imperium, sed nutum & progredi & stare paratus esse debet, ad exemplum Davidis, qvi manè & diligenter se in ordinem & aciem DEI vivi collocari volebat, ut speculari posset Psalm. 5. Israëlitæ, qvando Gideon eos liberaverat ex manu Midianitarum, Judic. 8, 22. 23. dominium in se ipsi offerebant, qvod ille renuebat dicens: Jehova in vos est habiturus dominium. Nos longè rectiùs nostrum Christum, qvi nos redemit de manu damnatorum Diabolorum, & accusatione Legis, (מָרַן enim est à רוּן, id est, judicavit, & per Metalepsin contendit ac damnavit) dominari super nos petimus; qvia ipse etiam deinceps contrà omnes hostes nostros fortiter nos potest defendere, imò ex morte in vitam revocare. Nos ergò illum sequamur DEI Ducem, ut posteà videamus æternam lucem. Qvi in Mosen baptizabantur in maris rubri transitu in nube & mari, omnes eum ut Ducem sequebantur, & qvi ei obediebant, in terram sanctam introducebantur. Confer Exod. 14. 1. Cor. 10. Nos ergò etiam Christum sequamur semper: ita in cœlestem perveniemus patriam, & cum Christo vivo per mortem ad vitam transibimus, omnibus hostibus nostris nobis subjectis.

II. LOC. COMM.

HAbetur hîc ἔλεγχος contra Calvinianos negantes, Baptismum esse verum regenerationis medium. Apostolus enim hic expressè declarat, per eum nos ipsi Christo inseri, ejusq; meriti, passione & morte parti, fide reverâ fieri participes. Qvemadmodum enim arca Noæ verum erat medium, per qvod ipse cum suis salvabatur: ita Baptismus reverâ salvat, 1. Petr. 3, 20. & 21. Et sicuti fons verè abluit sordes corporis: ita reverâ hic fons aqvæ vivæ sub tempus N. Testamenti promissus, Zachar. 14, 8. abluit & purgat animæ maculas, Eph. 5, 26. Actor. 22, 16. Et qvemadmodum aqva, cujus conficiendæ ratio Mosi præscribitur, Num. 19. purgabat eum, qvi cadaver tetigerat, ad carnis

puritatem, Hebr.9. Ita magis sangvis CHRISTI, qvi in Baptismo est præsentissimus, nostram conscientiam purgat à mortuis operibus, ibidem v.14. Qvod cùm ita sit, nos 3. hanc ὑπόθεσιν observemus.

III. LOC. COMM.

ACcedamus cum verô corde per certioratam fidem aspersione Baptismi, purgatis cordibus à conscientiâ malâ, & abluto corpore aqvâ mundâ, retineamus professionem spei non vacillantem, Hebr. 10,22.23,24,25. Mortui mundo, vivamus DEO, ut suô exemplô præit Apostolus, Gal.2,19.& 20. Consepulti enim sumus cum nostrô Christô. Jacobus Genes. 47.& 49. severè mandabat, sicut & Josephus Genes.50. ne in Ægyptô, sed in terrâ sanctâ sepelirentur: Nos videamus, ne cum hoc mundo moriamur & sepeliamur: Ita enim extra terram cœlestis patriæ resurgeremus; Sed ad CHRISTUM nostrum Ducem respicientes suspiremus cum Bileamo malo benè, Num.23,10. Morte moriar justorum, & sit finis meus, sicut illius. Ita cum CHRISTO morientes, & sepulti cum eôdem resurgemus tandem ad gloriam, ut factum legimus tempore resurrectionis CHRISTI, qvando multi sancti circa Jerosolymam sepulti, unà resurrexisse dicuntur, Matth.27,52.53. Si autem sumus cum CHRISTO consepulti, ne velimus peccata nostra jam recondita & tecta, per novam improbitatem refricare, aut qvæ erant mersa in profundis reducere, Mich.7,19. ut ita cum CHRISTO qvondam appareamus immaculati.

SECUNDA PARS.

QVis verô est, qvi hoc non unicè desideret? Veruntamen ut olim sub Moysis Baptismo, de qvô 1. Cor. 10,2.& 5. non omnes DEO placebant, verùm multi in ipsô desertô, qvòd nollent ad præscriptum Domini progredi, sunt prostrati, Num.26. ut meritò dicas: Ex Ægypto ire volunt omnes, pietati incumbere nemo. Sic hodiè etiamnum multi cupiunt intrare regnum cœlorum, sed tantùm dicentes: Domine Domine, & serô accedentes, clausas regni januas sibi aperiri petunt cum stultis virginibus Matth.25. Audiamus igitur, qvomodo possimus hîc vivere, ut possimus olim cum illo regnare. Hic finis noster est, qvem decet spectare, ut baptizati & Christo addicti milites nos strenuos præbeamus. *Ut qvemadmodum CHRISTUS excitatus est, & resurrexit à mortuis*, v.10, *ita & nos*, vetere homine in Baptismô depositô,

sitô, & submersô, *in novitate vitæ ambulemus*. DEUS enim, qvi Dominum JESUM excitavit, & nos excitabit per potentiam ejus, 1. Cor. 6. v. 14. ut euntes feramus fructum multiplicem, Joh. 15, 16. Id enim est Scripturæ phrasi ambulare, nempe certô modô vitam instituere, ut ad metam pervenias, suæ vocationis munia obire, & in officiô esse sedulum, Genes. 17, 1. Unde genus vitæ via nominatur: qvâ de re vide Psalm. 1. v. 1.

LOC. COMM. I.

CHRISTUS & à Patre est suscitatus, Act. 2, 32. Rom. 4, 24. & cap. 8, 11. & ipse seipsum excitavit, qvia habet potestatem deponendi & resumendi animam, Joh. 10, 18. & cap. 2, 19. & 21. Ordo enim, & respectus personarum in divinitate non efficit potentiæ inæqvalitatem, ut malè inde argumentantur divinitatis Christi hostes Arriani, Photiniani, & similes. Sic Pater dat Filium, & ipse dat suam animam λύτρον pro mundô: Pater eum tradit, & ipse se in mortem tradidisse legitur.

II. LOC. COMM.

DIscimus hinc, CHRISTUM esse nobis datum à DEO, ut donum, & simul propositum esse perfectissimum exemplar, qvod imitemur: qvorum illud ad redemptionem, hoc redemptorum naturam & vitam spectat. Sunt hæc conjuncta & subordinata, non verô sibi invicem opponenda: qvod faciunt hodiè Photiniani. Dum enim dicimur consepulti cum CHRISTO in mortem, de merito redemptionis agitur, dum factum hoc esse, ut in novitate vitæ ambulemus, subjicitur, de imitatione CHRISTI monemur. Vide, qvæ plura in hanc sententiam dicta sunt in dictum Petri ex 1. Epist. cap. 2, 21.

III. LOC. COMM.

QVemadmodum cùm nulla respiratio in corpore humanô cernitur, id esse mortuum rectè cum Jacobo concludimus cap. 2. v. 26. ita cùm nulla est in homine renato in novitate vitæ ambulatio, qvin vitâ jam sit privatus spirituali, nullum est dubium. Nam multi vivunt qvidem, sed Diabolo ac mundo, qvi reverâ coram DEO sunt mortui, ut de viduâ voluptatibus dedita scribit Apostolus 1. Tim. 5, 6. & de his loqvitur Dominus: *Sine mortuos sepelire suos mortuos*, Matth. 8, 22. Josua qvinq; Reges in spelunca abditos producit, & ut popu-

populus Israëliticus imponat pedes cervicibus eorum, jubet. Confirmamini, inqvit: Nam sic facturus est Jehova omnibus hostibus vestris, Josuæ 10. Noster Josua autem JESUS, postqvam ipse hostes nostros devicit in morte, & jam excitatus omnis generis flagitia, maximè per qvinqve sensus admissa, qvæ sunt opera tenebrarum, producit, & vult, ut renati ea propulsemus, nobis subjiciamus, & deinceps dominium illis non permittamus: siqvidem Jehova nos sit adjuturus. Unde Apostolus hôc locô emphaticè non vult solùm, homines baptizatos ambulare, (sunt enim multi, qvi suâ sponte & libenter ambulant in consiliô impiorum, Psal. 1. v. 1.) verùm etiam in novitate vitæ. Qvando Israëlitæ suas fruges colligebant, DEO primitias offerebant, Levit. 23. Nos ut aliqvando simus inter eos, qvi congregandi sunt in DEI horrea, Matth. 13. nunc novitatem vitæ probemus depositis veteribus sceleribus & flagitiis, qvippe qvæ nos in viâ pietatis gravant & tardant. Sic olim in fide & vitæ novitate beabimur æternâ felicitate.

DOMINICA VII. POST TRINITATIS.

Roman. 6. vers. 23.

Τὰ γὰρ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας, θάνατος· τὸ δὲ χάρισμα τοῦ Θεοῦ, ζωὴ αἰώνιος, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν.

ET enim autoramenta peccati, mors: Donum autem DEI vita æterna, per CHRISTUM JESUM Dominum nostrum.

DAVID à Nabale ignominiâ affectus, qvanqvam non satis ex justo zelo parat, eum totamq; ejus familiam exscindere. Verùm ab Abigaële obviâ placatus non tantùm in vivis eam conservat, sed insuper maritô mortuô uxorem ducit, eamq; reginam finitô suô exiliô efficit, 1. Sam. 25. CHRISTUS unicè Patri dilectus Filius, ab Adamô ejusq; posteris graviter offensus, & ad justissimam iram accensus, poterat eos omnes meritò condemnare; sed eorum misertus

non

non tantùm non infert illam æternam mortem, sed & ex gratiâ insuper vitam æternam confert, & Ecclesiam sponsam suam ac cœli reginam tandem efficit. Id per antithesin Rom. 6, 23. Apostolus exaggerat. Nos in eô dictô duo videbimus:

I. *Mortem, peccato promeritum stipendium.*
II. *Vitam æternam, gratuitum præmium.*

Domine nostros illumina oculos, ne somnum mortis æternæ dormiamus, Psal. 13, 4. sed fac, ut in luce tuâ tandem fruamur luce æternâ, Psal. 36, 10.

PRIMA PARS.

Israëlitæ ex potestate Pharaonis liberati, DEI peculium efficiebantur: gens sancta, & omnibus in terrâ promissâ bonis ditanda, Exod. 19, 4. & 5. Ita Apostolus v. 22. concludit, qvòd homines liberati à peccatô & potestate Diaboli, (qvi cum Pharaone in multis conferri potest,) servi sunt facti DEO summo Monarchæ, fructumq; ferant in sanctificatione, finemq; tandem reportent vitam æternam; unde infert: Nam stipendia peccati mors. Intelliguntur autem talia stipendia, qvalia dantur ex merito militibus Imperatori suo militantibus. & olim, qvando tantus non erat, qvantus hodiè, pecuniæ usus, dabantur militibus locô stipendii unà cum pecuniâ certum demensum annonæ & cibariorum, unde per mensem viverent, Lev. 3, 14. ut ita sive cibum edamus, vel emamus, vel in bellum concedamus, aut de eo sermonem faciamus, hujus stipendii peccati simus memores. Cùm igitur Apostolus in versu præcedenti peccatum comparâsset cum Tyranno, nunc benè ei tribuit, qvod suis apparitoribus & morigeris servis det stipendium, nempe non unum, sed multa. Stipendium enim peccati est mors, non tantùm corporalis, qvam nunqvam homo actu obiisset, si Adam non peccâsset; sed etiam æterna. Confer Genes. 2, 17. & cap. 3, 19. Rom. 5, 12. 14. & cap. 6, 9. 10. 21. Imò omne id, qvod Scripturæ aliàs nomine mortis venit, ut sunt I. mortis angores, ærumnæ, afflictiones, & miseriæ hujus vitæ, Exod. 10, 18. 2. Reg. 4, 40. 2. Cor. 1, 10. & cap. 11, 23. II. Reatus peccati, seu mors gratiæ, qvando anima DEO, qvi est vita, est privata, Johan. 5, 25. Matth. 8, 22. 1. Tim. 5, 6. III. Mors temporalis, qvæ est animæ & corporis dissolutio. IV. Mors secunda seu æterna, qvæ est perpetua ex cœlis exturbatio, ut in Apocalypsi

appellatur. Hinc ita indefinitè, & hic Apostolus, & Moses in Genes. 2,17. loqvitur, ut cùm nulla mors sit certa indicata, omnem mortem intelligamus. Sensus igitur est, ut miles magnô labore ac sudore promeretur suum stipendium, qvod ipsi jure debetur: Ita peccator suis peccatis, iisq; sæpè laboriosis sibi mortem promeretur, & iram DEI velut in thesaurum sibi reponit, Rom. 2,4.

LOC. COMM. I.

MEritò dicuntur impii apud Hebræos רְשָׁעִים ab inqvietudine: qvia nunqvam qviescunt. Unde etiam apud Esaiam cap. 57, 24. comparantur mari, qvod propellitur à vento, & ejicit cœnum ac lutum. Ita illi in vanum perstrepunt, Psal. 39,7. sibi & aliis creando molestiam, ut nostrum illud verisimum esse dicas proverbium: **Vielen wird die Helle sawrer zu verdienen/denn einem andern in den Himmel zu kommen.** Vide enim Pharaonem, qvomodo multa machinetur, moliatur, seq; ipsum conficiat. Specta Saulem, in aulâ turbantem, in campô excubantem, & seipsum tantùm perdentem. Absolon multa animo volvit & revolvit consilia, anteqvam patrem regno excutere potuit, suo maximo malo. Ecce Judam cum Scribis & Pharisæis consultantem, & tempus ac locum proditionis constituentem, imò de nocte obambulantem. Qvodnam tandem laborum tantorum hi reportârunt præmium? mortem æternam. Ut enim miles exantlatis laboribus auffert stipendium: sic homines mali mensurâ iniqvitatis suæ completâ, Genes. 15,16. tandem mercedem suam reportant: homines cum Noacho viventes diluvium, cum Lotho habitantes incendium, cum Pharaone proficiscentes submersionem, cum Sennecharibo ad Hierosolymam pugnantes internecionem, omnes verò mali ex cœlis perpetuam exclusionem.

II. LOC. COMM.

REfutantur hinc Photiniani, statuentes, hominem moriturum fuisse, etiamsi non esset lapsus. Immortalem enim eum esse creatum, id est, talem, qvi potentiam habebat, non moriendi, seu qvi poterat non mori, si perstaret, & qvi poterat mori, si non persisteret in suâ integritate, cum Scripturâ concludimus. Peccatum si non fuisset, neq; mors ulla seqvuta esset. Cum illâ enim conditione vita illa data erat, ut homo primus mandatum DEI observaret. Qvando Salomon Simei edi-

dixerat, ut maneret Hierosolymis, atq; ita viveret, is verò inde abiret, meritò mortis suæ causa fuit, & supplicium, qvod Rex ipsi erat comminatus, luere debuit: qvô, si fuisset regio mandato obseqvutus, affectus non fuisset. Sic etiam se res habet cum homine, cui non pereundum fuisset, nisi fuisset lapsus; ast postqvam in peccatum lapsus fuit, pereundum ipsi esset in peccatô, nisi CHRISTUS vita ipsa moriens mortem destruxisset, & vitam nobis retulisset.

III. LOC. COMM.

MOnet Apostolus, ut qvicqvid facimus, dirigamus ad DEI gloriam, 1. Cor. 10, 31. addi potest, & ad nostræ imbecillitatis & peccati fœditatis memoriam. Semper enim qvi cogitat, qvis sit futurus finis, non facilè peccat, Syr. 7, 38. Peccas? stipendium meres, nempe mortem, qvam horres. Peccatum igitur vita, ut hanc effugias: siqvidem tandem datur ut obsonium. Tu igitur Domine doce nos numerare dies nostros, ut inducamus animam sapientem, Psal. 90, 12, Fac, animadvertamus viâ integrâ, qvando sis venturus ad nos, Psalm. 101, 2. ut nobis ritè certantibus ac currentibus vitæ æternæ coronam tribuas, 2. Tim. 4, 7. 8. de qvâ nunc porrò in secundâ parte.

SECUNDA PARS.

QVando DEUS maximo miraculo Syros cœcitate percusSos in urbem Regiam Samariam per Prophetam perduxisset, & Rex esset illos percussurus, DEUS jubet, ut gratiam faciat, hostesq; suos cibet, ac potet, 2. Reg. 6. qvod etiam factum. Exemplum hoc qvidem est præclarum beneficentiæ in hostes; veruntamen ne conferendum qvidem ad id, qvòd DEUS nos omnes custodiæ, ac carceri inferni (שִׁמְרוֹן enim est à שָׁמַר, id est, custodivit,) addictos non tantùm non perdat, sed etiam suæ gloriæ consortes efficiat: idq; respectu nostri, ex merâ gratiâ. Nam donum gratuitum χάρισμα, non merces vel μισθὸς est vita æterna, & qvidem, qvia magnos magna decent, donum DEI, non Papæ aut alterius hominis. Dicis: An ergò DEUS potest ita peccatum dimittere, dum ipsi non est satisfactum per potentiam suam absolutam? &, qvi fit, qvòd non omnes salventur? Audi porrò Apostolum: hic ordo à DEO est institutus, ut conferatur illud donum in & per CHRISTUM JESUM pro mundi peccatis λύτρον solventem, Dominum nostrum non tantùm ratione creationis, verùm etiam

etiam redemtionis, in qvô jam ſumus Patri reconciliati, & gratiâ illâ donati, omnes, qvi fide ejus meritum nobis applicamus.

LOC. COMM. I.

HIc continetur ἔλεγχος contra Pontificios, qvi ſtatuunt, nos operibus noſtris vitam poſſe promereri. Apoſtolus reclamat Roman. 11,6, *Si ex gratiâ, non ex operibus; Sed ex gratiâ*, Epheſ.2.v.8. *& non ex operibus*, v. 9. E. eſt χαρίσμα, & juſtificamur ac ſalvamur gratis, DEI gratiâ, Rom.3,24. DEI Patris, dantis mundo ſuum Filium; DEI Filii, λύτρου ſolventis; DEI Spiritûs Sancti, in verbo nobis tanta bona offerentis. O magna dona! ô magnum, qvi illa dat, Dominum! Accurrite vos, qvi eſtis pauperes Spiritu: hîc erogatur eleëmoſyna verè regia. Adeſte vos, qvi DEUM offendiſtis: eſt, qvi vos reponat in gratiam, nempe CHRISTUS fide apprehendendus: unde illi lapidi apud Zachariam cap.3.v.9. apponuntur oculi, puta, qvi ad eum reſpiciant. Huc venite, qvibus non eſt operum merces: gratis hîc datur vinum & lac miſericordiæ divinæ, Eſai.55,1. Venite, ſine vobis jam ſunt parata omnia, Matth.22,4. gratô animô gratuitum donum accipite: Ita enim decet χάρισμα ſuſcipere, non ἀχαρίστως. Donum regium qvi ſpernit, magnum crimen putatur admittere: qvantò majus ergò hoc erit flagitium, tantum donum DEI gratuitum negligere? Manna ubi temnebant Iſraëlitæ, vitâ multi privabantur, Num. 11. Hoc donum oblatum, qvi non ambabus manibus amplectitur, vitâ æternâ ſeipſum privabit, Joh.6. Eſt enim hoc donum vita æterna.

II. LOC. COMM.

QVævis dona alia parvô tempore, & ſæpè tantùm ad momentum proſunt: id, de qvô hôc locô ſermo habetur, eſt vita æterna, qvæ nullum habet finem. Beatos reputamus primos homines, qvòd diu vixerint: Verùm qvantum ſub vitâ mortis erit, tot fuére & ipſi afflicti moleſtiis, & tandem omnibus ſubjicitur: & mortuus eſt. Hîc eſt vita, (qvæ in Scripturâ notat ſæpè felicitatem,) & qvidem æterna.

III. LOC. COMM.

QVemadmodum autem, ut Ezech.9,4. & Apoc.7,3. adumbratur, nulli poſſunt reliqvis pereuntibus vivere, niſi illi, qvibus in fronte eſt ſignum inſcriptum: Ita etiam hæc vita æterna nemini contingit, niſi qvi ſignum crucifixi in corde habet inſcriptum. Unde addit

Apo-

Apostolus: per *JESUM CHRISTUM*; Is enim est JESUS & Salvator perditorum. Is est CHRISTUS & unctus Propheta ac Doctor rudium & stultorum, Rex ac defensor subditorum suorum, terror inimicorum, & deniqve victima peccatorum. Israëlitæ qvandoq; per Sacerdotes, ut Pineham: sæpè per Prophetas, ut Mosen, Samuelem, Elisæum: sæpius per Reges & vindices sunt liberati ac salvati. Qvorum omnium liberationes cum hac comparari qvidem & conferri possunt; hæc verò omnibus longè præferri meritò debet; siqvidem qvantum æterna caducis, & cœlestia terrenis præstant; tantò etiam majus beneficium hic Salvator nobis præstitit, qvàm illi suis coætaneis. Hic enim sangvinem suum fudit, ut nos à sangvinibus liberaremur, & nostra vulnera sangvinolenta sanarentur: mortem obiit, ut viveremus; pauper factus, ut nos ditaret; miser, ut nos bearet. In summâ: nostram ad tempus subiit miseriam, ut nos ipsius æternam adeamus gloriam. Hic ergò verè est JESUS noster, qvi in veram qvietem omnes sibi obseqventes introducit, Hebr. 4. Hic est Christus, qvi non tantùm unctus ipse est, Psal. 45. sed etiam nos ungit Spiritûs Sancti donis, 1. Johan. 2, 20, 27. 2. Cor. 1, 21. aliisqve bonis, Psal. 23. v. 5.

IV. LOC. COMM.

SI per Christum Dominum nostrum nobis vita æterna donatur; etiam hunc ut Dominum colamus; qvandoqvidem per eum sumus liberati, ut ipsi serviamus in justitia omnibus diebus vitæ nostræ, Luc. 1, 74. & 75. vide in hoc cap. 6. Epist. ad Romanos v. 11. & 12. adde Matth. 6, 24. Et qvia servus non est supra Dominum, Matth. 10, 24. is verò per passionem introivit in suam gloriam, Luc. 24. nos etiam decet per multas tribulationes in regnum cœlorum ingredi, Actor. 14. spe sustentatos, fore ut cum eo regnemus, qvi cum eo passi fuimus, Rom. 8, 17. Qvod si detrectamus ejus crucem ferre, eiq; obedire, Dominus ille noster nos à se rejiciet, velut servos inutiles, Matth. 10, 33, 38. Etiam illud potest hîc iterum ex ultimis verbis explicari: Si per Christum Dominum nostrum nobis obtingit vita æterna, non datur nostris meritis; qvia qvid necesse erat, ipsum incarnari, pati ac mori, si homo poterat sibi aliqvid promereri? Os. 13 9. Israëlitæ sine Mosis operâ non poterant se in libertatem vindi-

care; multò minus homo ex poteſtate tenebrarum ſe poterit eripere. Nemo enim hominum poteſt dare redempturam DEO; qvia nimis cara eſt vitæ redemptio, Pſal. 49. v. 8. & 9. Gratia autem ſit DEO, qvi dedit nobis victoriam, 1. Joh. 5, 5. per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, 1. Cor. 15, 57. Is faciat, ne per peccati ſtipendium ſit nobis ſalutis dispendium, ſed per Chriſti meritum reportemus vitæ æternæ præmium. Sic cum Domino noſtro ex crucis poculo bibamus, ut cum eodem in futuro ſeculo vivamus.

DOMINICA VIII. POST TRINITATIS.

Rom. 8. v. 12. 13. 14.

Ἄρα οὖν, ἀδελφοὶ, ὀφειλέται ἐσμὲν οὐ τῇ σαρκὶ, τοῦ κατὰ σάρκα ζῆν. εἰ γὰρ κατὰ σάρκα ζῆτε, μέλλετε ἀποθνήσκειν. εἰ δὲ πνεύματι τὰς πράξεις τοῦ σώματος θανατοῦτε, ζήσεσθε. ὅσοι γὰρ πνεύματι Θεοῦ ἄγονται, οὗτοι εἰσὶν υἱοὶ Θεοῦ.

PRoinde, fratres, debitores ſumus, non carni, ut ſecundùm carnem vivamus. Nam ſi ſecundùm carnem vixeritis, moriemini. Quod ſi Spiritu actiones corporis mortificetis, vivetis. Etenim qvicunqve Spiritu DEI ducuntur, hi ſunt filii DEI.

JOſua poſtqvam populum Iſraëliticum jam in terram ſanctam introduxit, & unicuiqve portionem qvandam hæreditario jure poſſidendam attribuit, qvid DEUS fecerit, enarrat, & qvid populus viciſſim DEO ſuo debeat, exponit & inculcat: Qvod ſi à vero DEO, qvi ipſis terram hanc dedit, deficeret ad idola gentium expulſarum, fore, ut exſcindatur: proinde eligat jam, utrum DEO, an illis Deaſtris velit ſervire. Populus Jehovam eligit: Joſua lapidem in teſtimonium erigit, Joſ. 24. Elegans hoc eſt exemplum, ſatis declarans, qvæ ſit DEI circa pios ſervandos cura,

tura, & qvæ eorum sæpissimè perversa natura. Ille enim ex mundi hujus Ægypto & tenebris ad lucem, Colos. 1. ex servitute in libertatem, Johan. 8. Rom. 6. per JESUM suum eos vindicat: per mare rubrum Baptismi traductos, 1. Corinth. 10. in regno cœlorum sistit, ac omnia bona cœlestia hæreditario jure conseqvenda promittit, Rom. 8. Gal. 4. Verùm cum hâc conditione, ut vicissim cultum & obseqvium, qvæ DEO debent, præstent, neqve ab illo ad Diabolum & mundum, qvibus in baptismo abrenunciarunt, qvando Domino huic suo dixerunt sacramentum, rursus deficiant; qvod si fit, nec resipiscunt, funditus pereunt. Qvi autem DEO serviunt, beantur, qvod olim lapis ille refugii & scandali, Luc. 2. in extremo judicio testabitur, Matth. 25. Faciet igitur periculi magnitudo, ut in nobis pia sit sollicitudo, ac cogitemus, qvid DEO nostro debeamus.

Partes erunt duæ.

I. Qvàm sit concupiscentia mundanorum exitialis.

II. Qvàm sit obedientia piorum salutaris.

DOMINE, pedes nostros in sermone tuo instituas, & ne sinas dominari in nobis ullam iniqvitatem, Psal. 119. v. 133.

PARS PRIOR.

DAvid, qvando apud Regem Gathi Achisch latitabat, qvæ huic non ingrata erant, faciebat; posteà verò ab eodem digressus alia moliebatur, & tandem ad regnum evectus Philistæos oppugnabat & expugnabat. Homo qvàm diu est in potestate Diaboli & mundi, qvæ illi svadent, libenter exseqvitur; verùm qvando cum Christo jam fœdus in baptismo iniit, ille dies aliam vitam, alios mores postulat. Imò, qvia ad regni cœlestis hæreditatem est vocatus, oppugnare eos suos infensissimos hostes ne desistat, Ephes. 6. & DEO suo grata dicere ac facere studeat, idq; tum ob promissionis suæ debitum, tum ob retributionis divinæ præmium. Qvod utrumqve Paulus hoc loco potissimum exaggerat. *Fratres*, inqvit, ut redeant in memoriam, qvod unum habeant ratione creationis patrem, ratione redemptionis unum fratrem, & qvod ita sint regeniti Christiani, in qvibus post baptismum Spiritus Sanctus habitare inceperit, eosqve in peccatis mortuos cum Christo excitaverit, vide v. 9. 10. 11. præcedentes. Ideò, qvia DEUS Pater nos cum CHRISTO

excitavit, & Spiritu suo Sancto donavit, nosq; promisimus fore, ut ipsi serviamus, promissum istud, fratres, cadit in debitum: *Debitores sumus*, & DEI & proximi, Rom. 13, 8. ut utrumqve diligamus Matth. 22, 37. 39. 40. *Non autem carnis* seu corruptæ nostræ naturæ, (qvando enim vocabulum carnis in N. T. opponitur Spiritui, carnis vetustatem ac corruptionem denotat, qvalitatem pravam, non substantiam,) *ut secundùm carnem*, ejusq; præscriptum *vivamus*. Si igitur illi nihil debemus, cur illi multum dare velimus? Sine fructu non tantùm omnis opera illi data perditur, verùm etiam æternum manet exitium, & salutis dispendium eos, qvi sub illâ merent stipendium. Si enim *secundùm carnem*, prout mundus & caro vestra svadet, impellit, pròvocat, invitat, *vixeritis*, *futurum* certè est, *ut moriamini*. Ita enim illa phrasis Græca μέλλω ἀποθνήσκειν de maximo & præsentaneo mortis periculo accipitur, Johan. 4, 47. & Joh. 18. v. 32. Confer Luc. 7, 2.

LOC. COMM. I.

ADhortationes à ministris verbi ita debent institui, ut Auditores sentiant, eas ex benevolo animo esse profectas, Gal. 6, 1. 2. Tim. 2, 24, 25. Qvum enim illi sint qvasi patres spirituales, 1. Cor. 4, 15. Gal. 4, 19. hos suos liberos cum omni lenitate erudient. Confer Eph. 6, 4. Videant Mosen, Num. 12, 3. Christi dictum, Matth. 11, 29. & factum, Luc. 15. Joh. 20. Sic apparuit DOMINUS Eliæ in vento silentio tenui, 1. Reg. 19.

II. LOC. COMM.

QVoties de debitis cogitamus, qvod ferè qvotidie fit, toties nos esse debitores DEI consideremus, vide parab. Matth. 18. Et qvia nos volumus, ut DEUS nobis remittat debita, Matth. 6, 12. etiam remittamus fratri suos errores, Matth. 18. v. 35. εἰ οἶδας ὄφλων, καὶ πρόχρησον τὸ πρᾶον οἴκτῳ γὰρ οἶκτος τῷ Θεῷ σταθμίζεται. Veniam dato, qvi te DEO debere scis; hic lenitatem lenitate pensitat; Nazian. Sed præter hoc debitum malum aliud est, de qvo hoc loco Paulus, nempe qvatenus sumus DEI vasalli, servi, imò adoptivi liberi, & proinde huic clementi Domino patriqve liberaliter meritò inservire debemus. Gibeonitæ in magni beneficii loco habebant, qvod liceret saltem vivere, qvamvis multis duris servitiis addicerentur: Nos saltem jubemur patris nostri vestigiis insistere, ejusq; mandatum,

qvod

qvod jam leve est credentibus, Matth. 11, 30. 1. Joh. 5, 3. servare. Pudeat, qvi hoc debitum solvere recusant justissimum & levissimum. Vide milites, qvi suo Imperatori promiserunt obsequium. Aspice rusticos nostros, qvi pro admodum exiguis, qvæ ex agro percipiunt, commodis, per totam vitam debent & præstant servitutem: & nos omnipotenti Hero, à qvo omnia habemus, & longè excellentissimum præmium expectamus, tantillum debere & huic obedire nolumus?

III. Loc. Comm.

SEd an, cui nihil debemus renati, nisi bella & inimicitias, carni scil. subjiciemus nos cum magno dedecore & damno, imò exitio tandem æterno? Magna negligentia illorum Israëlitarum solet culpari, qvi cum poterant, ex beneficentia regis, servitute exire; tamen malebant in captivitate residere. Qvid de illis dicemus, qvi cum aliis Israëlitis in Ægyptum hujus mundi, unde sunt educti, redire properant? Sub duri patris imperio nolebant diutius vivere filiæ Laban, sed cum suo marito in terram sanctam abire gestiebant: & multi homines sub durissimi tyranni carnalis suæ pravitatis & concupiscentiæ malæ dominio manere desiderant, nec avent cum Christo in cœlum ascendere. Sed respice finem.

IV. Loc. Comm.

SI *secundùm carnem vixeritis, moriemini.* Qvinam verò? qvi cum Christo resurrexerant, & in qvibus Spiritus Sanctus habitabat, vers. 9. & 11. qvi sunt verè renati. Verè igitur renati possunt secundùm carnem vivere, & desinere esse filii DEI, imò, si pergant sine resipiscentiâ, æternùm mori. O dura vestræ falsæ opinionis verba, viri Calviniani! Vos negatis verè sanctos posse deficere, sed dicitis: Conditionalis est propositio. Ita certè, sed conditionis illius, qvæ facillimè potest poni, & sæpissimè expletur. Vultis exempla? dabo Davidem, qvi erat vir secundùm cor DEI, at non in negocio Uriæ & Bathsabæ, neqve in numeratione populi. Salomon erat renatus, at idololatriam exercuit; qvalis non manet apud DEUM in gratia, Matth. 6, 24. Adde Saulem, Petrum, Judam, Thomam, Hymenæum, Alexandrum, Ephesinum Episcopum. Hi omnes suo exemplo probarunt, potuisse fieri, imò factum esse, ut, qvi erant filii Dei, viventes se-

secundùm carnem fierent rejecti & inutiles servi, per suam inobedientiam. Ecce vobis aliam assertionem Apostoli, Col. 3, 5. 6. propter qvæ venit ira DEI, Confer vers. 7. 8. Vos autem non absimiles estis serpenti & Diabolo. Qvid ille? Gen. 3. dixit Evæ: Etiamsi transgredimini DEI mandatum, non tamen moriemini. Qvid vos credentibus? non, etsi contra conscientiam peccaveritis, moriemini. Serpens solo terrore DEUM esse comminatum dicit; vos: exhortationes & metus non eò tendunt, ut persvadeant, posse nos penitus cœlo excludi. Ille: eritis sicut Deus, scientes bonum & malum; Vos: eritis sicut Deus in hâc vitâ immutabiles. Qvid multis? Apostolus dicit: si secundum carnem vixeritis, futurum est, ut moriamini: Vos: non potestis verè renati mori. Simei contra edictum Salomonis Jerosolymâ exire poterat: sic homo à conspectu DEI exire, ejusqve excidere gratiâ; Nonne enim DEO serviunt renati? Servus autem potest rebellare contra DEUM, aut saltem ab eo deficere. Considera exemplum Adami, Judæ & aliorum. Manet enim illud DEI firmissimum decretum: Qvi talia faciunt, (vide v. 29. 30. 31.) digni sunt morte. Subsumite: Multi renati & sancti id faciunt, ut David homicidium & adulterium; qvid concludetis aliud, nisi hoc. Ergò David est dignus morte? Caveant igitur omnes renati hâc Apostoli admonitione excitati, ne juxta carnem vivant, & pòst nimis serò doleant se errasse jam damnati.

PARS POSTERIOR.

ISraëlitis hinc inde apud Mosen datur mandatum, ut gentes ex terrâ Canaan deleant, & additur promissum, si fecerint, fore ut tranqvillè vivant. Ipsi verò expellere, & interficere omnes negligebant, ideóq; ab illis, potissimum à Midianitis ad varia peccata provocati, & in ea delapsi hujus suæ negligentiæ pœnas luebant gravissimas. Eodem modo Apostolus omnes Christianos hortatur, postqvam sunt ex servitute infernalis Pharaonis per CHRISTUM liberati, ut pravas concupiscentias crucifigant, Gal. 5. & actiones pravas in animo obortas saltem enecent: qvod si fecerint, futurũ esse, ut tandẽ perpetuò vivant. Multis verò idem accidit, qvod Sauli, cui cùm erat severè edictum, ut Amalek prorsus deleret, & erga nullum uteretur clementiâ; is autem ex pravo qvodam affectu regem in vivis

vis relinqvebat, regno ipse propterea privabatur, 1. Samuel. 15. Sic si qvis carnem & Diabolum, qvi semper facessunt piis negotium, nolit occidere, tandem regno cœlorum privabitur, qvod poterat occupare, si eos occidisset. Audiamus ipsum Apostolũ: *Si verò Spiritu*, id est, Spiritûs Sancti gratiâ adjuti, qvi in vobis habitat, versu 9. *actiones corporis* mortalis ac peccato polluti, imò cogitationes & machinationes ad actiones occideritis, vivetis; si vestros hostes internos deviceritis, futurum est, ut vos vitæ æternæ coronam reportetis, 2. Tim. 4, 7. & 8. qvomodo ab utili Apostolus argumentatur. Qvis verò est adeò demens, qvi cupiat alterius, præsertim hostis, vitæ parcere, ut suam possit perdere? qvis non potius alteri eam eripiat, ut ipse suam retineat? Cùm autem hoc necessariò sequatur, ut qvi peccatum supprimit, & interficit, ipse perpetuò vivat: Hinc verò *qvotqvot Spiritu DEI aguntur*, illiusqve ductum, atqve auspicium sequuntur, impetumqve alacriter in hostes spirituales faciunt, suo Imperatori summo obsequentes, *illi sunt filii DEI:* &, si filii, etiam DEI hæredes & CHRISTI cohæredes, infra v. 17. & 18. sequitur eos, qvi DEI Spiritu aguntur, æternùm victuros, Matth. 22.

LOC. COMM. I.

IN omni bona actione tria sunt: Spiritus Sanctus, Verbum DEI, & voluntas humana. Ille incipiens & efficiens; istud præcipiens; hæc jam renata & adjuta, consentiens & consequens. Illa adsunt ut vivificantia, hæc ut vivificata; illa ut ducentia, hæc ut ducta. Spiritus Sanctus enim est qvasi noster Imperator ac ductor, verbum DEI ut gladius & arma, homo ut miles strenuus: qvæ tria si concurrant bona, qvis de victoria non benè sperabit? Ut Spiritus corpus nostrum, ita Spiritus Sanctus nos totos mortuos vivificat, & qvidem ut aliqvid agamus. Qvidnam verò? ut pugnemus contra Diabolum, mundum & carnem. Abraham suos vernas armat, illi sequuntur eum, licèt scirent, se ire contra magnas copias. Sic Gideonis milites. Unde verò ista audacia? Hic Spiritus fortitudinis, Es. 11. fuit ille, qvi & hunc & illum animavit, ac tam fortem reddidit. Idem igitur cùm nobis adsit, nil desperandũ tanto duce & auspice tanto. Qvicqvid deest, suppeditabit facilè, qvippe sapientiæ, consilii & potentiæ Spiritus. Aude igitur, audentes DEUS ipse juvat. Et hæc est consolatio, qvæ sumitur à nostri ducis potestate.

II. Loc.

II. Loc. Comm.

SEqvitur illa, qvæ fluit ex noſtrorum hoſtium imbecillitate, qvid enim occidendum? contra qvid belligerandum? Sunt actiones noſtri corporis ſeu carnis, (ut Lutherus rectè vertit hoc loco vocem σώμα) illæ autem ſunt in noſtrâ poteſtate; imò cum Chriſto jam crucifixæ & ſepultæ; ſicut cap. 6. pluribus eſt declaratum. Qvis verò non facilè crucifixo reſiſtat, ſi velimus in initio. Qvemadmodum David in pugnâ cum Goliatho, ſtatim cum proſtraverat, caput abſcindit, qvi aliàs ſi eſſet ſpacium longius conceſſum, ad ſe redire, acriusqve pugnam redintegrare poterat. Sic etiam actionibus carnis & concupiſcentiis pravis in baptiſmi flumine demerſis, ne demus ſpacium temporis, ut ſupernatent rurſus, & nos vincant. Qvod ſi multi mala non cogitarent, nec malis cogitationibus inhærerent, facilè actiones carnis occiderent, qvæ poſtea, cùm vires ſumsêre, negligentê luctatorẽ ſuperant, vel majori cum labore ſupprimuntur. Huic pertinet emphaſis verbi θανατῶτε, ſi mortificatis. Multi enim ſuos affectus reprimunt qvidem ad tempus, ſed qvaſi ſpem relinqvunt, fore ut meliori occaſione rem illam aggrediantur. Nec mirum eſt, ſi ſæpius tum illi oppugnent, qvi ſi fuiſſent prorſus interfecti in primô conflictu, non eſſent amplius moleſti. Ut igitur ſpem omnis vitæ ſtatim præcidamus, & actiones carnis prius occidamus, monemur. Surrepit avaritia? ſume DEI Verbum & transfige, 1. Tim. 6, 6. 7. 8. 9. inprimis 10. Sollicitat te libido? arripe Scripturæ gladium, transfode, 1. Cor. 6, 15. Gal. 6. v. 19. & 21. vexat te odiũ erga proximum? occide, Matth. 5, 22. 1. Joh. 3, 15. Sic in cæteris. Addi poſſunt exempla aliorum, qvi cum eas actiones non mortificaverunt, ipſi miſerè interierunt. Sic te veſtigia, credo, terrebunt. In Avaritiâ *Bileam*, 2. Petr. 2, 15. *Achan*, Joſ. 7. *Nabal*, 1. Sam. 25. *Achab*, 1. Reg. 21. *Dives*, Luc. 12. *Judas*, Matth. 26. In libidine Benjaminitæ, Jud. 20. *Zimri & Cosbi*, Num. 25. *Sodomitæ*, Gen. 19. *Filii Heli*, 1. Sam. 2. & 4. In odio *Saul*, *Pharao*, *Sennacherib*, *Holofernes*. Has igitur actiones carnis mortifica, qvi non vis, ut ab illis occidaris, ſicut in priori parte dictum. Contra ſi vis ipſe vivere, illis tuis pravis affectibus mortem infer. Iſraëlitæ ex κακοζηλία Moloch offerebant ſuos liberos: nos rectiùs in honorem ſummi Regis מֶלֶךְ רָב, Pſal. 48. 3. noſtros

stros affectus ex nobis natos, & non minùs charos nobis, qvàm sunt nobis filii, interficiamus.

III. Loc. Comm.

Lothi filiæ seqvebantur Angelorum ductum, atqve ita servabantur, reliqvis Sodomæis & suis sponsis pereuntibus. Pii, qvi Angeli, id est, ministri verbi ductum & per eum loqventem Spiritum Sanctum seqvuntur, salvantur. Si autem illi tantùm sunt filii Dei, qvi Spiritu Dei aguntur, hodiè certè erunt valdè pauci, qvia pleriq; non rectam rationem & consilium audiunt, nedum Spiritûs Sancti instinctum. Ille aliorum malis ducitur exemplis, ille pravis diabolicis suggestionibus, hic suis distortis affectibus & concupiscentiis, 2. Tim. 3. v. 6. verè pius autem cum Davide orat, Psal. 143. *Doce me facere placitum tuum, qvia es DEUS meus, & tuô Spiritu bonô duc me per viam planam.*

Duc me, nec sine me per me, DEUS optime, duci,
Nam duce me pereo, te Duce salvus ero.

Psal. 119, 176. Deut. 1, 31. Hic Spiritus nos ducit per omnem veritatem, Johan. 16. ducit per modum mirum, Psal. 4. ducit nos ut puerulos manu sustentando, Rom. 8, 26. συναντιλαμβάνεται, unà cum Christo, qvi nos unâ manu tenet, Luc. 1, 54. Spiritus nos ab alterâ parte erigit: unde etiam uterqve Paracletus dicitur, 1. Joh. 2, 1. Joh. 16, 7. ducit nos, rectum præcipiendo, Matth. 10, 20. Gal. 5. 17. Israëlitæ, qvando ductum Gideonis, & deinde Jephthæ observabant, vincebant. Nos etiam omnium hostium nostrorum victores evademus, si ad Spiritûs Sancti cœleusma attendemus. Qvando verò in textu Græcô est ἄγονται, (confer Luc. 4, 1. Galat. 5, 18.) ad ducis & pastoris munus alludi non est dubium. Confer Psal. 23. Ezech. 34. Joh. 10. &c. Nos verò libenter ita Spiritûs Sancti ductu hâc in vitâ agamur, ne post eam, ut servi refractarii ex ædibus paternis excludamur. Ita fiat Jehovah! Amen.

DOMINICA IX. POST TRINITATIS.

1. Corinth. 10. vers. 13.

Πειρασμὸς ὑμᾶς οὐκ εἴληφεν, εἰ μὴ ἀνθρώπινος.

Πιστὸς δὲ ὁ Θεὸς, ὃς οὐκ ἐάσει ὑμᾶς πειρασθῆναι, ὑπὲρ ὃ δύνασθε· ἀλλὰ ποιήσει σὺν τῷ πειρασμῷ καὶ τὴν ἔκβασιν, τοῦ δύνασθαι ὑμᾶς ὑπενεγκεῖν.

TEntatio vos non cepit, nisi humana. Sed fidelis est DEUS, qvi non sinet vos tentari supra id, qvod potestis: imò faciet unà cum tentatione eventum, qvò possitis sufferre.

JUdicum capite 6. v. 1. cùm Israëlitæ facerent, qvod malum erat in oculis JEHOVÆ, tradidit eos Dominus in manum Midianitarum: post Angelus JEHOVÆ, imò JEHOVAH ipse, v. 14. 16. 23. venit ad Gideonem, qvi erat filius Joas Abihezeritæ, & dicit, futurum, ut ipse percutiat Midianitas: qvod & eventus comprobavit, postqvam ipse in virtute DEI & signis confirmatus ad pugnam processit. Hanc historiam, qvæ etiam propter nos scripta, Roman. 15, 4. possumus ad nos optimè accommodare, qvia eadem fabula agitur, mutatis personis. Ut enim non dicam, qvod, cùm Adam faciebat malum in oculis DEI, nos omnes simus in & cum ipsô in manum traditi Midianitarum, id est, damnatorum Diabolorum, sub eorum potestate mansuri, nisi per Josuam verum, imò Gideonem (si nomen interpreteris) amputatum, sive excisum pro nobis, & in circumcisione Luc. 2. & in morte ex terrâ viventium, Esa. 53, 11. qvi verè est Joas, hoc est, ignis Jehovæ, Ephes. 5, 2. filius Abihezeritæ, hoc est, patris auxiliantis; patris illius filius, ex qvô omne auxilium: Nisi, inqvam, per illum liberati & redemti essemus. Id satis benè huc qvadrat, qvòd, qvando Israëlitæ, id est, pii & renati, post Baptismum denuò faciunt, qvod malum in oculis Jehovæ, tradantur in manum Midianitarum, seu Diabolorum, qvi eos affligant, (ita enim Dominum desertum homines deserere, ac Satanæ tradere & peccata punire Rom. 1. tota Scriptura clamitat) neqve suis viribus se inde liberare qveunt, neqve inde ab aliô, qvàm Gideonis antitypô Christô ipsô redimi, cui oportet eos jam redemptos evadere similes, ut fratres, si velint terram promissam occupare, ut scilicet & ipsi concupiscentiam amputent, mala cogita-

ta

ta præscindant, & contra carnem spiritu pugnent, Rom.8. Gal.5. Ita & ipsi erunt filii DEI, qvi clament ad DEUM Patrem Abba, Galat. 4. dicentes אֲבִי דָעֶזְרִי Pater mei auxilii, & Gideonem suum etiam in parvô grege, Luc. 12, 32. (trecentos enim ille duxit contra diffusos in convalle, tanqvam locustas, hoc est, innumeros, cap.7,12.) seqvantur, tenentes buccinas, & in hydriis faces, id est, verbi divini prædicationem, qvod est velut buccina, lux ac fax, in caliginoso loco lucens, Esai.54. & segregent se ab istis, qvi in convalle, id est, terræ terrenisq; affixi, velut vagæ locustæ, nescientes, ubi pedem figant; ita futurum, ut signis DEI in Sacramentis confirmati mirabilem ope DEI reportent victoriam. Id verò, qvia sæpè excidit in mundo, in qvo semper pugnandum, tàm in secundâ, qvàm adversâ fortunâ, semper sit illud in memoriâ Apostoli divinum κέλευσμα, qvô securos nos reddit de victoriâ: *Fidelis DEUS &c.* Qvia enim non est homo, qvi non sit passus vel passurus acerba, Omnibus hoc scitu est necessarium. Partes dicti sunt duæ:

I. Tentationis gravitas.

II. Consolationis svavitas.

PRIMA PARS.

TEntatio in sacris literis ratione causæ efficientis est qvadruplex, qvæ tamen ratione objectorum, finis, mediorum, & circumstantiarum, longè diversa. Vel enim ab internô, vel externô principiô provenit. Ab internô qvidem, cùm homo à suâ carne & pravâ concupiscentiâ tentatur, Jacob. 1, 14. unde caro semper concupiscit adversus spiritum, Gal.5,17. Ab externô verò, vel supra se à DEO, non ad malum, Jacob. 1,13. sed ad bonum: qvando explorat hominum fidem, seu reliqvas virtutes, ut prodant, qvales ipsi sint. Ut Abrahamum, Genes.22,1. Mosen, Exod.15,25. populum Israëliticum, Exod. 16. v.4. Deut.8,2. & 16. & cap.13,3. Philippum, Johan.6,6. Beatus vir, qvi suffert hanc tentationem, qvôcunqve modô fiat, Jacob.1,2.3.12. Nam variis modis DEUS suos tentat; vel circa se à mundô immundô ad varia scelera invitantur; ad ebrietatem, ad luxuriam, ad libidinem: vel infra se à Diabolo, qvi propterea tentator dicitur, Matth. 4,3. qvi tentavit Christum, itidem Ananiam, Act.5. & alios semper tentat, 1.Cor.7,5. 1.Thess.3,5. Apoc.3,10. Vide Chemnit. vel potiùs Lys. cap.76.

Harm. pag. 242. 243. 244. Hîc autem ea tantùm intelligitur tentatio, qvæ à carne & mundo immediatè ad malum provocat, ut ex versibus & exemplis præcedentibus liqvet. Qvanta autem hæc? Cùm multis videatur nimis dura, respondit Apostolus: *Vos nondum cepit*, ἔλαβεν, comprehendit, angustavit, constrinxit, *nisi humana tentatio*, qvæ & ab hominibus tantùm & in homines cadit, à vestrâ carne, & aliis malis hominibus exemplo estis tentati, (qvibus Diabolus tamen sæpè utitur.) Nondum verò immediatè à Diabolo, qvæ tentatio tantò gravior ac periculosior, qvantò ille ad seducendum astutior & magis versutus. Nondum igitur nimis magna est tentatio hæc, qvam hactenus sustinuistis.

LOC. COMM. I.

DIscimus, non posse fieri, ut homo Christianus sit sine tentatione, Tob. 12. Syr. 2. in init. Ut enim, qvi hostem habet, semper metuit, siqvidem hic nullum intermittit tempus, qvin struat insidias, sic & renatus in Baptismo, postqvam Diabolo & mundo renunciavit, & sub CHRISTI vexillum se contulit, nunqvam tutus est.

II. LOC. COMM.

TEntationes possunt pios premere, sed non opprimere, si ipsi modò vigilent.

III. LOC. COMM.

HOmo homini Diabolus, imò qvisqve sibi ipsi ob carnis reliqvias, unde CHRISTUS Petrum carnaliter sapientem vocat Satanam, Matth. 16, 23. Chrysost. Homil. Qvod nemo lædatur, nisi à seipsô.

IV. LOC. COMM.

Ἔλεγχος: si homo à seipso potest tentari, non est perfectus.

V. LOC. COMM.

Νάρθησία: si possumus tentari, ne simus nimis securi.

SECUNDA PARS.

NE qvis verò dicat; licèt nos qvotidiè oremus: *Ne nos inducas in tentationem*; & qvidem Diaboli; tamen qvis novit, qvamdiu DEUS ab istâ nos sit præservaturus? Qvid itaq; tum nobis miseris futurum est? Præoccupat Apostolus, opponens huic dubitationi 1. DEI in promissis fidelitatem. 2. Ejusdem in Diabolum potestatem. 3. Nostram in DEO firmitatem; 4. Et eventûs bonitatem.

MEM-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730469042/phys_0248
DFG

MEMBRUM PRIMUM.

DEUS enim, qvi mentiri neqvit, Hebr. 6, 18. & cap. 10, 23. promisit, se nobis in tribulatione adfuturum, Psalm. 91. paternumq; animum gesturum, Prov. 3, 11. 12. Hebr. 12, 5. Job. 5, 18. 19. & fidelis est, Deut. 7, 9. & cap. 32, 4. abnegare seipsum neqvit, 2. Tim. 2, 13. est noster Pater, Proverb. 3, 11. & 12. Ut igitur pater optimè novit filii vires; ita DEUS nostras. Nos sumus ejus ager, 1. Cor. 3. Ergò ipse sciet more prudentis agricolæ nobiscum agere; qvam elegantissimam similitudinem prolixiùs tractatam vide Esa. 28, 24. 27. & 28. & huc referendum exemplum prudentis Ducis, qvi militum suorum habet delectum, iisq; pro ratione fortitudinis locum attribuit. Nonnè verò id faceret DOMINUS Zebaoth Jehova? omninò, qvia fidelis est, qvi suos milites tandem ornabit præmiis, & non nimis onerabit præliis.

LOC. COMM. I.

SI DEUS fidelis, castigabit suos modicè, ut pater, non nimis crudeliter ut carnifex, aut tyrannus, Jerem. 10, 23. & cap. 30, 15. Et si talis, maximè illi confidendum. Ipse enim in medio inimicorum suorum dominatur, & tàm potens est, ut nemo nos possit ex ejus manu rapere, Joh. 10. ne qvidem ipsi Diaboli, Rom. 8. propterea describitur ut murus igneus, Zach. 2, 8. arx, propugnaculum, petra, Psal. 18. fluvius, Esa. 33, 21. & seqq. receptus, robur, auxilium, Psal. 46, 2. & seqq. Proinde meritò dicamus cũ Davide: *Dominus hic mecum, qvid faciet mihi caro?* Psal. 118. *Anima mea qviescit in DEO*, Psal. 62, 2. & Psal. 124. v. 1. & seqq. Psal. 73, 25. Ipse enim semper nos conservaturum se promisit, Esa. 43, 1.

II. LOC. COMM.

SI DEUS fidelis est in promissionibus, & in minis erit verax. Proinde eum time, ne alia timere necesse habeas. Hoc præstat nobis DEI timor, ut contemnamus omnes alios timores. Hic Diabolum, iste homines, ille morbos, iste alia mala metuit: at nullum nocebit, si non vult DEUS, Rom. 8, 28, 35, 38. Ei igitur confide, eum time, hæc est summa rei, Eccles. 12, 13. 14.

III. LOC. COMM.

SI DEUS est fidelis Pater, nos simus ejus morigeri filii, Malach. 1, 6. Si hortulanus est agricola, feramus fructum, Luc. 13. Joh. 15. Si

est Dux, sub eo militemus strenuè, & non cum multis nos mergamus rebus terrenis, sicut expuncti decuriones in exercitu Gideonis. Aliàs qvi ex infirmitate ad tempus subsistunt, divident tamen cum aliis fortioribus tandem spolia erepta Amalekitis, id est, Diabolis & malis omnibus, qvi piis exhibuére anteà molestiam, 1. Sam. 30, 31. & seqq.

MEMBRUM SECUNDUM.

EST DEI in Diabolum potestas: Ille enim non sinet nos à Diabolô tentari pro hujus libidine & arbitriô, supra id, qvod possumus perferre. Ecce Diabolus nil potest, nisi DEUS ipsi permittat. Jobi bonis & liberis cupit nocere, sed non potest, nisi permittente Jehovâ, Job. 1. Imò non potest Achabum improbum decipere, nisi DEO sinente, 1. Reg. 22. Sic nec in porcos potest intrare, nisi permissu Domini hujus, qvi conatus ejus sæpè mirabiliter impedit, Apocal. 12, 13. Id igitur potest tantùm, qvod DEUS permittit, à qvo priùs rogat potestatem. Et proinde est velut canis catenâ ligatus, Jud. v. 6. ut hic non potest nocere, nisi ei, qvi nimis propè accessit, aut illi, qvem Dominus ipsi objicit: sic neqve Diabolus. DEUS autem neminem objicit, nisi qvi suâ sponte accurrit.

LOC. COMM. I.

EST Diaboli qvidem vis magna in malis: unde confertur cum Leone rugiente, 1. Petr. 5. & Princeps mundi vocatur, Joh. 12, 31. c. 14, 30. cap. 16, 11. Ephes. 2, 2. 2. Tim. 2, 26. 1. Joh. 4, 4. Hebr. 2, 14. imò Deus hujus seculi, 2. Cor. 4, 4. Piis autem nocere non potest, Joh. 16, 33. qvia à CHRISTO illa imperia sunt exspoliata, Col. 2, 15. fortis armatus devictus, Luc. 11. ejectus, Joh. 12, 31. Apoc. 12, 7. 8. 9. caput ejus est contritum, Gen. 3, 15. Et qvemadmodum filiis nemo potest nocere in ædibus: sic multò magis neqve piis, dum manent in domô DEI, Ecclesiâ: qvia in mundô ille dominium suum exercet.

II. LOC. COMM.

SI DEUS sinit propter certas causas suos tentari: intelligimus DEUM non esse otiosum spectatorem rerum malarum; sed sapientissimum earundem gubernatorem.

III. LOC. COMM.

SI non supra id, qvod possumus, tentamur, DEUS novit nostras vires,

res; & qvomodo non nosset, qvum ipse eas det, ac conservet? Non igitur nostrum est, DEO præfigere metas in malis: ipse non ulteriùs sinet tentari, qvàm possimus sustinere. Nos sumus DEI vasa in Scripturæ nomenclaturâ. Non igitur majora onera imponet, qvàm qvæ ferre valeamus. Novit autem nos esse vasa terrea, Psal. 103. 2. Cor. 5. Non igitur nimis onerabit.

LOC. COMM. IV.

SI DEUS permittit Diabolo, ut patret hoc aut illud, vel per se, vel per malos ob antecedentia peccata, qvid homines murmurant contra DEUM? Thren. 3, 39. aut qvid ad homines malos tantùm respiciunt? Nil possunt, nisi Domino permittente. Hunc igitur placato primum. Vid. exemplum Davidis 2. Samuel. 16, 10. Confer Thren. 3, 37. Amos 3, 6.

MEMBRUM TERTIUM.

NObis in CHRISTO ea obtingit firmitas, ut in eo possimus omnia, Phil. 4, 13. & proinde etiam in ipsô & per ipsum, qvi vicit Diabolum, Matth. 4. Col. 2. Hebr. 2. & nobis donat suam victoriam, 1. Corinth. 15. Diabolum vincere, Ephes. 6. ac CHRISTI virtute conterere, possumus, Rom. 16, 20. De eâ sic loqvitur Apostolus: *ut possitis*, τῶ δύνασθαι, ut habeatis δύναμιν, potentiam ac robur, qvi in vobis estis infirmi, ut possitis ὑπενεγκεῖν sufferre, sub pondere durare, 1. Pet. 2, 19. stare, Ephes. 6. nec vos turpiter abjectô fidei scutô subducere, Heb. 10. sed ὑπομένειν, Jacob. 1, 12. & sic usqve ad finem vitæ fideles esse, Apocal. 2, 10. ut DEUS Dux vester fidelis est. Si qvis enim cum CHRISTO vult dominari, oportet eum priùs cum eodem pati & crucifigi, Roman. 8, 17. 1. Petr. 4, 13.

Nullæ etenim duro veniunt sine Marte coronæ.

LOC. COMM. I.

SI qvis miles nôsset, se certò victurum, qvantâ cum audaciâ hostem adoriretur! qvod si is spe ambiguâ rem aggreditur, nos autem certissima: qvantò major à nobis reqviritur confidentia? cùm & præmium nostrum longè sit majus, 1. Corinth. 9, 25. 1. Petr. 1, 4. & 6. Tali animô Moses suos Judæos solabatur, Exod. 14. cum tantâ animi magnitudine David Goliathum adoriebatur, ac victoriam reportabat, 1. Sam. 17. Cur verò ita facilè hujus sui Ducis sarcinas ferunt Christia-

ſtiani? Reſpondet Eſaias cap. 9. qvia ipſius imperium eſt ſuper humeros ſuos, & ipſe præeundo graviorem crucis partem portat, Luc. 23, 26.

II. LOC. COMM.

IN nobis infirmi, in CHRISTO firmi ſumus. Ideóq; de nobis dum planè deſperamus, ſpes noſtra omnis in eô ſita eſt. Ipſe manu porrectâ labantes nos erigit, Luc. 1, 54. & cùm in pugnâ ſumus delaſſati, mel ſui verbi nobis dat ille Jehonathan, ut oculi noſtri recreentur, 1. Sam. 14, 28. Confer Pſal. 19, 11. & Pſal. 119, 103. Cant. 4, 11.

MEMBRUM QVARTUM.

TAndem hîc nos animabit eventus bonitas, *DEUS* ille fidelis *faciet cum illâ* qvâcunqve 1. Petr. 1, 6. humanâ, aut etiam Diabolicâ *tentatione evaſionem*, ἔκβασιν: rationem oſtendet, qvâ poſſimus ſalvi & illæſi evadere.

Omnia tunc bona ſunt, clauſula qvando bona eſt.

Hactenus fuére undiqve obſtacula: neſciebamus, qvò nos verteremus, 2. Chron. 20. Tandem verò CHRISTUS faciet, ut remota ſint omnia, & verè liberi ſimus, Joh. 8. & cùm hactenus qvaſi obſtricti ſimus in carcere, tandem erit ἔκβασις.

LOC. COMM. I.

TEntationem ut malum DEUS permittit: ſed evaſionem ut ſummum bonum, ipſe facit. Ita valdè emphaticè hîc opponuntur ἐάσει, ποιήσει, εἴληφεν, ἔκβασις. Confer Pſalm. 124, 1. 2. 7. & ſemper ſit illud ſolatium, qvi dedit Diabolo tentandi licentiam, dabit homini tentato miſericordiam. Vid. Job. c. 1, 2. & cap. 40.

II. LOC. COMM.

Ἔκβασις hæc erit plenariè in mundi fine, reſpectu Eccleſiæ. Hactenus Eccleſia Sponſa ſæpè ſuum Sponſum non videt, eumq; amiſſum qværit Cant. 5, 7. tandem ipſe eam ad ſe transferet. DEUS, qvemadmodum olim, qvod diu promiſerat, & cùm ſatis diu Pharaoni permiſerat, ut Iſraëlitas affligeret, demum eos educebat ex Ægypto in terram ſanctam: Sic pios ad ſe in cœlum transferet, ſi Ducem ſuum CHRISTUM JESUM ſeqvuti fuerint, Hebr. 12, 2.

cui ſit gloria in ſeculorum
ſecula.

DOMI-

DOMINICA X. POST TRINITATIS.

1. Corinth. 12. vers. 2. 3.

Οἴδατε ὅτι ἔθνη ἦτε, πρὸς τὰ εἴδωλα τὰ ἄφωνα, ὡς ἂν ἤγεσθε ἀπαγόμενοι. διὸ γνωρίζω ὑμῖν, ὅτι οὐδεὶς ἐν πνεύματι Θεοῦ λαλῶν, λέγει ἀνάθεμα Ἰησοῦν. Καὶ οὐδεὶς δύναται εἰπεῖν Κύριον Ἰησοῦν, εἰ μὴ ἐν πνεύματι ἁγίῳ.

SCitis, qvòd gentes fuistis, & ad simulacra muta utcunqve ducebamini seqventes. Qvapropter notum vobis facio, qvòd nullus per Spiritum DEI loqvens, dicit anathema JESUM. Et nemo potest dicere DOMINUM JESUM, nisi per Spiritum Sanctum.

JUdic. 14. v. 13. Simson suis sodalibus & nuptialibus proponit ænigma cum illâ conditione, si explicent, fore ut vestes pretiosas reportent. Erat autem hoc: *Ex edente prodiit edulium, ex acri dulce.* Hi suô marte non potuerunt, sed per ejus sponsam aut novam nuptam expiscantur, ac promissum reportant præmium. Sic שמשון seu שֶׁמֶשׁ צֶדֶק Sol Justitiæ CHRISTUS, Mal. 3, 20. suis sodalibus ac fratribus, Hebr. 2. Johan. 20. Psal. 22. imò nuptialibus, qvos ad nuptias suas Filii summi Regis vocaverat, Matth. 22. proponit ænigma, seu Scripturam sacram, qvæ ita potest dici, non tantùm, qvia in illâ multa abstrusa veluti ænigmata, Num. 12, 8. Psal. 49. Prov. 1. ac parabolæ plurimæ Matth. 13, 20, 21, 22, capitibus habentur; sed etiam, qvia in illâ DEI faciem, velut in ænigmate, videmus in hâc militante Ecclesiâ, 1. Cor. 13. 1. Joh. 3. Hoc ænigma qvi solvit, & rectè intelligit, hoc est, ex eâ fidem, qvæ est notitia, assensus & fiducia, concipit, vestes pretiosissimas, seu CHRISTI justitiam per illam notitiam reportat. Conf.

Esa.53,11. Luc.1,77. Joh.17,3. Col.1,9.& 10. Genes.3,21.Esa.61,10.Matth. 22,11. Typus est Zach.3,1.2. & 3. est autem hoc ænigma potissimùm: Mors morte devicta, Hos.13.1.Cor.15. dum Agnus leonem superat,Johan.1.1.Petr.5. & raptori erepta sunt sua spolia, Col.2. Homines non possunt suo marte suis liberi arbitrii viribus, cùm ignorantia & cœcitas post lapsum sit in mente, explicare aut nôsse, 1. Cor. 2,14. Ephes. 4,18. adeunt itaqve ejus Sponsam seu Ecclesiam in Cant. Cantic. Psal. 45. Ephes.5. & ex eâ inqvirunt, qvid sibi velit ænigma, & hôc modô Scripturæ sensum inde reportant, dum ipsa, qvæ à CHRISTO dicta sunt, explicat, atqve ita illi nuptiales vestibus promissis donantur ac justificantur. Qvod hactenus vidimus in comparatione, id Apostolus breviter declarat in hoc dicto: *Nemo potest JESUM dicere DOMINUM, nisi per Spiritum Sanctum*, qvi, ut in tertio Articulo docetur, in Ecclesiâ opus sanctificationis per verbum prædicatum peragit. Agnoscamus itaqve hîc humanam cœcitatem & divinam bonitatem. Dicti partes esse possunt duæ:

I. Christiani hominis ministerium.
II. Divini flaminis magisterium.

PRIMA PARS.

IN priori parte est *cœcitatis humanæ in spiritualibus exaggeratio.* Membra sunt tria: *1. Subjecti universalitas. 2. Summa infirmitas. 3. Objecti magna dignitas.* Ut enim Apostolus à contentione & superbiâ, qvâ ob dona sibi collata per prædicationem Evangelii turgebant, Corinthios avocet, docet, qvòd nihil horum sibi, sed omne DEO meritò acceptum referant. Confer suprà cap.4.v.6.7. Erant enim ante conversionem gentes miserè errantes, v.2. nunc autem conversi cavere debent scandala, qvibus nomen DEI inter gentes potest blasphemari, 2.Sam.12.siqvidē nemo, qvi Spiritu DEI verè actus loqvitur, potest JESUM suū dicere anathema: non potest enim vel perversâ doctrinâ, seu hæresi per Diabolum aut alios malos seductus execrari, vel malâ vitâ de gloriâ Salvatoris sui detrahere, qvod fit, si ipse, qvi prius ejus membrum esse vult, tàm inordinatè vivat. Contrà verò, cùm omnia à CHRISTO habeant, decet, ut omnia ad ejus gloriam referant, suprà cap.10.v.31. Qvòd verò omnis omnia ex ejus unius & solius Spiritu ac gratiâ habeat; ita probatur: *Nemo, θεὸς*, ne unus qvidem homo

aut

aut Ecclesiæ membrum, qvantumvis sapere sibi videatur, *potest* ex se *dicere*, agnoscere & confiteri *JESUM DEI Filium*, mundiq; Salvatorem, non tantùm cœli & terræ, sed & suum *DOMINUM*, qvoniam ea humanæ mentis cœcitas est, ut ne qvidem sciat, qvid sit, tantum abest, ut nôrit, eum esse Jesum aut Dominum: qvod tamen omnis Christianismi fundamentum unicum. Nomen Κύριος est emphaticum, & cùm de DEO usurpatur, notat eundem, qvem Jehovah vel Adonai verum DEUM in V. Test. cùm sit κῦρος authoritas summa solidumq; firmamentum, & hoc nomen Scriptura Christo sæpè tribuit, 1. Corinth. 5, 6. non tantùm qvia est אֶרֶץ seu basis rerum omnium: siqvidem in eô subsistere dicunt omnia, Col. 1, 17. verùm etiam, qvia genus humanum suâ morte acqvisivit, & proinde est ejus Dominus; porrò etiam, qvia juxta humanam naturam factus est omnium rerum DOMINUS, Actor. 2.

Loc. Comm. I.

EX occasione sæpiùs cogitandum undè, & qvales fuerimus, ut ita ad cognitionem nostri perveniamus. Qvid sis, qvid fueris, qvid eris, semper mediteris. Et ut tantùm de præteritis dicamus, brevissimè in memoriam revocemus nobis nativitatem nostram contaminatam, & vitam inqvinatam, Ezech. 16. qvæ elucet, si ad lucidissimum divinæ Legis speculum accedamus, Jacob. 1, 12. 2. Cor. 3. & si videmus maculas, qvis dabit, qvâ abluamus, aqvam salutarem? Naëman septies se lavans in Jordane mundatur, nos in Baptismo, ubi est יְאֹר fluvius judicii, qvia in eo peccata nostra cum nostris hostibus non secus ac Pharao cum suis in rubrô mari demerguntur. Sed de multis baptizatis meritò usurpes illud Deuter. 32. v. 6. *An estis Jehovæ? Populo stulte & insipiens! nonne ipse est Pater tuus, Redemptor tuus?* Pleriqve enim dicunt Christum Dominum, per qvem sanctificati sunt, & tamen anathema sunt vel ignoratione, vel pravâ doctrinâ, vel malâ vitâ: non absimilis ficui, cui ipse maledixit, Matth. 21. Foliis enim se ostentant exterius, fructus non habent.

II Loc. Comm.

SI nemo hominum spiritualia ex se novit, facilè videmus, qvæ sint liberi arbitrii post lapsum vires, videlicet nullæ, & qvi peccato originis sint infecti, nempe omnes omninò homines, etiam in optimâ sui

sui parte, mente scilicet: qvæ omnia negant Pontificii; qvibus ut tantò rectiùs in principiò occurratur, notandum, qvòd homo triplici-ter consideretur, ut animal vivens, ut homo politicus, ut filius DEI: & sic etiam triplicia edat opera, naturalia, ut edere, bibere: politica, regere familiam, ducere uxorem; religiosa ac pietatis, tàm externa, qvàm interna. Præter hæc ultima homo in omnibus reliqvis, licèt non omninò perfectum, habet tamen aliqvod liberum arbitrium: in his verò planè nullum, imò non majus, qvàm homo mortuus, Ephes. 2.v.1. Ut enim hic non potest se ullo modo movere, ita nec iste in spiritualibus. Imò cùm à DEO offeruntur talia bona in verbo & Sacramentis, ne qvidem ex se δέχεσθαι, 1. Cor.2,14. sed oportet eum priùs à DEO inflecti per media. Et hinc nemo excipiendus omninò: qvia omnes in Adamo peccaverunt, Rom.5. In Sodomâ qvidem solus Lotus cum suis justus reperiebatur, Genes. 19. sed in terris ne unus qvidem, qvi non sit peccato pollutus, Psal. 14. Rom. 3.

III. LOC. COMM.

IN Josaphato inveniebantur qvædam res bonæ, 2.Chron.19,3. in homine prorsus nihil boni, Rom.3. Nam φρόνημα τῆς σαρκὸς, qvod sapit caro, est inimicitia adversus DEUM. Legi DEI se non subjicit, sed ne qvidem potest, Rom.8,6.7. puta ex se ac suis viribus; DEI tamen virtute erecta potest se Legi DEI subjicere, licèt servare perfectè eam neqveat. Et qvemadmodum Samaritæ habitantes etiam in terrâ sanctâ, & cultus divinos rectè edocti, naturâ tamen suâ ad gentilismum sæpiùs inclinabant: ita etiam homines, qvi servant suam naturam corruptam in hac vita magnâ ex parte, etsi à DEO in Ecclesiæ gremium cooptentur, & qvid justum sit, noverint, tamen ad peccandum semper sunt proni. Ut enim Æthiops non potest mutare cutem suam, nec Pardus maculas: ita non potest benè facere homo edoctus malè facere, Jerem.13,13. Sir.17,14.

IV. LOC. COMM.

SI nemo ex se potest JESUM verè dicere suum DOMINUM: discimus verisimum esse, qvod confitemur, ex nostris viribus fieri non posse, ut CHRISTUM agnoscamus aut colamus. Ratio: qvia mens est cœca, & voluntas aversa ab hoc DOMINO per lapsum primorum paren-

rentum. Illi enim, cùm volebant esse Dii, DEO subesse, eiq; obedire, aut DOMINUM suum ampliùs agnoscere nolebant.

V. LOC. COMM.

OMnia peccata inde propullulant, qvòd homines CHRISTUM non agnoscunt suum DOMINUM, qvi creavit, qvi redemit, qvi sustentat, qvi beat. Hinc securitas, hinc desperatio. Contrà omnis fons & origo est virtutis Christianæ, agnoscere, CHRISTUM esse suum DOMINUM. Tum enim eum timemus, Malach.1,6. eum amamus, Psal.116. v.1. & Psal.18,2. ei obedimus, Luc.1,74.75. Sed multis accidit idem, qvod Israëlitis, qvi anteqvam scirent, qvantam salutem per Saulem ipsis erat DEUS daturus, nolebant eum Regem ac Dominum suum agnoscere, qvod tamen posteà libenter faciebant, 1.Sam.10,27. & cap. 11,12. & 13. Ita homines multi nesciunt, qvantum beatitudinis hic Salvator afferat, & proinde qvia ignoti nulla cupido, cum Sponsâ ad hunc Sponsum non suspirant ex Cant. Cantic. cap.1,7. & 3,1.4.

VI. LOC. COMM.

JESUS est Κύριος, proinde non sit tuus Dominus Diabolus, non mundus, non tui affectus: qvia nemo potest duobus Dominis contrariis simul servire, Matth. 6.

SECUNDA PARS.

QVid homo ex se possit, jam scimus, nempe omninò nihil: potest tamen aliqvid jam renatus, idq; ex Spiritu Sancto. *Nemo potest JESUM suum dicere DOMINUM, nisi in*, id est, *per* (Hebraismo noto) *Spiritum Sanctum, qvi est in Christo, & divina solus novit*, 1. Cor.2,12. & CHRISTUM glorificat, Joh.cap.6,14. cumq; sit Spiritus gratiæ, Zachar. 12, 10. nos gratos, imò DEI filios reddit: unde Spiritus adoptionis vocatur, Rom. 8,15.

LOC. COMM. I.

EXclusiva εἰ μὴ, *Nisi*, in spiritualibus homini omnia derogat, & Spiritui Sancto soli arrogat. Ut enim Spiritus Sanctus omnia vivificabat in creatione, Genes.1,2. ita etiam in recreatione, Psal.51. Johan.3,5. Tit.3,15. Hinc confertur aqvis mundis, & vivificantibus, Ezechiel.47,8. qvibus arida nostra corda recreantur: qvò potest accommodari typus Ezech. cap.37.

II. Loc. Comm.

SI Spiritus Sanctus nos docet CHRISTUM agnoscere & vocare DOMINUM: Ipse est Persona per se subsistens: qvod est contra Photinianos. Et hoc non impedit particula ἐν, seu *per*, qvæ sæpè causam efficientem principalem, non instrumentalem notat, Act.17,28. *In ipsô sumus, vivimus & movemur.* Sic in Psalm.18,30. *In DEO transiliam murum,* & Psal.60,14. *In DEO pugnemus strenuè.* Marc.19,29. *Hoc genus Dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione & jejunio,* & ad Phil.4,13. *omnia possum in eô, qvi me confortat.*

III. Loc. Comm.

SI per Spiritum Sanctum CHRISTUM possumus dicere nostrum DOMINUM, & ipsum qvotidiè rogemus nobis dari cum Davide Psal. 5. & 25. & 143. Errat enim, qvisqvis est sine illo viæ Duce, Johan. 16,13. moritur, qvi est sine illâ aqvâ vitæ, Joh.4,10. ex regnô gratiæ & gloriæ excluditur, cui hic janitor non aperit, Joh.10,3. nec ejus operationi in nobis resistamus, Act.7. ne consilium DEI de nobis salvandis reddamus irritum, Luc.7. Ipse enim daturus est Spiritum Sanctum omnibus petentibus, & media ordinaria usurpantibus, Luc. 11. Act. 2. & 8. & 10. qvia DEUS Actor.17,30.31. fidem præbet, Græcè πίστιν, omnibus offert, excitat, qvi modò volunt non repugnare. Qvisqve igitur videat, ut dicat ita per Spiritum Sanctum CHRISTUM DOMINUM, ut ille vicissim eum olim agnoscat suum fidelem servum, ac dicat: *Euge serve bone, intra in gaudium tui DOMINI,* Matth.25.

DOMINICA XI. POST TRINITATIS.

1. Corinth. 15. vers. 10.

Χάριτι δὲ Θεοῦ εἰμὶ, ὅ εἰμὶ. Καὶ ἡ χάρις αὐτοῦ ἡ εἰς ἐμὲ οὐ κενὴ ἐγενήθη, ἀλλὰ περισσότερον αὐτῶν πάντων ἐκοπίασα, οὐκ ἐγὼ δὲ, ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ, ἡ σὺν ἐμοί.

SEd gratiâ DEI, sum id, qvod sum. Et gratia ejus, qvæ

qvæ profecta est in me, non fuit inanis, sed copiosiùs qvàm illi omnes laboravi, non ego tamen, sed gratia DEI, qvæ mihi adest.

2. SAmuel. 9. v. 1. David Rex qværit, num sit de familiâ Saulis, erga qvem exerceat benignitatem propter Jonathan: invenitur Mephiboseth: hunc, licèt esset claudus, Rex adhibet suæ mensæ, estq; ut filius Regis. Potest hæc historia ad nos accommodari. DEUS enim Rex Regum 1. Tim. 6. ex merâ misericordiâ qværit eos salvare, qvi sunt de familiâ Saulis Regis, erga DEUM suum maximè inobedientis, 1. Sam. 15. hoc est, de Adami posteris, qvi regno sibi in omnia animalia, imò mundana concesso, Genes. 1, 26. turpiter suâ rebellione excidit, Gen. 3. seq; suosq; posteros omnes tantâ dignitate privavit, Roman. 5. DEUS autem facit istis benignitatem propter יְהוֹנָתָן Jehonathanem, hoc est, CHRISTUM à JEHOVA toti mundo datum, Joh. 3, 16. & illi omnes suo merito sunt מְפִיבֹשֶׁת ora confusionis & ignominiæ, qvi carent gloriâ DEI, qvam habebant, Rom. 3, 23. ac cum Adamô præ pudore se abscondunt, Genes. 3. v. 8. eò qvòd nudi sint, v. 10. ibid. Ezech. 16. Sunt etiam iidem in rebus spiritualibus cœci, surdi, muti, claudi, imò mortui, & nihilominùs Rex [illegible]mus illos tanto honore dignatur, ut suæ mensæ in verbo, Psal. 23, 5. & Sacramento Cœnæ, 1. Cor. 10, 21. opiparè instructæ adhibeat, (Confer præterea Matth. 22, 4. & 11. Luc. 14, 17.) non tantùm in hac vita in regno gratiæ; verùm etiam in regno gloriæ post eam, Matth. 8, 11. Luc. 22, 30. Apoc. 19, 9. atqve hoc modo adoptamur in Regis summi filios, Johan. 1, 12. hæredes vitæ æternæ, & cohæredes CHRISTI, Rom. 8, 15. & 17. Gal. 3, 26. & cap. 4, 7. Ut verò ille agnoscit suam indignitatem ac Regis benignitatem, 2. Sam. 9, 8. dum se vocat canem mortuum; ita & nos deploremus nostram miseriam, & celebremus DEI misericordiam, qvippe qvi eramus mortui, & canes extra regnum cœlorum ejecti, Apocal. 22, 15. nunc verò domestici DEI facti, Ephes. 2, 19. Qvomodo verò hoc possit fieri, Paulus suo exemplo hîc præit. Huc ergò animos advertamus, ut unde ad tantam dignitatem pervenerimus, & qvomodo dignos nos ea gerere deceat, discamus.

Partes

Partes dicti duæ:

I. DEI beneficium.

II. Hominis officium.

PRIMA PARS.

CÙM omnes homines sint DEI œconomi, variorumq; bonorum dispensatores, Luc.12,42. cap.16,1. 1.Cor.4,1. 1.Petr.4,10. in priore parte hujus dicti, ubi exponitur, unde omnia habeamus, membra sunt duo: DEI dona, & nostra bona. DEI dona vocat Apostolus gratiam, qvia ex gratiâ, non meritô nostrô, nobis obtingunt. Ubi notandum diversimodè hoc vocabulum in sacris literis accipi: 1. pro favore & misericordiâ: ut in locô de electione & justificatione. 2. pro donis ex gratiâ collatis per metonym. causæ pro effectu. 3. pro gratiositate, sive illâ comitate, qvâ qvis aliis redditur amabilis. Primam autem significationem hîc obtinere extra dubium est: cùm DEI gratia illa esse dicatur. Gratiam hanc DEI possumus dividere in prævenientem, operantem, & subseqventem. Prævenit ante nativitatem & carnalem, & spiritualem, seu conversionem. Operatur, dum efficit omnia in omnibus, qvæ qvidem bona, etiam dum sustentat in malis: subseqvitur in morte tandem. Unde in Ecclesiâ tempus hujus seculi dicitur tempus & regnum gratiæ, qvia gratiam semper DEUS offert, imò non repugnantibus confert, & sic ex gratiâ DEI sumus, qvod sumus, ut Paulus de se dicit: *Gratiâ DEI sum, qvod sum*, scilicet in qvantum bonus & verè est. Nam in qvantum malus, non est aliqvid, sed deest ipsi integritas debita. Paulus erat homo ex DEI gratiâ: sanus ex DEI gratiâ: Christianus ex DEI gratiâ; Apostolus ex majori gratiâ. Ad summam; qvicqvid est, qvicqvid uspiam in me est, inqvit, ex DEI gratiâ est.

LOC. COMM. I.

QVando audivimus hæc verba, & nobis revocamus in memoriam, solere hinc initium sumere Magnatum, Regum & Ducum titulos: de duobus monemur.; Unum est: etiam maximos qvosq; in mundo DEUM habere & agnoscere se superiorem: eum igitur vereantur. Alterum, etiam nos hoc verè in Ecclesiâ usurpare de nobis ad exemplum Pauli posse; Nos esse per CHRISTUM factos cœlestes Duces: qvia per eum sumus facti filii DEI. Qvòd cùm ita sit, qvid juvat homi-

hominem tam illustri locô natum, ita infra omnes infimos, Diabolum ac mundum, qvi sunt projecti ad scabellum pedum CHRISTI, Psal.110,1. suis vitiis se abjicere, ut fiat jumentis similis, Psal. 49. 13.21. & Psal.32,9. cùm possit stare ad dexterâ CHRISTI, Matth.26. imò sedere in thronô ejus, Apoc.3,21. Non legis, qvòd Josephus Pro-Rex Ægypti suâ sponte se receperit in carcerem, unde erat liberatus: Qvæ ergò dementia te cepit, ut tu hoc facias? Matth. 5. & 18. Non audis Davidem, postqvam ad regnum erat evectus, arma opilionis resumpsisse, & pedum gestâsse. Non scribitur de Estherâ, qvòd abjectis vestibus regiis, se denuò suis induerit pannis & laciniis: & tu te peccati vestibus sordidis rursus commaculabis, Matth.22. Ephes.4? Qvid juvat, ita insanire, ut malis pro cœlô infernum; pro CHRISTI justitiâ, tua flagitia; pro svavitatis odore, pessimum fœtorem? Age, ex DEI gratiâ illa tibi offeruntur, conferentur, si tu non abjicis.

II. LOC. COMM.

QVisqve qvotidiè primi Articuli explicationem ruminans, hoc Pauli sibi suggerat: *Gratiâ DEI sum, qvod sum*, nempe rationalis creatura, & multis bonis naturæ ac fortunæ præditus. In secundô Articulô, *Gratiâ DEI sum, qvod sum*, redemptus & liber. In tertiô Articulo, illuminatus & sanctificatus. Et ut Philippus qvotidiè sibi curabat acclamandum: *Philippe, memento te esse hominem:* sic tu memineris te esse Christianum, & DEI vasallum, cujus gratiâ habes qvod habes, 1.Corinth. 4,7.

III. LOC. COMM.

UNde tertiò discimus: Si ex gratiâ, non ex meritô: præclusa est igitur omnis gloriatio, Rom. 3,27.

IV. LOC. COMM.

GRatia Principis aut Regis, qvando exiguum dat prædium, aut saltem suæ clementiæ indicium, magni fit: qvantò pluris ergò fieri debet DEI gratia, ex qvâ omne habemus in CHRISTO, qvod antè habuimus in Adamô, per qvem etiam evadimus in omnibus plusqvam victores, Rom.8. Verum tamen hæc gratia omnium minimi fit. Qvis enim malitiosè peccaturus hanc magnoperè curat?

V. LOC. COMM.

SI gratiâ DEI qvivis est, qvod est, etiam magnates sibi arrogare nil

qvicqvam possunt: sed hoc agant, ne gratiam summi Imperatoris effundant.

VI. LOC. COMM.

SI gratiâ DEI sum, qvod sum, soletur hoc infirmum, qvi facit officium, & eventum felicem aut successum fortunatum non videt. Age, DEI gratia est, qvâ istud es & agis, si modò tu non fueris otiosus, illa non erit inanis aut otiosa, ut jam in secundâ parte seqvitur.

POSTERIOR PARS.

ET gratia ejus gratis data, & mihi collata ἡ εἰς ἐμὲ, qvæ in me supernè ac cœlitùs delapsa, non vacua fuit, sed fructum edidit insignem, qvemadmodum in seqq. declarat Apostolus, & copiosiùs, 2. Cor. 11, 23. &c. Græcè, ἐ κενὴ ἐγενήθη. Ubi observandum *primò*, qvòd κενὸς & κενόω de rerum usu & operatione usurpentur, qvando illis nos abdicamus, vel in illis cessamus, non de omni absentiâ, ut hôc locô Apostolus vult gratiam sibi datam non fuisse sine operatione. Sic Scriptura usurpat ista vocabula, 1. Corinth. 1, 17. 2. Cor. 6, 1. 2. Cor. 9, 3. 1. Thess. 2, 1. Phil. 2, 7. *Deinde*, qvòd verbum γίνομαι propriè significet fieri: metaleptice esse, postqvam factum est. Tum autem potissimùm per fieri exponendum est hoc verbum, qvando de diversis fit sermo, & qvandò post illud seqvitur substantivum. Confer Joh. 2, 8. 9. Roman. 7, 13. 1. Cor. 1, 30. Gal. 3, 13. 1. Cor. 15, 45. &c. Joh. 1, 12. & 14.

LOC. COMM. I.

AGnoscis jam ex DEI gratiâ, ipsius in te beneficium, cognosce ex jure ac meritô tuum in ipsum officium: qvod fiet, si gratiam in te collatam non sines esse vacuam more servi illius neqvam, qvi talentum sibi concreditum defodiebat: sed contrà multum lucratus fueris tuo Domino, Matth. 25, 14. Vides jam hôc ipsô tempore, terram, cui concreditum fuit semen, tulisse multas fruges, arbores Sole fotas, & pluviâ humectatas fructibus esse gravidas, te etiam agrum DEI noveris, 1. Cor. 3, 9. & arborem ad rivos aqvarum plantatam, Psal. 1, 3. sed si fructum fers nullum, futurum est, ut exscindaris, Matth. 3. & 7. Luc. 13. Et jam sub autumni tempus plurima qvo pendet gravidis de vitibus uva, id tu videns, meritò hæc meditaberis, qvòd qvi eras qvondàm ramus inutilis, & aridus, stigiisq; focis consecratus, ex gratiâ hortulani cœlestis sis insertus viti vitæ. Fructum igitur feras, si nolis excidi, Joh. 15.

II. Loc.

II. LOC. COMM.

HOmines sunt velut vasa DEI, 1. Samuel. 21, 5. 2. Cor. 4, 7. Actor. 9, 15. 1. Petr. 3, 7. in qvæ ille thesauros suæ gratiæ ac misericordiæ, Rom. 9, 23. imò cœlestis gloriæ, 2. Tim. 2, 20. recondit. Videigitur, ne effluant illi: qvod futurum, si tu fueris vas pertusum, Hebr. 2, 1. Israëlitæ inobedientes qvando MAN volebant sibi otiosum reponere aliô die qvàm Sabbathi, fœtuit & produxit vermes. Exod. 16, 20. Sic si tu tua dona aliô tempore & loco, qvàm qvando te jubet qviescere tua vocatio, finis esse otiosa, coram DEO fœtere incipis.

III. LOC. COMM.

DEUS dat omnibus libenter suam gratiam, sed multi illam in vanum accipiunt, 2. Cor. 6, 1. nec vocationi & voluntati DEI obediunt. (Hîc explicetur, qvòd non omnes audientes verbum DEI convertantur, qvia nolunt, Matth. 23.) Nos verò habentes varia dona juxta gratiam, qvæ nobis data est, Rom. 12, 6. 7. 8. ad commune bonum omnia referamus, 1. Cor. 12. v. 4. & 7. id est, ad Ecclesiæ ædificationem, 1. Corinth. 14, 12. & 26.

IV. LOC. COMM.

IN totô dictô duæ virtutes potissimùm inculcantur: Ut de nobis sentiamus modestè, & vivamus honestè, seu Modestia & Industria. In priori, unde habeamus, in posteriori, cur, & ad qvem finem acceperimus, cogitandum: Videamus igitur, ne gratia DEI in nobis sit otiosa, ita olim cum servis fidelibus & talentum suum benè collocantibus, introibimus in gaudium, Matth. 25.

DOMINICA XII. POST TRINITATIS.

2. Corinth. 3. vers. 6.

Ὃς καὶ ἱκάνωσεν ἡμᾶς διακόνους καινῆς διαθήκης, οὐ γράμματος, ἀλλὰ Πνεύματος. Τὸ γὰρ γράμμα ἀποκτείνει, τὸ δὲ Πνεῦμα ζωοποιεῖ.

QVi & idoneos fecit nos ministros Novi Testa-

menti, non literæ, sed Spiritûs. Nam litera occidit, Spiritus autem vivificat.

EZech.9.v 1. &c. DEUS stragem Hierosolymorum figurat hôc modô: Sex Angelos creatos advocat, qvi perdant, & virum unum, seu CHRISTUM (sæpè enim dicitur vir in V. Testam.) Mediatorem ac Sacerdotem, expiationem facturum, & propterea indutum vestibus lineis. Confer Exod.23,43. Levit.16,4. Zach.3,4. qvi insigniat signô seu literâ ת frontes illorum hominum, qvi abominationes Jerosolymorum aversantur, ut ita signati salventur, v.6. Notabat autem signum ת, תְּחִיֶּה vives. Eôdem modô Johannes in Apocalypsi (qvi in multis cum Ezechiele congruit. Vide saltem Ezech. 1,5.6. & Apoc.4,6.7.8. Esa.6,1.2.) cap.7,2. & cap.8,3. CHRISTUM describit signantem electos ac dilectos DEO, ne læderentur, aut cum aliis perditis interirent. Hujus obsignationis fuit typus qvidam, qvando Israëlitæ ultimâ nocte, qvam in Ægyptô degebant, ex mandato DEI de sangvine Agni imponebant duobus postibus, & superliminari, Exod.12,7. ut sangvis pro illis in signum esset, & Dominus videns illum sangvinem transiret, neqve exitialis plaga illos tangeret, v.3. Ita enim hodiè etiamnum & semper in Ecclesiâ se res habet: nempe in terrâ Israëlitarum, in qvâ est lux verbi, cùm reliqvos caligo & tenebræ densissimæ operiant. Confer Exod.10,23. Esa.9,1. & 60,1.2. homines signantur sangvine Agni immaculati ad vitam æternam, Hebr.9,14. & cap.12,24. Qvod cùm ita sit, intelligimus, longè diversam hanc esse literam ab aliô ת impiorum frontibus inscribendo, qvod notat תָּמוּת, qvemadmodum olim Græci damnandorum nominibus solebant nigrum præfigere θ, qvodq; adhuc scribitur in cœlesti curiâ in omnium illorum frontibus, qvi per opera Legis salvari volunt, cùm perfectam obedientiam præstare neqveant. Unde hæc per accidens vitio & culpa hominum est ministerium mortis, Rom.8,3. 2. Cor.3,7. Cùm igitur & litera sit, qvæ vivificat, videlicet verbum DEI scriptum, prædicatum ac fidei mixtum, Hebr.4,2. Spiritus, qvi occidit, nempe malus, qvi homines decipit, 1.Reg.22. dignum consideratione est illud Apostoli dictum: *Litera occidit, Spiritus autem vivificat*, ut sciamus, qvalem literam, qvalem Spiritum intelligat.

Partes

Partes sunt duæ:
Prior, Legis rigor.
Posterior, Evangelii vigor.

PRIMA PARS.

PRioris partis membra possunt esse duo: *Subjecti homonymia, & Prædicati vis emphatica.* Cùm dixisset Paulus, qvòd sufficientia sua reliqvorumq; verbi ministrorum in N. Test. esset ex DEO, contrà Pseudo-Apostolos (qvibus cum ipsi magna controversia in totâ Epistolâ super eô, num Lex etiam docenda eam ob causam, ut per eam homines salventur, si servarent illam: qvod ipsi asserebant; Apostolus contrà negabat. Sicut & Actor. 15. & Gal. 2. & 5.) suum officium ita commendat, ut dicat sibi potissimùm in N. Test. ubi est tempus acceptum & gratiæ, 2. Cor. 6, 2. esse commissum lætum Evangelii nuncium de gratuitâ remissione peccatorum propter Christum, Luc. 2, 10. Non enim tantùm DEUS fecit illos ministros literæ seu Legis, sed præcipuè Spiritûs, qvando Apostolus inclusivè & comparatè, non exclusivè & simpliciter loqvitur. Sic enim stylo Scripturæ & ex analogiâ ejusdem sunt explicanda illa verba, qvippe sæpissimè illa particula tantùm subauditur, & Lex ab Apostolô ejusq; Collegis ac successoribus prædicata esse, expressè legitur.

[Gen. 32, 28. Dicit Angelus: Non Jacob posteà dicitur nomen tuum, sed Israël, id est, non Jacob tantùm diceris posteà, sed & Israël. 1. Sam 8, 7. ubi DEUS: Non te spreverunt, id est, solum te, sed me etiam. Ose. 6, 6. qvod repetitur Matth. 9, 6. Benignitate delector, non sacrificiô, pro non tantum, seu non solô sacrificiô, DEO enim placuit sacrificium Abelis conjunctum cum misericordiâ Joel. 2, 13. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, id est, non vestimenta tantùm, sed & corda. Matth. 10, 20. Christus Apostolis: Non vos estis, qvi loqvimini, id est, tantùm qvi loqvimini. Matth. 18, 22. Non, dico tibi, septies, id est, non septies tantùm remittes. Marc 9, 37. Qvi me suscipit, non suscipit me, id est, non solùm duntaxat me, sed & Patrem. Johan 5, 30. Non qværo, voluntatem meam ut faciatis, sed Patris, hîc subintelligenda particula solùm, non qværo solùm gloriam meam Johan. 14, 24. Sermo non est meus, id est, non meus tantùm. Joh. 16, 26. Non dico, qvòd oraturus sim Patrem pro vobis, id est, qvòd ego solus vobis otiosis. Actor. 15, 4. non homini mentitus es, sed DEO, id est, non solùm homini, sed & DEO.]

Cur, ita dicat qvispiam, Evangelium prædicatis potiùs, qvàm Legem, cùm utraqve doctrina sit à DEO, nec una alteri contraria, Roman. 3, 31. Gal. 3, 21? Respondet Apostolus: Propterea qvòd ob natu-

ram hominum corruptam Evangelium salvet ex gratiâ, non Lex, qvæ agit ex meritô. Qvia Lex seu litera illa scripta in tabulis lapideis, si servaretur, perfectè poterat salvare, juxta illud hincinde repetitum dictum: *Qvi fecerit hæc, vivet in eis,* (id est, per ea,) Levit.18,5. Ezech. 20,11. Rom.7,10.12.13. Rom.10,5. Galat.3,12. hominem autem non servantem ea perfectè, nec omni tempore, nec ex totô corde, nec omnia præcepta, occidit, juxta illud: *Maledictus, qvi non permanserit in omnibus istis, qvæ scripta sunt in Lege, ut faciat ea,* Deut.27,26. Galat. 3,10. & propterea apud DEUM nemo ex Lege justificatur, salvatur, aut vivit: qvia non potest servare. Ibidem vers.11. Ἀδυναμία itaqve salvandi Legi non tribuitur simplex aut absoluta, sed accidentaria ob carnem nostram infirmam, Rom.8,3. qvæ non potest servare Legem, & proinde ob minas additas per Legem homo sine CHRISTO occiditur, qvia Lex sine CHRISTI gratiâ non potest vivificare, hominem imperfectè aut nullô modô eam servantem, Gal.3,2. Lex autem dicitur litera DEI, qvia scripta est digito DEI in tabulis lapideis, tùm qvia est & manet in nobis corruptis hominibus litera, id est, scriptura, qvæ non completur. Aliàs litera in Scripturâ in genere denotat omnem doctrinam, sive Legem, sive Evangelium, sive Sacramenta, sive opera hominum, ad qvæ motus & actio Spiritûs Sancti gratiosa non accedit, Rom.2,29. & cap.7,6. Verbum *occidere* autem hôc locô facilè potest explicari ex vocabulo mortis, Gen.2,17. Rom.6,23. id enim notat non tantùm omnis generis calamitates, sed etiam mortem ipsam corporalem & æternam. Sic Lex hominem non servantem eam occidit, dum omnis generis calamitatibus in hâc vitâ, pòst morti corporali, ac demùm præcipuè morti æternæ adjudicat, nisi ipsi per CHRISTUM satisfiat pro nobis. Magnus itaqve est Legis erga peccatores rigor.

LOC. COMM. I.

SI Lex est litera, legenda & docenda est in Ecclesiâ: Propterea enim scribitur litera, ut legatur, Deut.27,8. Habacuc.2,2. Qvod igitur dictum pro suô errore confirmandô adducunt ἀνόμοι contra ipsos retorqvere pro orthodoxâ sententiâ possumus, idq; hoc modo:

II. LOC. COMM.

SI est litera occidens, non est ipsa mortua litera, qvomodo enim occidere posset alios, si ipsa esset mortua, Hebr.4,12. Est enim Lex DEI, qvasi

qvasi malleus conterens corda saxea. Confer Jer.23,29. Ezechiel.36,26. Est velut aculeus tardos incitans. Confer Eccles.12,13. Luc.24,25. ac pungens, Actor.2,37. Est ut ignis, qvi excitat urentes gementium lachrymas, Jer.5,14. & 23,29. Luc.24,32. est velut gladius occidens malè operantes, Psal.149,6.7. Apoc.19,5.

III. LOC. COMM.

SI Lex poterat salvare servantem, & CHRISTUS servaverit illam pro nobis, ut nos salvemur per eum, certè justitia eadem respectu CHRISTI est Legis, respectu nostri est Evangelii. Ibi omnia meritô, nihil est gratis; hîc omnia gratis, nihil ex meritô: Ibi parta & acqvisita, hîc applicata intelligitur. Et si Lex non potest servari ab homine nudô post lapsum, neqve ullus poterit per Legem jam salvari. Id qvod DEUS typicè voluit indicare, qvando planè nolebat concedere, ut Moses populum Israëliticum in terram sanctam introduceret, sed Josuæ CHRISTI typo hoc reservabat. Unde Johannes cap.1,17. Lex per Mosen, gratia & veritas per CHRISTUM: In Lege igitur de nobis desperare docemur, ut in CHRISTUM sperare discamus, & ita obliqvè Lex ad CHRISTUM adducit.

IV. LOC. COMM.

SI Lex occidit, qvid Pontificii aut Photiniani operibus existimant se posse salvari, id est, vivificari?

SECUNDA PARS.

SIcut Esthera apud Regem deprecans literas, qvibus morti erant destinati omnes Judæi, literas summæ tristitiæ convertebat in literas maximæ lætitiæ, Esth.cap.8. Ita CHRISTUS apud Patrem suum Regem Regum intercedens pro nobis noster Pontifex ac Sacerdos literam illam occidentem & tristem nuncium commutavit cum lætô Evangeliô, qvod dicitur Spiritus, qvia per id datur Spiritus Sanctus, Galat.3,2. & 5. Hic igitur Spiritus, id est, læta Evangelii doctrina Legi in articulô Justificationis per accidens oppositæ, vivificat hominem in peccatis mortuum. Estq; similis illa doctrina rori svavissimo, qvô fideles, ut corruptum frumentum, ex terrâ progerminant, Esa.26,19. Similis est pluviæ, qvâ arida corda Luc.11,24. rigantur, Esa.55,10.11. imò in vitam æternam potantur, Johan.4,14. Esa.55,1. Confer Johan. 7,34.35.

Loc.

LOC. COMM. I.

SIcut Evangelii doctrina dicitur Spiritus, & hic illam potisſimùm apud nos prædicandam curat, agnoſcimus ſummam DEI benignitatem, qvi, cùm poſſet literâ ac Lege ſuâ nos perdere ex juſtitiâ, Spiritu ſuô nos vivificare voluit ex miſericordiâ, Pſal.30,6. & 103,8.10.13.

II. LOC. COMM.

SI Evangelium vivificat, & qvilibet ſui conſervationem ac vitam appetit: qvæ eſt inſania, Evangelii doctrinam nolle amplecti? Roman.10, 16.

III. LOC. COMM.

SI Evangelium eſt Spiritus, nec ſine eô vivificari poſſumus: hunc præcipuè nobis dari petamus, Pſal.51,12. & 143,10. Luc.11,13.

IV. LOC. COMM.

SI Spiritu vivificamur: etiam poſteà in eô vivamus, nosq; Spiritu DEI agi demonſtremus, Roman.8,14. Et ſi Spiritu vivimus, etiam viam, qvæ Spiritui convenit, teneamus: qvod notat verbi Græci στοιχῶμεν Gal.5,25. emphaſis. Qvis enim eum dicat vivum, qvi non reſpirat? & qvis eum ſpiritualiter vivere exiſtimat, qvi inſtar mortui nulla edit bona opera? ut Jac. c.2. prolixè diſputat.

DOMINICA XIII. POST TRINITATIS.

Galat. 3. verſ. 22.

Ἀλλ' συνέκλεισεν ἡ γραφὴ τὰ πάντα ὑπὸ ἁμαρτίας, ἵνα ἡ ἐπαγγελία ἐκ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ δοθῇ τοῖς πιστεύουσι.

SEd concluſit Scriptura omnia ſub peccatum, ut promiſſio ex fide JESU CHRISTI daretur credentibus.

GEneſ. 42,43,45, capitibus memorabilis hiſtoria deſcribitur, qvomodo Joſephus à fratribus venditus, & jam Pro-Rex

constitutus, cùm priùs omnes terruerat, Simeonem in vincula conjecerat, Genes.42.v.24. & reos furti peregerat,44. tandem 45. cap. se aperuerit, fraternum suum animum erga illos declarârit, muneribus affectos dimiserit, & pòst ad se receptos omni genere felicitatis mundanæ beaverit. Accommodare illam nobis hôc pactô possumus: DEUS verus ille Josephus, id est, autor, non Pro-Rex, sed Rex Regum, qvando homines Legis minis terruit, & præcipuè diligentes ejus auditores (שִׁמְעוֹן enim auditorem significat) in vincula conjicit, in conscientiâ reos iræ DEI peragit, & dignos esse ostendit, qvi æternis tenebrarum teneantur vinculis, Matth.5,25. & cap.22,13. 2.Petri 2,4. Epistola Jud.v.6. & sic furti, qvòd voluerint in Adamô, DEO suum suffurari honorem, Gen.3. &, qvòd eundem nec DEO, nec proximo declaraverint, reos peractos, afflictos & contritos, tandem ubi Benjaminem, id est, filium dextræ, seu CHRISTUM, Rom. 8. qvem impensè diligit, Matth.3,7. secum adducunt, lætitiâ & honore afficit, & tandem ad se in regnum æternum recipit, ut verè dicere possimus cum Annâ Samuelis matre, 1.Sam. 2. 6. & 7.

Dejicit, ut relevet, premit, ut solatia præstet,
Enecat, ut possit vivificare DEUS.

Nunqvam enim infundit misericordiæ oleum, nisi in corde contritô præcesserit justitiæ vinum, Luc.10,34. & ita facit opus alienum, ut possit facere proprium, Esa.28,21. qvemadmodum Paulus tribus in locis, Rom.3,9. Rom.11,32. Gal.3,22. declarat, omnes à DEO esse conclusos, ut omnium misereatur. Nunc ex his postremum videbimus. Et qvia funis triplicatus non facilè rumpitur, Ecclesiast.4,12. hæc tria dicta inter se conferemus. Trinunius Numinis invocatô auxiliô. Partes esse possunt duæ:

I. Moisis Legislatoris graves comminationes.
II. CHRISTI Salvatoris svaves promissiones.

PRIOR PARS.

CÙM in aliis, tùm etiam in hoc Epistola ad Hebræos cap.3. CHRISTUM cum Mose confert, imò longè præfert, qvòd & domum DEI ipse fecerit, in qvâ ille administrator tantùm fuerit; Ipse sit filius, hic famulus. In eô verò conveniunt, qvòd uterqve ut DEI Legatus sit audiendus. Audiamus itaqve in hôc dictô utrumqve & primum

mum prodeat ille durus sermone Legislator, qvem Israëlitæ toties cum horrore auscultârunt. In oratione ejus membra hæc erunt qvatuor: *Qvis, qvid faciat, cui, & qvomodo?* 1. Primò graviter intonat Apostolus, *Scriptura &c.* Scriptura illa sacra DEI digitô primùm scripta, posteà per Prophetas & Apostolos sæpiùs vivâ voce repetita, & instinctu divinô in literas relata & ad posteros transmissa: cùm ante Moisen per manuum traditionem solàm propagaretur, DEIq; immediato colloqvio confirmaretur, & sæpè explicaretur. Illa Scriptura, imò (ut Rom. 11, 32. dicitur) DEUS ipse omnipotens per Scripturam, & qvidem Legis, (ita enim synecdochicè hîc vocem Scripturæ accipi ex oppositione seqventis membri & fidei analogiâ constat) veluti in sûô consiliô cœlesti latam sententiam pronunciat: Maledictus qvi non permanserit. 2. *Qvid facit?* Mandat suis satellitibus terroribus inferni & mortis aliisq; judicii sui apparitoribus, ut homines inobedientes vinculis constrictos ad se adducant, in carcerem veluti compingant, dùm in conscientiâ eos ita angunt ac constringunt, ut qvò se vertant, nesciant, συνέκλεισε, *unà & simul omnes tales concluſit*, & ab omni parte, ne ullâ elabendi rima sit, qvæ incarceratis & fidelissimè servatis non sit obstructa, Gal. 3, 23. 3. *Qvos igitur?* Apostolus hîc in neutrô genere emphaticè τὰ πάντα dicit, nempe homines cum suis operibus, imò etiam cum suâ, qvam frustrà qværunt & præ se ferunt justitiâ: illam enim contra Pseudo-Apostolos in hâc Epistolâ graviter refutat Paulus. Ad Rom. 11, 32. ait τὰς πάντας, nempe de qvibus anteà dixit in totô capite undecimô, Judæos scilicet & Gentes, vel ut expressa verba habent Judæos & Græcos, Rom. 3, 9. id est, omnes omninò homines, siqvidem Scriptura solet ita totum genus humanum dividere vel in Judæos & Gentes, Rom. 3, 29. & cap. 9, 24. vel in Judæos & Græcos, Rom. 2, 10. Galat. 3, 28. Col. 3, 11. 1. Cor. 10, 32. 4. *Qvomodo*, vel qvorsum conjiciet hos constrictos? *Sub peccatum* respondet Apostolus, jam per Legem demonstratum, & in ipsis vivens, Rom. 7. atqve accusans ac terrefaciens miseros, Rom. 11, 32. ἐμφαλιωτέρως, Apostolus dicit *sub incredulitatem*, ut ostendat, condemnationis æternæ, ad qvam sola incredulitas immediatè deducit reos eos peragi. Undè jam patet sententiam hujus phraseos esse, qvòd DEUS totum genus humanum peccatis infertum accuset per vocem Legis, & reum æternæ damnationis declaret, ut Apostolus explicat Rom. 3, 19.

Loc.

LOC. COMM. I.

SI scriptura Legis fert sententiam, & constringit peccatores, *non est litera 1. muta*, ut in Colloqviô Ratisbonensi Gretzerus blasphemat. Dicere enim & exaggerare peccata potest. Confer Johan.19,37. cap.7,42.51. Matth.22,22. Luc.16,27. Rom.3,19. cap.4,3. Gal. 4,30. Roman.7,8. Hebr.12,5. *2. nec mortua*, ut Schwenckfeldiani & alii Enthusiastæ nugantur. Et hîc est Elenchus.

II. LOC. COMM.

SCripturæ Legis proprium est terrere & constringere, 2.Corinth. 3,6. qvia inde peccati agnitio, Rom.3,20. & cap.7,7.

III. LOC. COMM.

SI Lex potest homines damnare, est DEI verbum, qvia nemo æternæ damnationi hominem potest adjudicare, nisi DEUS, Matth. 25,41. & cap. 13,41.

IV. LOC. COMM.

SI omnes à Lege constringuntur, omnes sunt naturâ peccatores, qvia justum Lex non urget, 1.Tim.1,9. Renati autem & fideles non sunt sub Lege ex gratiâ, Rom.6,14. nulla est in istis condemnatio, Roman.8,1. adversus eos non est Lex, Gal.5,23. qvia sunt in CHRISTO, qvi pro ipsis solvit, qvod non rapuit, Psal.69,5. & ita hos vinctos exsolvit, Ose.13,14. Luc.1,71.74. & cap.4,18.19.

V. LOC. COMM.

SI Lex omnia non credentium concludit sub peccatum, qvid sit sentiendum de gentilium virtutibus & salute, facilè liqvet. Sint illæ in suô genere bonæ, qvia tamen in judiciô DEI sunt imperfectæ, eos, à qvibus eduntur, non salvant, sunt splendida peccata, Roman. 14,13. Hebr. 11, 6. & hi condemnantur, qvia non credunt in CHRISTUM, Johan.3, 16.

VI. LOC. COMM.

COndemnationis causa unica certô respectu est infidelitas. Prima igitur cura sit, ut credas in CHRISTUM, qvi venit salvatum peccatores, 1.Tim.1,15. vide, ut cum Rahab habeas in fenestrâ cordis alligatum rubrum ex sangvine CHRISTI fidei vinculum, cùm hujus mundi ruina reliqvos opprimit.

POSTERIOR PARS.

QVùm DEUS gratiosè se erat ostensurus Eliæ, primùm transibat ventus vehemens, perfringens montes, & perrumpens petras, ante JEHOVAM, sed ipse JEHOVA non erat in ventô, puta non eô modô: pòst concussio; sed neqve ibi erat DOMINUS: porrò ignis; sed neqve in igne: tandem vox silentiô tenuis, ubi se revelat DOMINUS. Ita etiam nunc DEUS omnibus gratiosè se revelat: præcedit Lex, malleus iste, qvô dissiliunt petræ & corda saxea; & ligo, qvô perfodi possint montes excelsi, Esa.40. Matth.3. Joh.1. & ignis, Jerem.23. sed non est in illis DOMINUS modô gratiosô, verùm in Evangeliô voce illâ, silentiô tenui, ubi & DEI ira est sedata, & nos qviescere possumus: & ut tantò libentiùs acceptemus hunc nuncium, isti prodromi viam sternunt, hic nempe finis est conclusionis sub peccatum, qvi seqvitur apud Apostolum, *ut promissio ex fide JESU CHRISTI detur credentibus*; Ubi notanda etiam qvatuor: *1. Qvid detur, 2. per qvid, 3. propter qvem, 4. & qvibus.* Particula ἵνα conjungit Legem & Evangelium in homine justificando. Ibi enim sibi mutuas tradunt operas. 1. Vox ἐπαγγελίας plerumqve promissio est, in V. T. de CHRISTO exhibendo, sicut in Novô Εὐαγγέλιον de exhibitô: propter certitudinem tamen spei innixæ immutabili DEI voluntati & veritati pro re promissâ seu remissione peccatorum metonymicè ponitur hôc locô, ut & alibi. Vide Luc.24,49. Act.1,14. & cap.2,39. Hebr.6,12. & cap.9,15. Propterea igitur Lex ex intentione DEI hominem perterrefacit, ut ipsi dulcescant Evangelii bona, & propterea cervus à canibus infernalibus fugari permittitur, ut ad has solatii aqvas anhelet, Psal.42. *2. Per qvid* verò, & unde obtingat hæc promissio de remissione peccatorum, indicatur nempe ex fide, non tanqvam ex causâ, neqve enim Scriptura dicit, neqve nos dicimus, propter fidem nos eligi aut salvari, qvod Pelagianum est: sed ut instrumento, unde Scriptura alibi Διὰ πίστεως, πίστει, ἐν πίστει. Fides enim est unicum medium & organon ex parte nostri, qvô salvamur, dum ex manu DEI, seu verbô & Sacramentis arripimus bona oblata, & nobis applicamus. Unde ex actu ipsô justificationis & Lex & opera ex parte nostrâ excluduntur prorsus. Nam ex parte CHRISTI reqviritur meritum & satisfactio Legi præstita, ut justitiæ DEI satisfiat; sicuti seqvitur. *3. Propter qvem?* Ex

fide

fide *JESU CHRISTI*, pasivè puta, qvâ is apprehenditur, Jesus seu Salvator, Matth. 1,21. & Christus Propheta, Rex & Sacerdos se pro nobis offerens, & pro nobis intercedens, Hebræô & Græcô nomine simul insignitus, ut notetur illum Judæorum & Græcorum, hoc est, omnium esse Salvatorem, si modò credant. Qvod tandem nunc subjicitur;

4. *Qvibus* dentur illa promissa & bona per Christum parta, videlicet credentibus, non operantibus, δόθη, *detur* gratis, non acqviratur meritis, unde Paulus Roman. 11,32. hoc vocat misereri, ut Deus omnium, inqvit, misereatur.

LOC. COMM. I.

USus Legis est hîc spiritualis seu Theologicus, ut agnitis peccatis & morbô homines compellantur, ire ad victimam pro peccato & Medicum, Matth. 9, 12. Unde Lex vocatur δυνάμις τῆς ἁμαρτίας, 1. Corinth. 15, 56. id est, per Legem peccatum suam vim condemnantem habet. Confer Rom. 3,20. cap. 4,15. cap. 7,7. 11. 13. 20. Gal. 3,24. Nam

Dulcia vix cupiet, qvi non gustavit amara, Matth. 5, 3.

II. LOC. COMM.

PRomissio DEI nunqvam fallit, qvia mentiri ipse neqvit. Verùm tum demum illa obtingit gratiosè, cùm sumus in Christo, 2. Corinth. 1,20. eiusq; domô Ecclesiâ; 1. Tim. 3,15. Confer & applica Exod. 12,22. Jos. 2,18. 19.

III. LOC. COMM.

SI ex fide in Christum tantum nostra fiunt promissa bona; nemo habet, qvod glorietur: qvia gratis omnia accepit, Rom. 3,23. Ephes. 2,5. 1. Corinth. 4,7.

IV. LOC. COMM.

ERrant igitur Pontificii, qvi per opera volunt justificari: Errant Photiniani & Arminiani, qvi fide, id est, ut illi interpretantur, obedientiâ erga omnia Dei præcepta nos salvari asserunt. Hæc autem est vera via in cœlum, qvæ hîc ab Apostolô ostenditur, ut qvondam Israëlitæ priùs ad montem Sina, deinde ad montem Sion adducebantur, & in terram sanctam introducebantur: Ita etiam nos oportet priùs ad Legis comminationes, deinde ad Evangelii promissiones adduci, Hebr. 12,18. 22. 23. perq; angusta ad augusta, per sonum Legis tendere ad donum summi Regis: ita post pugnam corona, post cursum

βραβεῖον, post labores præmium in cœlis nobis est propositum, 2. Timoth. 4, 7. 8. 1. Corinth. 9, 24. 25.

DOMINICA XIV. POST TRINITATIS.

Galat. 5. vers. 17.

Ἡ γὰρ σὰρξ ἐπιθυμεῖ κατὰ τοῦ πνεύματος, τὸ δὲ πνεῦμα κατὰ τῆς σαρκός. Ταῦτα δὲ ἀντίκειται ἀλλήλοις, ἵνα μὴ, ἃ ἂν θέλητε, ταῦτα ποιῆτε.

NAm caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc autem inter se mutuò adversantur, ut non qvæcunq; volueritis, eadem faciatis.

SAul, qvi minimus in tribubus Israël, 1. Samuel. 9, 21. à Samuele in Regem ungitur, 1. Sam. 10, 1. & posteà irruit super eum Spiritus Jehovæ, ut mutaretur in virum alium, 1. Sam. 10, 6. & posteà egregiè contra Philisteos pugnaret. Ita homo qvisqve שָׁאוּל seu reqvisitus & vocatus, à Prophetâ seu verbi ministrô שְׁמוּאֵל legitimè à DEO vocato, cùm in errore versabatur, Luc. 15. seq; coram DEO humiliabat, in Regem spiritualem creatur, 1. Petr. 2, 9. Apoc. 1, 16. & simul oleô lætitiæ Spiritûsq; Sancti donis ungitur, ac Christianus fit, Act. 11, 26. Psal. 105, 15. Spititus Sanctus irruit in eum, ac mutat in alium, malum in bonum, mortuum in vivum, imò prorsus regenerat, Joh. 3. Tit. 3. ut posteà contra Diabolum ac mundum posit fortissimè dimicare, Ephes. 6. Qvemadmodum verò qvidam ex Saulis subditis libenter eum suscipiebant, ac recens-creatum Regem seqvebantur, qvidam contemnebant, ac obedire detrectabant, 1. Sam. 10, 26, 27. & ipsi inter se alebant inimicitiam: Ita etiam in homine regeneratô & in summi Regis filium adoptatô, caro reluctatur spiritui, & hic isti, donec tandem Saul iste ex pugnâ victoriam reportarit, hoc est, post hanc vitam, qvando regnum suum cum CHRISTO occupat plenariè.

Illud

Illud Apostolus Rom.7,14. & hîc graphicè depingit, ut nemo se ipsum rectiùs noverit, qvàm Spiritus Sanctus pium hîc describit. Cùm itaqve sit principium omnis boni, Nosse DEUM & se, idq; hîc doceatur: Dignum est dictum, qvòd excutiatur. Partes esse possunt duæ:

I. Caro malorum irritamentum.

II. Bonorum impedimentum.

PARS PRIMA.

QVando DEUS Sauli injunxerat, ut Regem Amalekitarum Agagum occideret; isq; eum in vivis relinqvebat, DEUS adeò irascitur, ut propterea regnum ipsi ademtum iri minetur, & statim ab eô gratiosâ suâ præsentiâ recedat. Ita etiam, qvando DEUS unicuiqve pio, suo Sauli seu vocato ad regnum Filii DEI, injungit, ut Regem Amalek, qvi ipsi facessat negotium, seu carnem, mortificet, idq; ipse negligit, & vivere in se eam ac dominari permittit: DEUS jus regni cœlestis huic adimit & ab ipsô recedit, 1. Sam. 15. [Confer Galat.5,24. Rom.12,1. & qvomodo DEUS velit nullo modo gratiam fieri devoto à se, in Achabô demonstravit, 1. Reg.20,38.40.41.] Nos igitur, cùm etiam habeamus mandatum DEI de carne nostrâ domandâ, Roman. 6. & 8. imò occidendâ, Col.3,5. ne simus in hoc segnes aut negligentes, ne nos propter carnem vivam occidamur ipsi. Et hæc est ratio, cur Paulus tam emphaticè v.16. dicat: *In spiritu ambulate, & nullô modô* μὴ, *neqvaqvam concupiscentiam carnis perficietis.* Qvid igitur est caro? Scripturæ stylô, ut hoc loco accipitur, formaliter est omne id, qvod ex impurâ Adami propagatione in nobis est, sive hoc in animâ, sive in corpore est; hoc est, peccatum ipsum, & pronitas ad illud, aversioq; à DEO ad creaturas: qvomodo passim Spiritui opponitur: materialiter verò si accipias, vulgariq; more loqvaris, est anima & corpus peccato pollutum. ἡ σὰρξ *hæc caro concupiscit,* ἐπιθυμεῖ, summô conatu id appetit, ita ut animum prorsus adjiciat, qvod est Spiritui seu piis, à Spiritu Sanctô in homine excitatis motibus contrarium, & vice versâ: Sic *Spiritus concupiscit contra carnem,* & longè diversam ab illâ viam seqvitur. Imò illa duo diversa in homine principia; alterum ex corruptâ naturâ, alterum ex gratiâ: illud ex generatione, hoc ex regeneratione, *inter se sunt opposita,* ἀντίκεινται, sibi adversantur, & invicem obsistunt, ut duo hostiles exercitus ex adversô castra ponunt.

Loc.

LOC. COMM. I.

CÙM sint duo immediati Baptismi nostri effectus juxta Paulum Tit.3,5. regeneratio & renovatio. Illa est omnibus numeris absoluta & perfecta, ac unô in momentô contingit, estq; ablutio à peccatis, eorumq; remissio & justificatio: hæc autem seu novitas vitæ spiritualis non est omnibus numeris perfecta, nec unô momentô absolvitur, sed de die in diem fit, ejusq; complementum ultimum in vitam alteram reservatur. Hinc fit, ut in renatis etiam sit caro seu pronitas ad peccandum, qvam tamen DEUS, adjuvante Spiritûs sui gratiâ, vult refrænari. Cùm enim velit populum spontaneum, Psal.110,3. Psal.51,14. Rom.6,18. & cap.12,8. 2.Cor.9,7. 1.Petr.5,2. non autem coactum cultum, Epist. ad Philem.v.14. jubet nos occupari in suis mandatis servandis, Psal.119. qvantum fieri potest per imbecillitatem humanam, qvæ est, post lapsum: ut ita initium ejus liberrimæ ac spontaneæ obedientiæ, qvam DEUS reqvirebat ante lapsum, Genes.2. in hâc vitâ fiat, & posteà in alterâ vitâ iterum consummetur. Accommodetur Num.20,17. ubi petunt Israëlitæ ab Edomæis, ut liceat sibi transire per regnum Edomæorum: Non transibimus, inqviunt, per agrum, neqve aqvam putei bibemus; sed regiam viam tenebimus. At Edom obviam procedit cum gladiô. Edom est Diabolus & mundus, per qvem si tendendum est Jerosolymam petentibus, necesse est, ne hæreamus in regione eorum, nec de puteis combibamus, id est, vitiis nos dedamus, sed regiâ viâ incedamus, id est, Lege DEI: fit tamen plerumqve, ut Edomita nobis molestiam faceesat.

II. LOC. COMM.

QVia caro est in homine renatô, qvæ potest esse in homine perfectio, nisi imperfectionis sua agnitio? qvid igitur sua supererogationis opera jactitant Pontificii? qvid Libertini merum Spiritum? qvid Photiniani vires hominis extollunt? sufficit, si modò sit pugna, & caro non prævaleat Spiritui. Nam, ut planè absit, fieri non potest, qvamdiu hanc vitam homo vivit. Non enim prorsus desinit caro, antеqvam regnum DEI & gloriam possidere incipiat, 1.Cor.15,50. & ut erat populo DEI hostis inqvilinus in terrâ sanctâ, qvamdiu arcem Sionis nondum occupaverant, urbemq; Hierosolymam cæperant, 2.Sam.5,6. ita etiam, qvamdiu homo nondum occupavit cœlestem

Jero-

Jerosolymam, Apocal.21. habet hostem internum, carnem nimirum, qvæ rectè repræsentat claudos & cœcos illos, qvorum ibidem fit mentio.

III. LOC. COMM.

UNde sit lucta in homine, hinc discimus, nempe qvod Spiritu vivere incipiat. Anteà enim, qvod ex carne natum est, caro est, Joh.3. Et dum fortis ille armatus custodit atrium suum, pro libitu agit hominem sibi subjectum aut iræ filium: qvietè possidet, qvæ sunt ipsius Luc.11. Cùm verò CHRISTUS Filius Regis summi liberat eum, Joh.8. suôq; Spiritu principali & adoptionis donat, Psal.51. Rom.8. bellum ille contra hunc sibi ereptum movet, & extra & intra, 2.Cor.7,5. ibi per mundum, hîc per carnem. Et qvemadmodum Davidi erat amicus Saul, dum Rex hic nondum erat creatus, aut declaratus, pòst verò omnibus modis ejus mortem qværebat: sic Davidi, id est, dilecto DEI in dilectô filiô, Diabolus & mundus tum omnibus modis est infestus, qvando eum in hæredem cœli & regni DEI adoptatum esse comperit.

IV. LOC. COMM.

HÆc ergò lucta non est ea, de qvâ Philosophus lib.1. Eth. c.13. qvæq; est inter rationem & appetitum sensitivum: sicut nugantur Photiniani: siqvidem illa est in homine non renatô, Ethnicô aut gentili; hæc autē de qvâ Apostolus, non nisi in renatô. Atq; ita differunt principiô & subjectô; etiam objectô. Illa tantum bonum naturale & morale, hæc spirituale; illa aliqvot Leges secundæ tabulæ, Rom.7,7. hæc utramqve Legis tabulam respicit; etiam fine. Illius finis est, ut saltem appetitus obediat, ac ita maneat; hujus, ut non tantùm caro obsequatur, verùm etiam, ut de die in diem mortificetur, ac pedetentim aboleatur. Unde etiam hoc consequitur, qvòd Spiritus hîc non significet alteram hominis partem, videlicet animam seu mentem, sed Scripturæ stylô totum interiorem hominem, hoc est, qvatenus homo per Baptismum vel Verbum, mente & corpore est regenitus ac renovatus, Rom.7,22. Ephes. 3,16. 2.Cor.4,16. Caro verò significat hominem sibi in corruptione relictum, ac ad omne bonum spirituale prorsus inidoneum, 2.Cor.3. Gen.6,5. cap.8,21. Jerem.13,23. imò mortuum, Ephes.2,1.

V. LOC. COMM.

Nunqvam bella piis, nunqvam certamina desunt,
Et qvi cum certet, mens pia semper habet.

Aliàs qvidem verè sæpiùs dicitur, inimici homini sunt domestici ejus, Matth.10,36. Et Christianus cum CHRISTO qvandoqve cogitur dicere: *Qvi comedit panem meum, sustulit adversum me calcem*, Joh.13,18. at hoc longè est funestius & intimius disidium, qvando idem homo contra seipsum disidet, & in diversas sententias ex diversis principiis abit: ut Apostolus Rom.7,15.19.23. hoc describit, verbisq; emphaticis ἀνθιστρατεύεσθαι & αἰχμαλωτίζειν, à re militari desumptis exprimit, unde & tam graviter de hâc miseriâ conqveritur v.24. Vigilandum igitur, cùm sint tantæ insidiæ piis, Marc.14,38. 1.Thess.5.6. 1.Petr.5,8. Apoc.3,2. semperq; sonet in auribus nostris illa Apostolica admonitio 1.Cor.16,13. Vigilate, in fide state, viriliter agite, & confirmamini. Qvod si fecerimus, post pugnam datur tandem corona vitæ, Apocal.2,10.

VI. LOC. COMM.

SI tanta est in homine lucta post conversionem, qvomodo ipse suâ sponte se ad DEUM converteret? qvomodo benè ageret malus? qvomodo ad DEUM accederet mortuus? Verâ igitur confessione, non falsâ defensione opus habet hæc nostra imperfectio, qvando etiam volentibus ex Spiritu bonum facere, malum adjacet, & ad omnis generis peccata nos illicit. Et hoc est verum omnium malorum irritamentum.

SECUNDA PARS.

MAlum verò cum bonô sit contrarium: id facilè intelligimus, etiam idem disidium inter carnem ac Spiritum esse bonorum impedimentum: qvod Apostolus his verbis explicat, *ut non faciatis illa, qvæcunqve vultis*, Spiritûs Sancti ductu. Bonum enim ipsô allucente verbi divini faculam videtis, & Lege condelectamini, secundùm interiorem hominem. Velle in vobis invenitis, non autem Perficere, qvia caro vos bardos ratione scientiæ, & tardos ratione actionum efficit, etiam tùm, cùm estis renati. Non enim res divinas planè intelligitis, sed velut in ænigmate ac speculô videtis, 1.Corinth.13.

2.Cor.

2.Cor.3. Jacob.1. neqve id,qvod bonum esse cernitis, efficere rectè potestis, ac dum in terram patriam reditis, ac cum DEO in fide luctamini, luxatâ coxendice tandem progredimini more Jacobi Gen. 32.

LOC. COMM. I.

CÙM nemo sit essentialiter bonus, nisi unus DEUS, Matth. 19. ab illô omnia bona proveniunt, Jacob.1. Et contrà, cùm Diabolus sit καʹ ἐξοχὴν ὁ πονηρὸς, seu malus & neqvam, Ephes.6,16. 1.Johan.2,13. & cap.5,18. ab illô omnia qvidem mala, Matth.13,19. ita tamen, ut per mundum ac carnem pleraqve nobis inspiret, & sic impedimenta bonis à bonô DEI Spiritu in nobis excitatis injiciat. Malum igitur cupis vitare? vita & non audi Diabolum ejusq; organa, mundum aut carnem. Vis bonum impetrare? ad bonum summum te converte. Adstrictum te vides catenis inferni? ille exsolvit, Luc. 4. Peccatis te sentis oneratum? ille onus illud tollit, Matth.11. Tenebris obscuratam in te deprehendis mentem? Ephes.4. ille lux est, Joh.1. & 8. Esuris? is est panis vitæ, Joh.6. Sitis? aqva vitæ est, Joh.4. Mortuus es? vita est, Joh. 14. In summam: cùm in te nihil boni, in ipsô omnia invenies. Apud ipsum verè est בֵּית חַסְדֵי domus misericordiarum, & pecuaria piscina, in qvâ oves ejus possunt lavari ab omni immunditie, & sanari ab omni morbô spirituali, Joh.5,2. DEUS itaqve est omnis boni autor & promotor: Diabolus autem eidem remoram injicit pessimus. Ad illum igitur accedendum; ab hoc fugiendum.

II. LOC. COMM.

SI homo in statu restaurationis non potest facere, qvæ vult, qvæ sint liberi arbitrii in statu corruptionis vires circa spiritualia, videmus, videlicet non prostratæ aut langvidæ, sed prorsus nullæ. Si enim homo Spiritu Sanctô adjutus non potest ea præstare, qvæ vult, qvomodo perficeret à se solô? Si Esthera Regina non potuit pro lubitu suô omnia administrare, sed necesse habebat à Rege impetrare, & ab ejus nutu unicè pendere: facilè est colligere, qvòd non potuerit magna impetrare, cùm adhuc erat ancilla. Vid.Gal.4. ubi Apostolus non renatos comparat ancillæ, renatos uxori liberæ.

III. LOC. COMM.

NOn velle bonum, est impietatis: velle, pietatis; in omnibus efficere posse divinæ potestatis, qvæ omnia in omnibus erit, cùm hoc

tempus non ampliùs erit, 1.Cor.15,28. (Brentius dicit, hominem in hâc vitâ esse mendicorum mendicissimum, à pane cogitur mendicare, ut se cibet, vinô, ut sitim restinguat, posteà omnia habebit in unô DEO.) tùm enim apparebit, qvales futuri simus, nempe similes DEO, 1.Joh.3,2. Hic enim, ut nihil jam vult, qvod non possit, (siqvidem dicit, & factum est) Psal.33. &148. ita etiam, tùm in nobis ratione similitudinis, non æqvalitatis, erit illa potentia: ad qvam, ut feliciter perveniamus, det nobis divina clementia!

DOMINICA XV. POST TRINITATIS.

Galat.6. vers.1.

Ἀδελφοὶ, ἐὰν καὶ προληφθῇ ἄνθρωπος ἔν τινι παραπτώματι, ὑμεῖς οἱ πνευματικοὶ καταρτίζετε τὸν τοιοῦτον ἐν πνεύματι πραότητος, σκοπῶν σεαυτὸν, μὴ καὶ σὺ πειρασθῇς.

FRATRES, etiamsi occupatus fuerit homo in aliqvô delictô, vos qvi spirituales estis, instaurate hujusmodi spiritu mansvetudinis: considerans temetipsum, ne & tu tenteris.

1. REgum 6, 7. Domus DEI cùm ædificabatur, lapide integrô extruebatur, neqve malleus aut securis, aut ullum instrumentum ferreum auditum est in illâ domô, dum ædificabatur. Qvemadmodum Salomon extruens hoc templum Rex pacificus typus qvondam CHRISTI fuit, Matth.12.42: ita templum ab eô ædificatum non ineptè cum templô DEI, seu Ecclesiâ Novi Testamenti, à CHRISTO Rege pacis, Esai.9,17. ædificatâ, comparari potest. Hæc enim est magna illa DEI domus, Gen.28,17. 1.Tim.3,15. 2.Tim.2,20. qvæ ædificatur ex piis, vivis lapidibus, Ephes.2,20.22. 1.Petr.2,5. super fundamentum JESUM CHRISTUM, 1. Corinth.3,11. petram illam firmissimam, Matth.16,18. ac lapidem angularem, Ephes.2,20. piis dico, qvi

qvi sunt ex rupe illâ antiqvâ excisi, id est, ex Abrahamo nati, ejusq; in fide filii, Esa.51,1.2. & qvantum fieri potest, ex totô corde DEO serviunt, ac integritate vitæ studeant, 1.Cor.5,8. 2.Cor.1,12. Hi, si qvando ex imbecillitate aliqvid delinqvunt, tamen non statim ut lapides inutiles ex ædificio rejiciuntur, Amos 9,9. Non enim in ædificatione hujus templi auditur malleus seu Lex conterens petras: qvia jam antè per illum sunt dedolati lapides, qvam advehantur, & huic ædificio inserantur spirituali, Jerem.23,29. Galat.5,23. hoc est, cor habent contritum, sua peccata agnoscunt & deplorant, nec Legis maledictioni, cùm corda ipsis data sint carnea, Ezech.36. sunt subjecti, Roman. 6,14. cap.8,1. 1.Timoth.1,9. Non auditur hîc securis, qvâ velut putridæ arbores (florent enim in domo DEI jugiter, Psal.92,13. Ps.1,3.) abscindantur, Matth.3,10. Non auditur hîc ullum instrumentum ferreum: non compedes, qvia pedes horum jam sunt soluti, Luc.1,79. cap.4,18. Non manicæ: qvia ad DEUM manus audent attollere, 1.Tim.2,1. Non numellæ: qvia jugum Legis & maledictionis ferreum CHRISTUS à collo eorum demens in suum transtulit, Matth.11,28. Non clavi: qvia propterea CHRISTUS est clavis cruci affixus, ut hi abirent liberi, Coloss.2,14. Qvia igitur CHRISTUS non est nimis severus Judex, Matth. 12,18.19. Esa.42,1. nec Christianos oportet esse nimis austeros erga fratres Matth.18,33.35. neqve nævos omnes nimis exaggerare, aut alios propterea odisse. Cumq; valdè freqvens sit vitium, domi esse talpâ cæciorem, foris Argo oculatiorem: dignum est hoc Apostoli dictum, qvod diligenter consideretur. Partes esse possunt duæ:

I. In aliorum lapsibus tolerandis pia æqvanimitas:
II. In nostris vitiis præcavendis necessaria sedulitas.

PRIMA PARS.

PArtis prioris membra possunt esse duo, 1. Lapsus facilitas, & 2. lapso debita charitas. Anteqvam autem ad ea declaranda accedat Apostolus, captans benevolentiam & communis sortis auditores commonefaciens, fratres eos nominat, tum qvod illis in DEO patre creatore, & CHRISTO fratre redemptore esset frater, tum ut ipsi inter se esse tales fratres sibi in memoriam revocent: Frater enim fratri non malè vult, certè infensus esse non debet. Qvid verò his svadet Paulus? hoc nimirum, qvod si etiam vel maximè in communi vitâ ali-

aliqvid admiserit frater, & qvidem præoccupatus ex imbecillitate lapsus, anteqvam rem rectâ satis æstimavit viâ, (id enim notat verbum Græcum προλήφθῃ à προλαμβάνω activô, *anteverto, antevenio, præoccupo,*) tamen meminisse debeat alter, qvòd homo sit, & nihil humani ab illo alienum putet, sibiq; accidere facilè potuisset, alteri qvod accidit: hominem esse eum, non DEUM, aut Angelum. Propterea si qvis præter spem & opinionem offendit in qvodam delicto vel lapsu improvisô, frater incautus potiùs eripiendus, qvàm opprimendus. Παράπτωμα enim à παραπίπτω, id est, *cado,* descendit. Humanum enim est posse errare, & magna est lapsuum facilitas: Hoc si ita est, dicere vult Apostolus: Considerate nunc, esse debeat fraterna charitas. Vos, qvos dixi fratres & meos & ipsorum labentium, vos qvi non secundùm carnem aut affectus prædominantes ambulatis, & estis spirituales, seu Spiritûs Sancti ductum seqventes: cùm sitis membra unius corporis, seu CHRISTI mystici, à Diabolo & ex suâ sede motum & luxatum hoc membrum καταρτίζετε instaurate, in integrum restituite: (Est enim καταρτίζω ab ἄρτως, id est, *integer,* & *perfectus,* notatq; concinnè aptare, coagmentare, & aptè componere; qvemadmodum solent artifices conglutinantes vel componentes multa membra in unum corpus, unde & rem laceram aliqvam resarcio & collapsam reparo significat,) velut ἄρθρον seu membrum, hunc ipsum, qvi in vos, vestros, aliosve peccavit: & qvidem non durioribus verbis aut modis asperioribus: sed in Spiritu lenitatis, cum magnâ animi æqvitate, ac patientiâ; sicut videtis chirurgos magnâ arte & lenitate membra in corpore humanô in locum suum pristinum restituere, ne, dum medicinam adhibere volunt, vulnus novum aut majus infligant.

I. LOC. COMM.

OMnes homines unum qvendam habent Patrem ratione creationis, Malach. 2. sed multò magis omnes Christiani, qvi etiam unum Patrem habent ratione recreationis, Eph. 4. Jacob. 1. & unam matrem Ecclesiam, Gal. 4. & propterea invocantes meritò dicunt: *Pater noster, &c.* Matth. 6. & fratres non tàm vocari, qvàm esse reverà debent: sicut pluribus declarat Johannes in 1. Epistolâ cap. 3. Frater autem cùm soleat fratri multum condonare, nec omnia pro rigore juris exigere, etiam nos in nævis aliorum tolerandis oportet hujus titu-

tituli esse memores, juxta illud Patriarchæ: *Ne sit contentio inter me & te: Nam viri fratres sumus*, Genes. 13, 8. & juxta id, qvod dicebat ad fratres Josephus Genes. 45, 24. *ne commoveamini in itinere.* In itinere ad cœlum sumus nos omnes, si cum aliis piis ambulare nolumus, ad metam nunqvam pervenimus. Confer Matth. 5, 25. Psal. 42, 5. Johan. 6, 66. Est enim Jerosolyma seu Ecclesia optimè constructa civitas, qvæ planè coagmentata est inter se pariter, Psal. 122, 3.

II. LOC. COMM.

DIscimus rectè dividi peccata in infirmitatis & malitiæ, seu ea, qvæ ex imbecillitate, ac ea, qvæ ex destinatâ neqvitiâ fiunt. De illô enim peccatô propriè loqvitur Apostolus, qvod non satis consideratâ re admittitur, sed qvod ex qvâdam imprudentiâ obrepit, qvalia etiam qvædam grandia esse peccata possunt, si non accedat deliberatum propositum: ut Noachi ebrietas, Genes. 9. Loti incestus, Gen. 19. qvæ excusari possunt in tantum, non in totum. Verùm esto, qvod etiam ex deliberatô consiliô frater peccet, condonandum tamen est: qvia, si consideras peccati gravitatem, & æstima tentationis Diabolicæ difficultatem. Errant igitur Stoici, qvi omnia peccata faciebant paria, & illi, qvi hominem renatum peccare non posse asserunt.

III. LOC. COMM.

CUm qvis peccat, videmus eum non tantùm esse hominem; sed etiam corruptum: Qvia neqve in statu integritatis, neqve restaurationis omnimodæ peccabit; sed dum hanc vitam post lapsum vivit. Simul verò illud notatur, qvod paulò antè dicebatur, humanum esse debere peccatum, si velit peccator restitui, non diabolicum: hoc est, tale, qvod agnoscat & deploret; non autem excuset, aut de qvô glorietur, Psal. 52, 2. Esa. 3, 9. Peccatum enim dum non agnoscitur, peccatori non ignoscitur, Psal. 32, 3. 4. 5. Qvamdiu filius prodigus neqve suam miseriam & nuditatem, neqve patris felicitatem & misericordiam agnoscit: nec stolâ induitur, nec annulô ornatur, nec cibô optimô saginatur.

IV. LOC. COMM.

DIum Apostolus in genere dicit, *(qvôdam delictô)* id notat, non valere illam qvorundam exceptionem. Si non tam graviter me læsisset, condonarem: hoc verò, qvod jam fecit, valdè cordi meo dolet, non

non possum ferre hanc injuriam: non potest excusari in hôc delictô: propterea enim Apostolus nullam speciem expressè nominat, ut omnem intelligat, & qvodcunq; lapsus nomine venit, his verbis comprehendit. Nomen autem πλημμέλειαι indicat viam ad cœlum esse angustam, multisq; scandalis plenam, Matth. 7. & 18.

V. LOC. COMM.

SPirituales dum Galatas vocat, id significat: cogitent, qvi fuerint natura, & qvi jam sint ex gratia. Ex carnalibus facti spirituales. Suum igitur Patrem cœlestem & fratrem CHRISTUM Rom. 14, 1. & 4. imitentur, Luc. 6. ne hos degenerare ipse conqveratur, & hæreditatem promissam aufferat, Matth. 18. Si autem à spiritualibus seu veris Christianis is, qvi peccavit, est ita restituendus: qvomodo à Catharis omnis venia, à Novatianis apud Ecclesiam lapsis hæc potest denegari?

VI. LOC. COMM.

QVia membra sumus unius corporis: simus συμπαθεῖς, concordes, mutuasq; tradamus operas, ut illa: alter alterum juvemus, non lædamus; neminem contemnamus. Ut enim nullum membrum tam vile, cujus non insignis in corpore usus: ita etiam in Ecclesiâ, imò qvemadmodum illis, qvæ videntur indecora, plus decoris adjicimus: ita & fiat in hôc corpore mysticô. Vide 1. Cor. 12. à v. 14. usqve ad 27. Sicut Israëlitæ militari ordine exibant ex Ægyptô, Exod. 13, 18: ita & nos ordine, qvisq; suô locô progrediamur, non mutuum impedimentum, verùm adjumentum afferamus, ut glorificetur noster cœlestis Imperator.

VII. LOC. COMM.

MUlti solent lapsos fratres more Pharisæi & Levitæ præterire, qvasi non sit dignus, qvi juvetur, qvod CHRISTUS graviter reprehendit, Luc. 10. Christianos verò decet hunc ipsum (τὸν τοιῦτον) maximè juvare, qvia nisi talis esset, nostrâ ope non indigeret. Si enim bos non incidit in foveam, neqve opus est, ut eum extrahas, Luc. 14. Et Medico opus habent, non qvi valent, sed ægroti, Matth. 9, 12.

VIII. LOC. COMM.

CHristianorum renatorum propria virtus est lenitas, qvia hæc charitatis (signi veri Christiani, 1. Cor. 13. Joh. 13.) est immediatus effectus; & Spiritûs Sancti fructus sunt dilectio, longanimitas, bonitas, bene-

beneficentia, lenitas, Gal.5,22. Facilè igitur conjecturam hinc capimus, cujus Spiritûs filii sint, qvi ad qvodvis proximi erratum ignem de cœlô devocare gestiunt, Luc.9,55. Si autem in Spiritu lenitatis sunt lapsi restituendi, non opus est peccatorem scrupulosâ enumeratione, neqve Pontificis Romani fulmine, neqve post pœnitentiam operum injunctorum carnificinâ.

SECUNDA PARS.

VUlgatum & verisimum est dictum: *Cuiqve accidere potest, qvod huic accidit:*

Aut sumus, aut fuimus, aut possumus esse, qvod hic est.

Qvid igitur tantoperè contemplaris festucam in oculô fratris? Luc.6. Habes domi, ne qværas foris. Es oculatus? en metam in teipsô, qvò collimes, σκοπῶν σεαυτὸν, ad teipsum oculô irretortô respice, tibi provide, tibi cave, ut metam ferias propositam, more Apostoli 1. Corinth.9,26.27. Vide, ne & tu ipse tenteris & in tentatione vincaris exteriùs à Diabolo & mundo, interiùs à tuâ carne. Qvis enim te privilegio qvodam humanæ exemit miseriæ? cadit illa in te hominem, qvæ, ne te inter oscitantes opprimat, caveto. Si enim Diabolus non pepercit Davidi secundùm cor DEI viro, 2.Sam.11. Actor.13. Si non abstinuit manus à Jobo viro, vel juxta DEI testimonium, integrô, Job.1.&2. Si CHRISTUM ipsum gravissimè & diutissimè tentare non est veritus, Matth.4. Luc.4. qvomodo tu esses securus ab hoc leone, qvi non dormit, sed circumit, ac qværit, qvem devoret? 1.Petr.5,8.

I. LOC. COMM.

ILli plerumqve sunt acerrimi aliorum Censores, qvi suæ imbecillitatis sunt immemores, nec vident manticæ, qvod in tergo est.

II. LOC. COMM.

SI charitas à se incipit: etiam in vitiis reprehendendis qvisqve à se initium faciat, & qvotidiè è cœlo descendat γνῶθι σεαυτὸν. Id verò, cùm sit omnium difficillimum: toties in sacris literis inculcatur, ac ut fieri possit, Lex velut speculum nobis proponitur.

III. LOC. COMM.

A Tentatione nemo liber esse potest, qvi carnem nondum exuit, qvæ semper ad malum tentat, Jacob.1. Si qvis verò ope DEI adjutus

tus in hac tentatione & certamine vicerit, dabitur ei sedere in throno à DEO parato, Apocal. 3,21.

DOMINICA XVI. POST TRINITATIS.

Ephes. 3. vers. 20.

Τῷ δὲ δυναμένῳ ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπερεκπερισσοῦ, ὧν αἰτούμεθα, ἢ νοοῦμεν, κατὰ τὴν δύναμιν τὴν ἐνεργουμένην ἐν ὑμῖν.

EI autem, qvi potest cumulatè facere ultra omnia, qvæ petimus, aut cogitamus, juxta vim agentem in nobis.

QVod DEUS Abrahamo dicit Genes. 15,1. *Ne timeas, Ego sum clypeus tibi & merces tua ampla valdè*, & cap. 17,1. *Ego sum DEUS fortis, omnipotens: indesinenter ambula coram me, & esto integer*: omnibus piis maximum esse potest in adversis solatium, & ad pietatem incentivum. Inde enim omnis metus, qvod non satis contra Adversarios nostros simus muniti, & proindè facilè succumbamus. Inde omnis impietas, qvòd DEUM ignoremus. Hoc verò præstat solus DEI timor, ut omni alio timore vacemus, & huic uni serviamus. Solent illi, qvi abeunt in militiam de φυλακτηρίοις armis valdè esse solliciti, de thorace ferreô, galeâ & aliis. Imò nonnulli, dum salvi evadant, non verentur cum Diabolo inire contractum, qvò immunes sint, ne plumbeis trajiciantur globulis. Qvi tamen, ut exempla testantur, tandem fallit. Sed nobis hanc sacram freqventantibus militiam sola atqve unica securitatis est via, habere DEUM protectorem. Protector autem is est piorum: Pii autem sunt, qvi & erga DEUM, & erga proximum se rectè gerunt. Erga DEUM, dum ambulant coram eo, hoc est, illi adhærent. Itaqve omnia sua dicta ac facta instituunt, ut se in conspectu DEI esse ac vivere semper cogitent: non subsistunt, aut regrediuntur, sed ambulant: non deficiunt, sed indesinenter ad cœlum contendere pergunt. Erga proximum, dum sunt in-

integri, nullum lædunt, suum cuique tribuunt, & quod sibi fieri volunt, aliis faciunt. Talibus est DEUS fortis, imò omnipotens, cui nulla creatura prævalet: ratione hostium, & malorum avertendorum, clypeus; ratione sui ipsius & bonorum conferendorum, merces ampla valdè: in hac vita non metuendo; in alterâ vitâ, quæ hîc sunt in fide sata, liberalissimè metendo, Gal.6,7.&8. Hæc verò certè obtingunt piis propterea, quòd DEUS est in dictis verax, in factis omnipotens: Proinde cùm hoc sit omnis solatii fundamentum, diligenter est cum Apostolo ex Ephesios cap.3.v.20. inculcandum. Partes dicti esse possunt duæ:

I. Mentis humanæ infantia.
II. Manus divinæ omnipotentia.

PRIMA PARS.

SCriptura fideles sæpissimè infantibus comparat; tùm ratione ortus, quatenus nascuntur supernè, Joh.3. tùm ratione nutritionis. Ut enim illi lacte priùs aluntur, dein tandem cibis solidioribus: ita & hi ipsi, 1.Petr.2.1.Cor.3,1. tùm ratione augmentationis, quòd semper crescant, & animo evadant sapientiores, Ephes.4. tùm deniquè ratione confidentiæ & simplicitatis, Esa.43,1. Psal.27. Matth.18. Hûc sæpè Apostolus in hac Epistola respicit, etiam in præcedentibus versibus, ubi optat, ut sui auditores adhuc in fide imbecilliores, reddantur firmiores, & ita præparentur in hac vita, ut tandem in altera vita omni plenitudine DEI impleantur, v.19. Sic enim in hac vita oportet fieri cognitionis DEI initium, 1.Cor.13.1.Joh.3. ut superinduamur; sin minùs, nudi planè reperiemur, 2.Cor.5,2.&3. Verùm hæc nostra filiorum DEI inchoata scientia, est admodum langvida & imperfecta, si vel ad illam, quæ seqvutura est in cœlo, vel ad DEUM referatur. Argumento sunt ista: in mente cœcitas: in appetitu qvædam pravitas. Nam ut infantes plerumqve non orant parentes ea, qvæ conducunt, sed qvæ placent, & sæpè qvæ qvàm maximè obsunt: sic & nos, qvæ præcipuè expetenda, negligimus, utpotè æterna & cœlestia. Ratio: qvia ignoti aut non satis cogniti nulla vel parva cupido. Eam ob causam nostræ mentis infantiam ita describit hoc loco Apostolus, qvòd non petat, imò ne intelligat qvidem perfectè vera bona. Non petat, cùm terrena ex carne ipsi cariora: non intelligat, qvia eadem

in hac vita aliqvanto sublimiora, qvàm qvæ perfectè possint noſci. Confer Apoſtolum, ubi utrumqve etiam conjungit Rom. 8, 26.

I. LOC. COMM.

CÙM neſcias, qvid petas, ô Chriſtiane; te DEO relinqvas. Si enim potuit dicere Ethnicus:

Permittas ipſis expendere numinibus, qvid
Conveniat nobis rebuſq; ſit utile noſtris.
Nam pro jucundis aptiſſima qvæq; dabunt, Dii.
Carior eſt illis homo, qvàm ſibi; nos animorum
Impulſi cœca pravaq; cupidine ducti
Conjugium petimus, partumq; uxoris, at illis
Notum qvi pueri, qvaliſq; futura ſit uxor.

An non multò magis cum Davide ſentire convenit, 2. Sam. 15, 26. *Ecce me, faciat mihi DOMINUS, prout bonum videtur in oculis ejus:* & cum Mariâ Luc. 1. *Ecce ancilla Domini.* Commenda ſaltem vias tuas DOMINO, & ipſe faciat, Pſal. 37, 5. & 55, 23. Proverb. 16, 3. Qvoniam ipſius fidei ſe committit defectus viribus, qvi pupilli eſt adjutor, Pſalm. 10, 14. In Lege Moſis ab omnibus deſertis viduis & pupillis erat conſtitutus vindex, ſed in N. Teſtamento nobis eſt longè melior vindex CHRISTUS, Job. 19.

II. LOC. COMM.

SI non intelligimus ſatis divina: qvæ eſt dementia, velle illa rationis humanæ metiri decempeda, qvæ illam excedunt infinita jugera. Qvò poteſt referri id, qvod de Auguſtino ſolet commemorari. Confer Rom. 11, 33. Errant igitur & Calviniani, & Photiniani, qvi nulla credenda eſſe dicunt, niſi qvæ ratione poſſunt comprehendi. Qvò poſſunt accommodari illa, qvæ de Agar & Sara ſcripta ſunt in Geneſi; Qvarum illa naturæ curſu, hæc verò ex promiſſo divino filium pariebat: illa ejiciendum; hæc omnium bonorum hæredem futurum.

SECUNDA PARS.

HActenus hominis ignorantia & impotentia: jam DEI ſcientia & potentia. Ubi tria membra: *1. Qvod ſit, 2. Qvid ſit & qvanta, 3. Qvibus proſit.*

MEMBRUM I.

DE Urim & Thumim legimus Exod. 28, 30. qvòd DEUS Moſi illa dede-

dederit pectorali summi Pontificis insuenda, ut inde in dubiis, qvid credendum, qvid faciendum Israëlitæ discerent. Unde neqve inter illa numerantur, qvæ ab artificibus ad templi structuram sunt præparata; sed qvæ à DEO immediatè sunt Mosi tradita. Verùm qvantò major erit illius scientia, qvi hæc fecit omnia, nempe ipsius DEI? De hac ita Apostolus: *DEUS verò*, qvi est ante, & super omnia, & potest non tantùm illa, qvæ Spiritûs Sancti instinctu pius homo rogat, aut intelligit (qvæ sanè possunt esse & numero plurima, & longè maxima) efficere ac præstare; sed etiam super omnia illa, & qvidem non tantùm illâ ipsâ mensurâ ac modô, qvô rogatur, aut ab homine concipitur: verùm superabundanter, ut semper longè plura & majora largiatur, qvàm rogatur, & apud qvem, utpote omnis boni fontem inexhaustum plura restent & uberiora, qvam hactenus fecit. Id enim notat vocabulum ὑπερεκπερισσῶς, & hoc inde, qvòd sit ipsi potentia infinita: juxta potentiam, inqvam, illam, qvæ operatur, & efficax est in nobis piis, qvæ certè est immensa, cùm longè majorum virium sit ἀναζῆσαι, qvàm ζῆσαι, recreare, qvàm creare; longè diviniùs homini indere motus spirituales, qvàm animalem Spiritum, seu vitam naturalem, eò qvòd majora ac meliora sint spiritualia corporalibus. Confer 1. Cor. 15, 44. & seqq.

I. Loc. Comm.

Discimus, qvorsum in adversis flectendi oculi, dirigenda oratio, attollendæ manûs: nempe in cœlum, ubi DEUS habitat, Psal. 120, 1. & 2. Reliqva enim omnia, ad qvæ confugimus, sunt impotentia: DEUS autem servare etiam in morte potest, Psal. 68. Neqve enim aurum aut argentum potest eripere, Zeph. 1, 18. Neqve robustus se liberabit, Amos 2, 12. & 13. Sit igitur hominis animo hoc infixum, qvod est apud Syracidem cap. 18, 30. Optima est fiducia in DOMINUM solum: qvandoqvidem mortuum cor adhæret rei mortuæ. Exemplo sunt Danielis socii DEO vero confisi, ac in mediô igne salvati, Daniel. 3. & contra Baalis Sacerdotes idolo nixi perditi, 1. Reg. 8.

II. Loc. Comm.

Vulgò dicitur: *Homo proponit; DEUS disponit*: vel, *Homo dicit, DEUS autem facit*. Qvæ sententia desumpta est ex Psal. 37, 27. Proverb. 16, 1. & 9. & cap. 20, 24. Jerem. 10, 23. Qvod etiam de malis, qvorum

rum actiones DEUS etiam dirigit, accipiendum. Cogitabat qvidem in animo suo Saul, Davidem interficere, sed DEUS Regem eum constituebat hujus loco, 1. Sam. 18. Pharao hoc agebat, ut omnes Israëlitas pessundaret: ipse suffocatur cum suis, Exod. 1, 14. Sennacherib in animô habet Jerosolymam exscindere, Regemq; & omnes reliqvos in captivitatem abducere: sed cæditur ipse, ejusq; exercitus, Esa. 37. ut meritò dicamus: Tua, ô JEHOVA, est magnitudo, potentia & gloria; imò omnia in cœlo & in terrâ, 1. Chron. 29, 11. 12.

III. LOC. COMM.

CÙM DEUS possit super omnia postulata aut cogitata facere superabundanter: Hîc proponitur nobis *1. Doctrina*, nihil esse tàm magnum, qvin DEUS possit efficere, cùm ipsi nihil sit obscurum aut mirabile, Genes. 18, 4. *2. hinc emergens Consolatio*, qvòd DEUS noverit vel mille modos suos & eripiendi & salvandi, cùm nobis ne unus qvidem pateat. Majora enim præstat, qvàm credere possumus. Jacob optabat saltem videre Josephum, Pro-Regem Ægypti offendit: Israëlitæ tantùm ex servitute liberari cupiebant; DEUS opibus onustos miraculisq; protectos eduxit, atqve ita, ut hostes eorum planè occideret. David tantùm, ut sævitiam Saulis posset evitare rogabat: idem tamen illô rejectô in Regale collocabatur solium. Salomon tantùm sapientiam rogat: cum eâ divitias reportat. Sanitatem corporis expetit paralyticus, animæ salute donatur, Matth. 9. Ita hîc semper dona DEI superant cogitationes nostras. Contrarium accidit in creaturis: ubi semper spe minora deprehendimus. Vide Alexandrum Magnum: Putabat & se posse dare omnibus omnia; at à Philosophis rogatus, ut daret immortalitatem, turpiter se dabat. *3. Commonefactio:* Ne nos DEI omnipotentiam & virtutem infinitam finitis nostris circumscribamns cogitationibus, qvasi DEUS illa facere non posset, qvæ nobis fieri non posse videntur, sicut blasphemè scribit Martyr.

IV. LOC. COMM.

SI DEUS potest, qvod ex sacris literis scimus, ipsiq; experti piè credimus, spiritualiter mortuo, solô verbô reddere vitam, atqve ex damnato ad infima tartara efficere regni cœlestis hæredem: qvidnî reliqva omnia posset, & vellet dare? Roman. 8, 32. *Illi sit gloria in Ecclesiâ*

per

per CHRISTUM in omnes generationes seculi seculorum. Amen; ut cum Apostolô hoc dictum concludamus.

DOMINICA XVII. POST TRINITATIS.

Ephes. 4. vers. 3.

Σπουδάζοντες τηρεῖν τὴν ἑνότητα τοῦ πνεύματος ἐν τῷ συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης.

STudentes servare unitatem Spiritûs per vinculum pacis.

CAntic. 5. vers. 9. hæc leguntur, qvæ Ecclesia & Sponsa CHRISTI de suo Sponso effert: *Dilectus meus candore & rubore pulcher est, vexillarius è myriade.* Diligenter hoc perpendendum, cùm inde possimus discere, CHRISTI beneficium & Christianorum officium. Qvod enim ad prius spectat, ipse est pulcher; imò pulcherrimus omnium, Psal. 45, 3. pulcher verò candore, qvi color in Scripturâ notat lætitiam & felicitatem: Deinde rubore, qvi color notat sangvinis effusionem, bella, & cruentam victoriam: qvemadmodum pluribus hoc est declaratum, & ex Scripturæ analogiâ probatum, Zachar. 1, 8. & hæc satis benè huc qvadrant. CHRISTUS enim, tùm in se habet summam felicitatem, ut DEUS; tùm nobis eam promeruit & donat, ut θεάνθρωπος. Hanc enim ut nobis restitueret, oportebat eum prius suô sangvine fusô, devincere mortem ac Diabolum, indeq; suis sangvineis vulneribus contra omnes hostes triumphare, Col. 2, 14. Rom. 3, 25. Et hoc CHRISTI beneficium eos, qvi ipsi non nolunt, suæ cœlestis felicitatis ac beatitudinis æternæ reddit participes. Christianorum verò, qvi frui illô beneficiô CHRISTI omnibus partô cupiunt, officium hoc est, primùm ut eum diligant, & verè cum omnibus veris Ecclesiæ membris dicant, *Dilectus meus*: si qvis enim non amat DOMINUM JESUM CHRISTUM, sit anathema, maranatha, 1. Cor. 16, 22. Deinde ne stationem suam deserant, sed agnoscant ipsum vexillarium è myriade, hoc est, DOMINUM Zebaoth, ac præcipuum militiæ sacræ

Ducem,,

Ducem, qvem ipsi seqvantur. Ut autem in militia unicuiqve suus locus attributus est servandus, nec turbandi ordines: ita etiam hîc nobis faciendum existimemus, dum sub vexillô JEHOVÆ militamus. Id docet hôc locô Apostolus Ephes.4,3. Partes duæ:

Prior: *Res ipsa, seu Unitatis studium.*

Posterior: *Per qvod illa obtinetur medium, seu Pacis vinculum.*

PRIMA PARS.

DE Sponsâ suâ unicâ, seu Ecclesiâ, encomium hoc ponit ejus Sponsus Cant.6,9. qvòd sint de ea dicturi cum admiratione: *Qvæ est illa spectata velut aurora, pulchra ut Luna, pura ut Sol, terrifica ut vexillationes.* Est enim illa primùm spectata, seu celebris velut urbs in monte sita, qvæ neqvit abscondi, Psal.87. & qvidem in modum alicujus auroræ. Ut enim hæc non planè est tenebricosa, sicut nox, neqve planè lucidissimè splendens, ut Sol in meridie: ita Ecclesiæ lux est ratione gentium magna: siqvidem illæ in Ægypto hujus mundi Exod. 10,1. Apoc.11,8. sedent in tenebris, Esa.9. & 60. Ephes.4. Ratione verò futuræ gloriæ est parva. Unde sæpiùs dicitur in hoc ipso Cantico Canticorum, donec aspiraverit illa dies. 2. Est pulchra ut Luna, qvippe qvæ de fratris sui luce lumen sibi mutuatur, & splendorem sibi accendit de Sole justitiæ, Malach.4. Unde tertiò est pura ut Sol, per imputationem justitiæ ejus partæ. Hujus enim sangvis tollit omnem nostram impuritatem. vide Psal.8,4. Et talis est Ecclesia coram DEO: In mundo verò præcipuè contra hostes spirituales est terrifica, ut vexillationes. Ratio: qvia non tantùm in nomine DEI sui vexillis utitur, Psal.20,6. verùm etiam ipse est ejus vexillum, Exod.17,15. qvamdiu pugnat contra Amalek, hoc est, omnes, qvi Ecclesiæ creant molestiam. Hæc autem omnia, cùm dicantur tantùm de unicâ illâ, facilè intelligimus, qvàm necessarium sit unitatis seu pacis studium, ut victoria in bellô hôc obtineatur. At illud, si qvô in locô aliô, hîc diligenter hortatur Apostolus inprimis his verbis: *Studentes servare unitatem Spiritûs.* Ubi tria notanda: 1. *Ut sit unitas.* 2. *ut conservetur.* 3. *cum magnâ diligentiâ.* Sicut enim concordiâ res parvæ crescunt: ita discordiâ maximæ dilabuntur. Proinde ut Ecclesia sua salva, sarta & tecta maneant, illâ maximè opus est. Nam veluti vulpes à Simsone colligatæ caudis adjunctô torre incendebant segetem: ita etiam, qvi in Ecclesiâ non

non capite CHRISTO, sed caudâ Draconis colligati, & litium fomitem, ignemq; circumferunt, incendunt ac perdunt, qvæ in corde sata ac nata erant bona semina, Matth. 3. Idcircò qvia tantùm est contentionis damnum, sit nobis concordia commendata, qvæ hîc appellatur unitas, & qvidem Spiritûs, Spiritûs autem Sancti, ad differentiam, cùm multæ sint unitates malorum à malô & impurô Spiritu: ubi latrones, prædatores, libidinosi, uniuntur ad facinus aliqvod malum perpetrandum. Hæc autem, qvæ hôc locô reqviritur, est in, cum, & à Spiritu Sanctô sanctificante, unde ubi de officiô Spiritûs Sancti agitur in tertiô generali fidei nostræ articulo, inter alia verba habetur, Sanctorum communionem nos credere. Qvemadmodum CHRISTUS Sponsus est unus, sic etiam unam habet Sponsam Ecclesiam Catholicam, & propterea particulares, imò omnia membra in iis oportet uniri, ne divellantur à capite, dum se segregant à corpore. Hæc verò unitas, qvæ olim in Ecclesiâ primitivâ N. Testamenti fuit, Actor. 4, 32. semper est servanda, & fideliter retinenda: siqvidem

Non minor est virtus, qvàm qværere parta tueri.

Τηρεῖν autem, qvod est per aphæresin ab Hebræô בָּטַר, notat propriè, accuratè custodivit, ut ille, qvi excubias agit, ad carceris januam. Confer Act. 4, 3. & cap. 5, 18. & cap. 24, 23. & cap. 25, 4. qvomodo hôc verbô vigilantia reqviritur, & contrà somnus omnis ac socordia abigitur. Qvod porrò etiam vocabulum σπεύδοντες innuit, cujus emphasis est, ita alicui rei studere, ut ad eam omni impetu feraris & appropéres, qvandoqvidem est à σπεύδω, hoc est, *festino*, vel *propero*, qvomodo Apostolus in hôc præceptô consentit cum illô Davidis, Psalm. 34, 5. *Require pacem, & sectare eam.* 1. Petr. 3, 11.

I. LOC. COMM.

DEUS unitatis, concordiæ & amoris autor est; Diabolus autem discordiæ & litium. Unde CHRISTUS Princeps pacis, Esa. 9. imò Pax ipsa, Mich. 5, 5. Diabolus autem שָׂטָן, hoc est, Adversarius, Zach. 3, 1. appellatur. Imò regnum DEI est pax & gaudium in Spiritu Sanctô, Rom. 14, 17. In arca Noæ, qvæ erat qvidam typus Ecclesiæ, 1. Pet. 3. non solùm arctè inter se compingebantur omnes trabes & asseres; sed etiam exteriùs inungebâtur pice, ne fatisceret: Sic etiam necessarium est in Ecclesiâ, ut omnia vera ejus membra non tantùm inter se sint

coagmentata, Ephes. 2, 21. & cap. 4, 16. verùm etiam concordiæ glutine exteriùs colligata, ne pessum eant in mari hujus mundi. Atqve ut contra omnes procellas possit consistere, non tantùm ædificata est supra petram; sed etiam civitas optimè constructa, & inter se coagmentata pariter, Psal. 122, 3.

II. Loc. Comm.

UNitas Spiritûs dum appellatur, id revocat nobis in memoriam: Ecclesiam esse per se velut corpus exanime, nisi à Spiritu Sanctô, suô tamen modô, velut corpus à spiritu, seu animâ movetur, animetur; ut enim in initio & creatione rerum ipsa res velut gallina incubando fovebat ac perficiebat: sic in recreatione homo in se consideratus, respectu motuum spiritualium est terrea velut statua, qvæ denuò à Domini Spiritu vivificatur, Rom. 8, 10. 11. & ubi est, ibi est libertas, cum qvâ re confer typum ossium Ezech. 37. Ut enim per illa notatur domus Israëlis, vers. 11. & qvidem jam in captivitate detenta, v. 12. sed per Spiritum Domini in suam terram reducenda, ibidem vers. 14: Sic sunt omnes homines à DEO ejusq; Spiritu non renati ossa arida, sine nervis, sine cute, sine animâ. Verùm illo spirante recreantur, Psal. 104, 30.

III. Loc. Comm.

VUlgatum est dictum à Græcis ortum: *Amicus est bonus thesaurus*; verùm ei, qvi novit servare. Longè rectiùs dicemus nos: Amicitia, concordia, & pax Christiana, optimæ res sunt: sed illi, qvi novit servare; siqvidem Diabolus, mundus, & caro nostra semper insidias nobis struunt, qvomodo eum thesaurum intercipiant. Qvod cùm scimus, sedulò servemus hoc tantum bonum, ne tùm demum id intelligamus, qvando amisimus. Qvamdiu columnæ simul domum sustentant, firmiter illa consistit, demptâ unâ, corruit, Judic. 16. Sic etiam, si unum post alterum lapidem ex ædificiô hôc spirituali tollis: unitas perit, nisiq; resarciantur à DEO hæ ruinæ, lapides illi fiunt reprobati, Actor. 15, 16. Amos 9, 11. Unitas ergò Ecclesiam DEO commendat, politiamq; stabilit, Psal. 133. œconomicum statum beat, Syr. 25, 1. & 2. & ubiqve ædificat, 1. Cor. 8, 1. Qvis verò est, qvi nolit hanc benedictionem ac DEI gratiosam præsentiam? Si vult ex animô, potitur cupito, si unitatem ac charitatem servat: qvia DEUS est charitas, 1. Joh.

1.Joh.4. Qvæ autem servare volumus, solemus arcæ includere. Nos si servare eam volumus, necesse est, ut concluſam eam habeamus, non in ore, aut labiis, sed in scriniô pectoris, 1.Joh. 3,18.

IV. LOC. COMM.

UNitas hæc ut servetur cum aliis, non cunctandum; sed juxta illud CHRISTI: *Esto benevolus litiganti adversus te citò*, Matth.5,25. & qvia hæc unitas est inter homines, velut fera fugiens: Celeri gradu prosequamur, ac comprehendere ut valeamus, reddamur in fide aqvilis leviores cum Jonathane, diligente Davidem ex animô, 2. Sam.1,23. Et sic cum Mariâ transeamus per hos incultos mundi montes in civitatem Judæ, ubi sunt veri confessores, salutatum ac visum Elisabetham, seu DEI reqviem, μετὰ σπουδῆς, cum magna festinatione ac studiô, Luc. 1,39.

SECUNDA PARS.

POrrò autem, qvô mediô tàm insigne donum ac κειμήλιον cordi alligandum? Apostolus id vocat vinculum pacis, σύνδεσμὸν vocat, à σύνδέομαι, qvòd multa sint simul in unum fasciculum colliganda, ac simul servanda, & qvidem illa, qvorum unum altero indiget ad sui conservationem. Qvemadmodum omnia membra corporis per unum vitalem Spiritum uniuntur: ita etiam corpus CHRISTI mysticum ex CHRISTO capite per compages, commisſuras, ac connexûs compactum atqve suppeditatum sumit augmentum, Col. 2,19. Et legere est apud Livium, qvòd sapiens Romanus unicô illô de membrorum humani corporis discordiâ Apologô seditionem civium sedaverit: Sic multò magis omnis contentio ac lis Christianorum hâc ratione tolli planè debet, qvòd omnes sint unum corpus, & ipsi inter se charitate vinciendi, cùm illa sit perfectionis vinculum, Col.3,14. Huic autem valdè affine est hoc, de qvo hîc agimus, pacis vinculum, pacis, qvæ apud Græcos εἰρήνης nomen habet, qvasi εἰς ἓν ῥεῖν, ad unum confluere omnia meritò debeant, ad unum, puta DEI gloriam & proximi utilitatem. Pacis enim vinculum est valdè longum, qvod & ad cœlum usq; pertingit, dum habemus non tantùm pacem apud DEUM supra nos, qvi sumus pacifici, sed etiam intra nos: qvia qvi amat fratrem, scit, se ex morte transiisse in vitam, & in omnes orbis angulos, dum indigentia nostra, nostra opera, & omnem proximum nobis copulat, ut cum omnibus pacem colamus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730469042/phys_0295
DFG

I. LOC. COMM.

QVisqvis cupit, ut ipsius anima tandem sit in fasciculo viventium ligata apud DEUM, 1.Sam.25,29. & ipse in consummatione seculi cum triticô DEI colligatur in cœli horreum, Matth.13,30. videat, ut sit in hac vita in fasciculo pacem servantium. Si qvis enim funis seu vinculum triplicatum non facilè rumpitur, Eccles.4. hoc certè nunqvam solvitur, cujus primum filum est vinculum fidei & cognitionis, qvô corda nostra DEO & cœlo qvasi alligantur, qvòdq́; nos servat in generali hujus mundi πανολετρίᾳ: qvemadmodum olim funiculus fili dibaphi, ligatus in fenestrâ domûs, conservabat Rachab ejusq́; cognatos. Confer Jos.2,18. Hebr.11,31. Alterum filum est vinculum charitatis & fraternæ dilectionis, qvô DEUS totum genus humanum inter se velut devinxit, id qvod hôc locô tantoperè commendatur, atqve aliàs sæpè in Lege præcipitur: verùm qvô nolunt constringi improbi, Psal.2. Tertium filum est vinculum crucis & Christianæ afflictionis, de qvo sæpè in sua persona Paulus, & ex qvibus se liberari ait David, Psalm.116,16. qvodq́; verus Simson tandem solvet, ut iste suos funes, qvibus erat constrictus, Jud.16.1.Cor.15. qvemadmodum illa tria conjungit, & tantùm non contortuplicat Lutherus noster in margine ad Micham cap.6. Glauben/Lieben/Leiden. Suntq́; velut annuli in qvâdam catenâ, ac insigni Christianorum κειμηλίῳ connexi, ut ubi unum non est, ibi nec reliqva invenias. Nam qvi diligit DEUM, diligit & fratrem, CHRISTUMq́; patientem imitatur. Proinde hoc vinculum amoris servemus in his terris, ut olim præmium honoris reportemus in cœlis.

II. LOC. COMM.

PAX vel est divinitùs parata, vel in piis nata. Illa CHRISTI, hæc Christianorum: utraqve ad unitatem Spiritûs servandam reqviritur. Si qvis enim nondum DEO est reconciliatus per CHRISTUM, filius DEI nondum est, neqve frater Christianorum: pacem nondum habet apud DEUM, nec cum Angelis aut Sanctis, cùm omnis concordiæ fons sit, vel cognatio, vel eorundem bonorum possessio, studiorumq́; tractatio. Cùm verò renati sciamus unum nobis in cœlo esse Patrem, eandemq́; hæreditatem repositam: huc animis pariter contendamus, huc factâ pace feramur, memores præcepti, qvod dedit

dit nobis frater noster: Ne contendatis in via ad vitam. Qvod ipse toties in via ad mortem suis inculcavit, Joh. 13. Huic obsequvuti tandem ex turbis ad qvietem, ex discordiâ & bellô ad pacem æternam veniemus.

DOMINICA XVIII. POST TRINITATIS.

1. Corinth. 1. vers. 9.

Πιστὸς ὁ Θεὸς, δι' οὗ ἐκλήθητε εἰς κοινωνίαν τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν.

FIdelis DEUS, per qvem vocati estis in consortium Filii ipsius JESU CHRISTI DOMINI nostri.

QVantum damni in bellis dat Ducum infidelitas: tantum emolumenti, DEO benedicente, adfert fidelium industria. Infidelitas autem illa non tantùm consistit in socordiâ: verùm etiam in neglectu vocationis divinæ, qvâ qvia carebant Abimelech, Theudas, Judas, Galilæus, & alii, neqve ipsi, qvod petebant, adepti sunt, neqve iis, qvi ipsis adhærebant, promissa præstitêre. Contrà verò Josuam ex DEI mandatô populo Israëlitico præfectum advocâsse omnes, obedientes fideliter rexisse, atqve in terram promissam deduxisse, sacra narrat historia. Verùm utut fuerit fidelis Dux Josua, fidelior tamen, & longè melior Dux est JESUS Salvator noster; Ille à DEO peculiariter ad hoc officium fuit vocatus, Jos. 1. Hic à Patre suô cœlesti Pontifex, Sacerdos & Rex noster fuit constitutus, Psal. 2. Ille, qvod ex DEI promissô pollicebatur, videlicet terræ sanctæ possessionem, tandem præstitit: Hic verò ipsius cœli hæreditatem. Ille in militiâ sedulam sibi præeunti navantibus operam, qvietem temporaneam: Hic omnibus credentibus, & sequentibus vocationem divinam, æternam parat. Seqvamur itaqve, qvò Dux ille vocat. Non pœnitet esse sequvutum. Utut enim nos simus infirmi; fidelis est, qvi vocat, qvi etiam faciet, 1. Thess. 5, 24. Psal. 37. 2. Cor. 12, 9. ut infirmitate nostrâ potentia ejus perficiatur. Qvæ est summa hujus dicti, qvod nunc ex 1. Cor. 3, 9. tractabimus.

Partes ejus esse possunt duæ:

I. DEI in vocando fidelitas.

II. Nostra in CHRISTO cœlestium bonorum societas.

PARS PRIOR.

GEnes.9.v.27. Noachus benedicens suis filiis morigeris, eorumq; natu maximo Japheto, Gen.10, 21. (unde gentes, præcipuè in Septentrionalioribus locis degentes, ortæ sunt, ibidem v.2. & 5.) interaliam elegantem in textu Hebræô paronomasiam adhibens, dicit: *Alliciet DEUS Japhetum, ut habitet in tentoriis Schemi,* id est, DEUS tandem Japheti posteritatem, seu gentes Ecclesiæ Judæorum cooptabit; sicuti factum esse legimus Ephes.2. Inter has gentes etiam erant Corinthii, qvotqvot DEUS ad Ecclesiæ gremium per Evangelii prædicationem allicere voluerat, qvibus Paulus ex animo gratulatur, omniaq; feliciter successura pollicetur, si modò ipsi à DEO non resilierint, cùm DEUS sit fidelis, qvi vocaverit, & vocatos ac secutos confirmet. In his verbis verò, qvæ ad priorem partem spectant, habetur hominum inconstantia, & DEI fides. Nostra à DEO abalienatio, & ab ipsô facta ex gratiâ advocatio. Propterea enim, qvòd homines, ex levitate à lapsu protoplastorum sibi innata, facilè promissa rescindunt, neqve eam servent unitatem corporis spiritualis, in qvam per Baptismum sunt adoptati, Apostolus tàm sollicitè hîc monet, videant, ne promisso brabeio suâ negligentiâ excidant, id enim si fiat, non in DEO, verùm in iis ipsis culpam residere: cùm DEUS sine dubiô sit fidelis, 1.Cor.10,9. faciatq; id fieri, qvod dictum est, (unde fidem nonnulli dictam esse putant) cùm JEHOVA dicat & faciat, Ezech. 17,24. & 22,14. & 37,14. Qvòd verò hic illud, qvod promisit, sit præstiturus, reipsâ ac opere, inde patet: qvia nos seriò ad se vocavit, qvando eramus ignari bonorum nobis apud ipsum repositorum. Si enim nos non vellet esse participes eorum, nunqvam advocâsset, cùm invidus alterum ad boni communionem non vocet, nec modum ejus adipiscendi ostendat, verùm omnibus viribus arceat; jam verò, cùm vocaverit sine fucô ac fallaciis, (qvæ in DEUM justum ac veracem prorsus non cadunt) qvid aliud concludere possumus, qvàm qvòd libenter ea notis donaturus sit.

I.Loc.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730469042/phys_0298
DFG

I. LOC. COMM.

DEI hoc est encomium proprium, servare fidem, Psal.33,4. Esa.11,5. & cap.33,6. Thren.3,23. Ose.2,20. Roman.3,3. Nam ex filiis hominum maximâ ex parte defecerunt veraces ac fideles, omnesq; duplici corde loqvuntur, Psal.12,2. & 3. qvos JEHOVA abominatur, Syr.2. Et, si severè prohibuit, ne suus populus in agro uno sereret duo seminum genera, aut se obtegeret vestimento duum generum, Lev.19,19. qvantò magis prohibet ac detestatur ille simplicissimus, si qvis agrum cordis duplicibus & contrariis DEI ac mundi placitis simul obserat, & simul agni ac lupi pellem induat. Infidelitatem hanc odit ille fidelis. David homo de se gloriatur, suos oculos attendere ad veraces terræ, ambulantemq; viâ integrâ ministraturum sibi, Psal.101,6. & 7. qvantò rectiùs competit hoc illud Regi Regum.

II. LOC. COMM.

SI DEUS est fidelis: qvid promittenti diffidimus in promissis bonis? præstitit Noacho cum suis in aqvâ; Loto in igne; Davidi inter hostes, qvam promiserat incolumitatem; populo suo in desertô cibum ad saturitatem. Ipse enim fidelis manet, seipsum abnegare neqvit, 2.Tim.2,13. Qvid item minanti mala credimus? 1.Sam.15,29. Intulit pœnas, qvas prædixit ante-diluvianis, Sodomitis, Sauli, Nebucadnezari, Sennacherib. Porrò autem, si DEUS Pater noster fidelis est, qvomodo erimus ejus filii, si aut ipsi, aut proximo infideles reperiamur? Dicet de nobis cum indignatione, qvod de Israëlitis ingratis Deuter. 32,20. Abscondam faciem meam ab illis, sunt enim generatio perversitatibus dedita; filii, in qvibus non est fides, ad qvam tamen oculi mei spectant, Jerem.5,3.

III. LOC. COMM.

SI DEUS nos vocavit, vocavit seriò: qvia simulare non potest, cùm totâ die extendat manûs ad populum rebellem, Esa.65,2. velit congregare eos, qvi nolunt, Matth.23. Vocet renuentes, Proverb.1. desleat pereuntium interitum, imò cupiat, ut salvi fiant omnes fines terræ, Luc.19. Esa.45,22. Blasphemia itaqve est maxima eorum, qvi dicunt, DEUM offerre qvidem extrinsecùs verbo salutem, eandem tamen dare nolle plerisqve. Nos potiùs animet hoc Apostolicum, DEUM esse, qvi vocavit nos, & hunc esse fidelem, hoc est, posse, qvia

DEUS,

DEUS est, velle, qvia fidelis est, nos, modò ipsi non nolimus, salvare. Si parùm dicenti adhuc credimus; ecce jurat Ezech.18. & 33. Herodes vulpes juramentum malè datum non vult violare, & DEUS fidelis id frangeret? O impudens os Calvinianorum, hoc asserentium! Josua ob juramentum temerè præstitum Gibeonitas salvabit, & noster JESUS juratus nos perderet? nunqvam faciet, Hebr.6,16.&17.

IV. LOC. COMM.

SI hôc locô particula ἀπὸ notat causam efficientem, omnium consensu constat, qvandoqve eam ita accipi in Scripturâ, ac falsum esse illud Arrianorum ac Photinianorum, qvod semper significet causam instrumentalem, cùm sæpè occurrat pro ex, vel à. Confer ad Rom.1,5. & cap. 15,5. sicut ב apud Hebræos, unde hoc loqvendi genus in Novô Testamentô, Proverb.8,15.16. Qvin & ἐξ & CHRISTO tribuitur, Eph. 4,16. Col.2,19,

POSTERIOR PARS.

HÆc est DEI vocatio. Qvæ verò vocationi fideliter obedientium exspectatio? Cœlestis gloriæ hæreditas, seu cum ipsô DEI Filiô bonorum societas. Non enim vocati sumus à DEO ad magnas divitias terrenas, qvæ facilè pereunt, Matth. 6. Non ad voluptates fœdas, qvarum extremum luctus, Proverb.5.&7. non ad honorem mundanum, qvi planè res nihil, Galat.5,26. Phil.2,3. Sed εἰς κοινωνίαν ad communionem ac societatem omnium suorum bonorum, (qvæ certè sunt immensa, ut ipse est) qvùm nos voluit esse per vocationem fratres, hæredes ac cohæredes, Rom. 8, 17. Gal. 4,7. Filii sui ab æterno geniti, cujus sunt omnia, cuiq; etiam secundùm humanam naturam eadem in tempore dedit, Psal.8,7. Joh.13,3. siqvidem non juxta unam naturam est, vel rectè dici potest simpliciter JESUS CHRISTUS, qvemadmodum hîc appellatur. JESUS enim notat Salvatorem: Salvator autem non est vel juxta divinam solam, vel juxta humanam solam, sed secundùm utramqve naturam. Unde Filius DEI; sed natus ex Mariâ virgine JESUS vocatur, Matth.1. & CHRISTUS divinitatem ungentem, & humanitatem unctam, simul complectitur; qvomodo etiam secundùm utramqve naturam illa tria CHRISTI, seu uncti officia, Prophetæ, Regis, & Sacerdotis administrat, & sic juxta utramqve naturam est noster, imò omnium rerum DOMINUS, licèt non eôdem mo-

modô; Qvâ DEUS enim, ex natura ſua, qvâ homo, in unitate perſonæ τῦ λόγυ per gratiam unionis. Unde non tantùm eſt Dominus natus, ſed & factus, Actor. 2. & hoc omne propter nos, ut nobis cœleſtem gloriæ hæreditatem Deus Pater daret, Rom. 8, 32.

I. Loc. Comm.

DIſcimus, qvanta ſit dignitas eſſe Chriſtianum, nempe ſumma omnium, qvæ rebus creatis competit, conjunctam enim communionem bonorum omnium cœleſtium habet. Mephiboſeth valdè exaggerat Davidis in ſe clementiam, qvòd bona patris ſui ſibi reddiderit, ſeq; Regiæ menſæ adhibuerit. Nos rectiùs poſſumus prædicare hanc immenſam Dei gratiam, qvòd non tantum noſtri primi parentis Adami amiſſa bona reſtituat in reparatione imaginis ſuæ, nec tantùm ſuæ menſæ in hac vita, in ſacra Cœna, 1. Cor. 11. verùm etiam in alterâ vitâ in æternum aſſidere faciat, Matth. 8. Qvod gaudium nullius Diaboli calumnia temerare, aut eripere nobis poteſt: ut cùm Ziba Mephiboſetum ad Regem deferret, parùm aberat, qvin bonô tantô privaretur. 2. Sam. 9. & 19. Noſtrum autem gaudium nemo tollet à nobis. Regina Sabæ ſervos Salomonis beatos prædicat, qvòd gloriam ejus videant, ſapientiam audiant: Qvid dicemus nos de nobis, qvando noſtri Salomonis, qvi illo infinitis modis major, Matth. 12. gloriam participamus, & ſapientiam haurimus, utpotè ejus σύσσωμοι, συγκληρονόμοι, συμμέτοχοι, Epheſ. 3, 6. & hæc κοινωνία eſt longè major arctiorq;, qvàm ulla alia ſocietas. Communio eſt qvidem in mundanâ urbe aliqvâ civium, qvando iisdem fruuntur privilegiis: Verùm hîc in civitate Dei Pſal. 46. eadem dignitas, & eadem bona ab omnibus poſſidentur. Sunt enim fratres Christi filiiq; Dei, imò cùm nulla arctior ſit communio, qvàm maris & fœminæ: neqve illa hîc abeſt: ſiqvidem Eccleſia eſt Christi Sponſa, cui is omnia bona ſua communicat, & contrà ejus omnia mala in ſe recipit, atqve ita tollit.

II. Loc. Comm.

REx ac Dominus Eccleſiæ Christus eſt, illi igitur viciſſim ſerviamus, non otiemur, neqve contra illum rebellemus, ne ut ſervi immorigeri ex regno ejus ejiciamur. Vide ſervum inutilem, Matth. 25. v. 26. 27. Conſidera Gehaſi ſervum Eliſæi contra heri ſui mandatum

facientem, ac leprâ idcircò percussum, 2. Reg. 5, 27. aspice aulicos ministros Ahasveri, Esther. 2, 23.

III. Loc. Comm.

ALius filius DEI est per generationem æternam, ut solus CHRISTUS, Psalm. 2. alius per creationem, ut Adam; alius per recreationem, ut omnes pii. Ille est naturalis, iste creatus, hi adoptivi, & proinde de bonis iisdem participant, ut filii Josephi, qvos in suos adoptavit Jacob, Genes. 48. Manasses & Ephraim: ita etiam nos simus Manassæ in obliviscendo rerum terrenarum, Phil. 3. & Ephraimo inferendis fructibus spiritualibus similes, Joh. 15. Ita etiam nobis cedet portio de terrâ promissâ & de bonis cœlestibus, Joh. 15.

DOMINICA XIX. POST TRINITATIS.

Ephes. 4. vers. 22.

Ἀποθέσθαι ὑμᾶς κατὰ τὴν προτέραν ἀναστροφὴν τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον, τὸν φθειρόμενον κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης.

DEponere juxta priorem conversationem veterem hominem, qvi corrumpitur juxta concupiscentias erroris.

GEnes. 41. v. 14. Josephus à Pharaone vocatus eiq; obsequutus ex carcere educitur, anteqvam ad ipsum adducatur, vestes mutat, & sic Pro-Rex Ægypti creatur. Nos omnes comparari cum Josepho possumus, tùm ratione nostri exilii, tùm ratione DEI consilii. Illius, qvatenus omnes sumus sub peccatum in Ægyptô hujus mundi venditi, & in durissimâ captivitate Diaboli mortisq; tenemur: hujus respectu, qvatenus DEUS id permisit, ut majus bonum inde eliceret, ut possimus de primis nostris parentibus cum Josephô dicere, ex Gen. 50, 20: *Vos induxistis super nos malum, sed DEUS cogitavit illud in bonum convertere, ut faceret, sicut est in die hoc, conservando* (per filium suum mortuum) *in vitâ populum multum*. Nos igitur

tur ſumus tales Joſephi, hoc eſt, illi, qvibus DEUS beneficium beneficio addit, qvos ſemper auget ac ditat, ſi modò cum Joſepho vocati ad hunc Regem compareamus, qvi verè eſt Pharao, id eſt, liber, non tantùm qvia ipſe eſt ens liberrimum; verùm etiam, qvia nos liberos facit, Joh.8. ex carcere qꝫ educit, Zachar.9. Oſ.13. Anteqvam verò ipſi poſſimus noſ ſiſtere, (Epheſ.5.) ita ut placeamus, oportet nos priùs veteres veſtes, qvibus in captivitate degentes eramus induti, exuere, velut, de tenebris in lucem, de nocte in diem protracti, Roman. 13. Si enim ad Reges Ægyptios Gen.41,14. c.50,4; & Aſſyrios, Eſtheræ 4,2. nemini patebat aditus cum cilicio aut veſte lugubri, eò qvòd mali ominis aliqvid hoc videretur portendere, ſed priùs deponenda illa fuit, & tùm accedendum: multò magis ad Regem Regum, DEUM videlicet, ejuſqꝫ palatium cœleſte nemo admittitur cum veſte ſordidâ; ſiqvidem nihil inqvinatum aut pollutum ingreditur ſanctam illam Jeroſolymam, Apoc.21,27. Inqvinati igitur cùm ſimus Eſa.64,4. deponenda priùs nobis eſt veſtis illa lacera, & abominanda, de qva Jobi 9,30.31. Eſa.64,6. Jerem.2,22. Qvod ſi rectè divinâ adjuvante gratiâ fecerimus, Reges cœli conſtituimur: ſiqvidem ſumus cum CHRISTO regnaturi, Rom.8. Hoc itaqvè probè diſcamus in terris, qvod nos perducat ad cœlos, & in illis perduret. Ad hoc ſollicitè hortatur Apoſtolus Epheſ.4,22. Partes duæ:

I. *Res ipſa, hominis veteris hîc incipienda totalis depoſitio.*
II. *Ejus cauſa, metuenda ejusdem finalis corruptio.*

PRIMA PARS.

QVando Salvator noſter ex mortuis reſurgebat, ſudarium & linteamina reliqva, qvibus erat ſangvinolentus involutus, qvæqꝫ erant maculata in ſepulchro convoluta, relinqvebat, nobis proponens exemplum, qvando ſpiritualiter mortui, Epheſ.2. à DEO excitamur, Joh.5. ut peccati ſordes in ſepulchro mundi relinqvamus, & cum CHRISTO reſurgamus Chriſtiani puri & immaculati, noſtraqꝫ peccata cum ipſo crucifixa & ſepulta maneant, ut Apoſtolus pluribus hoc explicat Rom.6. ſed qvod ibi in exemplô, hîc præceptô parabolicô explicat, ſumptâ à veſtibus metaphorâ, ut dum illas qvotidiè induimus atqꝫ exuimus, hujus admonitionis ſimus memores, qvæ ita habet: Vos Epheſii jam renati qvidem eſtis, ſed ita tamen, ut multæ peccati reliqviæ

liqviæ vobis adhæreant; imò multis flagitiis qvandoqve polluamini; Decet igitur vos, ut qvod in laceris malèq; cohærentibus vel pollutis veſtibus facitis, ſi qvandoqve eſtis prodituri in publicum hominumq; honeſtorum conſpectum, priùs eas exuatis, ſordesq; faciei & manuum abluatis, ad ſpeculum vos ipſos contemplantes, Jacob. 1. ita etiam qvotidiè in DEI & omnium ſanctorum Angelorum conſpectu oraturi prodeuntes, ad ſpeculū Legis accedatis, ac cùm ibi veſtros nævos animadvertiſtis, de illis abluendis ſeduló cogitetis, Eſa. 1. Joh. 13. 1. Joh. 1. Mal. 3. deq; veſtibus mutatoriis vobis proſpiciatis; deponatis, inqvam, priùs ſordidam illam Adami tunicam ſangvine & pædore ſqvallentem. Qvæ verò illa? Vetus homo, id eſt, qvicqvid ex corruptâ naturâ mali nobis adhæret, qvicqvid putredinis ex illâ vetuſtâ arbore & radice, unde progerminâſtis rami, vobis ineſt, ſtudete, ut paulatim imminuatur. Et ſi vultis, ut qvasdam particulas hujus pannoſi pallioli vobis demonſtrem, agite, verſ. 25. 26. 27. Col. 3, 8. & 9. illas explicabo; ut paucis dicam: eſt ignorantia in intellectu, in voluntate pravitas, & malitia in omnibus affectibus, qvibus nomen veteris hominis tribuo, non tantùm qvia ab Adami lapſu, qvi jam olim factus, proveniunt, verùm etiam, qvia homo ſtatim ſimulac naſcitur, iis eſt infectus, & ſic vetus novô homine, qvi in regeneratione datur, prior eſt; imò etiam reſpectu prioris veſtræ vitæ, juxta priſtinam converſationem, ſeu id omne, qvod hactenus cogitâſtis, voluiſtis, egiſtis, & qvocunqve vos convertiſtis ex inordinatô appetitu, hinc jam deinceps vos avertite, & ad DEUM veſtrum revertimini.

I. Loc. Comm.

RENovationis opus in hac vita nunqvam abſolvitur, ſed de die in diem etiam renati renovantur, 2. Cor. 4, 16. qvi dum hanc vitam vivunt, ſemper vetuſtatis & carnis aliqvas ſaltem reliqvias ſecum circumferunt, qvemadmodum Iſraëlitæ, dum erant in deſertô, & viâ ad terram ſanctam, ſemper ſuas veſtes & calceos, qvibus in Ægypto erant induti, geſtabant, Deuter. 29, 5. Ita etiam, qvi ſunt ex fide Iſraël, Rom. 9. Galat. 4. qvamdiu deſertum hujus mundi, in qvo ſunt omnis generis feræ, perambulant, ac in cœlum contendunt, ſpuriis ſuis laciniis ſunt induti, nec priùs totaliter deponunt, qvàm in ſanctæ terræ antitypum, ſeu cœlum ipſum ſunt introducti, Pſal. 95. Et ut non priùs

ab

ab omnibus hostibus internis erant Israëlitæ liberi, qvam David arcem Sion & Jerosolymam occupaverat, suamq; Regiam eò transferebat: ita etiam ab hostibus nostris internis & externis 2. Cor. 7, 5. infestamur, donec tandem noster David, ac unicè dilectus DEI Filius nos adducat in supernam illam & ex cœlo descendentem Jerosolymam. Confer 2. Sam. 5. Eph. 5, 27. Apoc. 21.

II. LOC. COMM.

SEmper tamen studendum, ut paulatim aliqvid detrahamus, de prava concupiscentiâ, dum ad DOMINUM gloriæ properamus, non amplius cum rebus fluxis circumvagemur, sed pedem figere tentemus. Ut enim flumina, cùm jam ostium, qvô in mare defluunt, contigêre, minimè fluxa apparent, sed fixa ac stantia videntur: Ita etiam homines, qvo propius ad omnis boni fontem infinitum perveniunt, consistere conentur.

III. LOC. COMM.

QVæ gravant, deponimus: jam verò nil magis gravat hominem, qvàm hominis veteris pigrities ac tarditas. Senes enim plerumqve tales evadunt, & proinde si cupimus digni ad montem DOMINI accedere, relinqvamus pigrum servum, & tardum asinum infra montem, Genes. 22. neq; enim DEUS sinet, ut impunè is montem sacrum attingat, Exod. 19.

IV. LOC. COMM.

CONsvetudo est altera natura, & rectè in nobis prava peccandi consvetudo corrupta natura dicitur. Unde intelligimus, qvàm difficile sit à consvetis abstinere: Mortis instar est. Unde dicuntur carnem suam cum concupiscentiis crucifigere, qvotqvot illis resistunt, Gal. 5. Vide Israëlitas in deserto, ubi Mannâ cibabantur, porrum & cæpe Ægyptiacum postulantes.

V. LOC. COMM.

IN mundo omnia sursum, deorsum feruntur, & ubiqve est varia ἀναστροφή, non verò qvies, nisi in salutari ad DEUM ἀναστροφή, fugâq; ad montem excelsum, qvemadmodum arca Noë tandem in monte qviescebat, Gen. 8. Contrà si in declivi aliqvâ convalli substiterimus, facilè rebus humanis adhæresscimus, & ab illis dementamur, sicut Loto accidisse legimus Genes. 19.

SECUNDA PARS.

ISraëlitæ ex Ægypto exituri ad montem JEHOVÆ, fermentum ibidem relinqventes, tamen azymam masſam ſecum aſportabant: Nos ex mundô hôc ad DEUM tendentes, fermentum vetus malitiæ everrentes, tantùm in azymis ſynceritatis ac veritatis vivamus. Conf. Exod. 12. 1. Cor. 5. Ibi ſi qvis fermentum guſtaret, metus erat, ne exſcinderetur ex ſuo populo: hîc, ne extrudamur ex filiorum DEI numero. Hanc enim cauſam hujus tam ſedulò injunctæ depoſitionis veteris hominis Apoſtolus ſubjicit, cùm ſciat, qvòd non facilè homines ſint demiſſuri, tàm gratum & veterem hoſpitem, niſi viderint, eum eſſe ipſorum acerrimum hoſtem. Cùm igitur nemo tàm perversè malus ſit, ut ſciens velit ſui corruptionem, (ſemper enim aliud qvoddâ phantaſma homines deludit in malis ſub ſpecie boni, ſicut patet in luxuriosis, iratis, atqve omnibus adeò nefariè peccantibus,) monet Paulus, niſi illud peccati fœtidum acetum effundatur, futurum ut vas ipſum ſimul totum corrumpat. Deponite veterem hominem, inqvit, corrumpentem, cùm ſit corruptus ipſe. Qvid ab eô aliud expectes? Putris arbor malos fructus profert, amarus fons dulcem liqvorem non effundit. Dicis, attamen jucunda & dulcia ſunt, qvæ ex illius veteris hominis inſtinctu appetimus; omninò talia videntur: qvia illæ ipſæ pravæ concupiſcentiæ ſunt eſca, qvâ infernalis auceps Pſal. 91. homines illicit, & in rete ſuum pertrahit. Illæ ſunt, qvarum auxiliô corruptio iſta peſſima peragitur, corrumpit enim juxta concupiſcentias non veri, ſed apparentis boni, & eas, qvæ decipiunt, ac ludunt, dum pro Junone, qvod ajunt, nubem ſupponunt; Non ſecus atqve aves, feræ, aut piſces putant egregium bolum ſe auferre, qvum eſcam appetunt, aut hamum vorant, decipiuntur plurimùm, cum vitâ ipsâ emant voluptatem breviſſimam, non ſatis omnia providentes; Sic etiam homines tenebris obſcuratum habentes intellectum in vitâ hâc res non ſatis perſpicuè vident. Confer Marc. 8, 24. 25.

I. LOC. COMM.

DIſcimus, qvisnam ſit peccati fructus, videlicet æternum exitium, qvod ſicut comminatus eſt DEUS verisſimè, ita exſeqvitur potentisſimè, niſi per Filium inde liberemur. Fugiat igitur flagitium & crimen, qvi cupit effugere ſupplicium, & inferni limen. Nihil enim certiùs,

tiùs, qvàm qvòd vetus homo tandem corrumpat ac corrumpatur; (utrumqve enim notare potest verbum Græcum φθειρόμενον, unde id Syrus Interpres passivè vertit) exemplum vide in ante-diluvianis. Ubi qvando omnis caro corruperat viam suam, Genes. 6. etiam DEUS propterea totum terrarum orbem aqvis corrumpebat. Magna scilicet illa fuit miseria, longè major tamen, animâ & corpore in igne infernali æternùm corrumpi. Unde infernus dicitur perditio, Matth. 7, 13.

II. LOC. COMM.

PEccati dominium est, qvando concupiscentiis nostris sine ullô frænô indulgemus, ut patet in Cainô, qvi, cùm vindictâ bonum vitâ jucundius ipsâ, mortem fratris concupiscit, & perficit, etiam se in perpetuum errorem miser conjicit. Concupiscentia erga Bathsabeam accendit Davidem; non refrænans in malorum Iliada se præcipitat, sicut etiam ejusdem filius Ammon. Regnum patris concupiscit Absolom, & seipsum ita perdit. Divitias multi temerè concupiscunt, & propterea thesauros cœlestes amittunt. Deniq; nullum peccatum est, qvod non ex pravâ concupiscentiâ, velut ex fonte malô scaturiat, Jacob. 1. Qvocunqve igitur animus noster sine DEI ductu inclinat, id omne semper sit nobis suspectum, qvasi malum, qvia concupiscentia eò invitans est mala, & cœca cœcos ducit.

III. LOC. COMM.

PEccatum Hebræis dicitur ab aberrando, qvòd aberretur per istud à scopo, sicut & Græcis, qvia & inde ortum, qvòd protoplasti prorsus à suô aberraverint scopô, & omnis homo, dum sub imagine boni aliqvid appetit, & contra DEI mandatum peccat, finem suum non attingit: Ratio, qvia intellectus cœcus, voluntas à summô bonô, DEÔ nimirum, aversa. Non secus ac Sodomitæ percussi scotomate, ostium invenire non poterant: Ita etiam homines suis libidinibus, qvemadmodum & illi irretiti & excœcati, viam & ostium ad cœlum ipsamq; beatitudinem invenire non valent, sed, qvemadmodum in aliô qvôdam exemplô videre est, semper errant. Ut enim exercitus Regis Syriæ, cùm esset capturus Prophetam, ipse scotomate percussus capitur, ac Samariam deducitur, ubi demum illi aperiuntur oculi: Sic etiam pleriqve homines, & qvasi exercitus maximô q; numerô, qvi in palatiô hujus mundi ejus Principi serviunt, dum hoc agunt, ut ex mandatô

datô sui Ducis seu Diaboli pios persequantur, ipsi capiuntur, & in carcerem infernalem custodiamq; æternam, unde Græcis φυλακὴ dicitur infernus, Matth. 5,18. deducuntur, ubi demum ipsis cum divite epulone Luc. 16. aperiuntur oculi, ut & piorum felicitatem, & suam miseriam videant. Ita nimirum omnia peccata sunt ἀπθυμίαι τῆς ἀπάτης, ubi aliud spectamus, & aliud tandem apprehendimus. Videdamnatos hunc suum errorem nimis serò agnoscentes, Sap. 5,2. & 6. Nos verò beneficiô lucis verbi divini agnoscamus & fugiamus hunc errorem, ut olim in æternum possideamus gloriam & honorem.

DOMINICA XX. POST TRINITATIS.

Ephes. 5. vers. 16.

Ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρὸν, ὅτι αἱ ἡμέραι πονηραί εἰσι.

REdimentes occasionem, qvòd dies mali sint.

NUmer. 20. v. 17. Populus Israël mittit nuncios ad Regem Edomeorum, fratrem olim suum, sed jam abalienatum, qvi dicant: *Transeamus per terram tuam, non divertemur in illum agrum, aut vineam, neqve bibemus aqvam ullius putei, viâ regiâ ibimus*, & v. 19. *& si aqvam tuam bibemus, dabimus pretium venditionis ejus.* Qvod illi ad terram sanctam tendentes, nos rectiùs ad cœlum pergentes usurpamus. Rex Edom spiritualis est Diabolus, ruber ille Draco ex sangvine martyrum, qviq; olim fuit frater noster in creatione, sed per lapsum prorsus est abalienatus. Ad illum, cùm in aditu sumus ad terræ sanctæ antitypum, seu cœlum in Baptismô illi primùm abrenuntiantes, deinde in confessione nostrâ emendationem vitæ promittentes, dicimus: Transeamus per terram tuam, hoc est, mundum, cujus tu ex DEI permissione es DEUS, 2. Cor. 4. non transibimus per agrum, tuis zizaniis hæreticorum consitum, Matth. 13. non tuam vineam intrabimus, ubi crescit vinum furoris ac fornicationis spiritualis, Apocal. 14. neqve bibemus aqvam ullius putei, flagitiis, qvantumvis ex corruptâ illâ naturâ sitiamus, nos non inqvinabimus, viâ regiâ, licèt angustâ Matth. 7. ibimus, & si qvid, in qvô tu regnas, voluptatis, honoris,

noris, divitiarum nefariè acceperimus, dabimus ex illis pretium redemptionis, vel potiùs omnia tibi projiciemus, ut tanto paratiores simus ad iter: Sed tum, qvemadmodum ibi Rex Edumeorum occurrit nobis in prælium: sic qvoqve hic Rex Edom cum populo numeroso, id est, cum omnibus suis Angelis totoqve mundo sese nobis opponit, & aditum ad cœlum prohibet. Verùm deflectendum ab iis, exeundum ab iis, ne cum illis polluamur & puniamur, Apoc. 18. Hæc Christiana prudentia, in omnibus necessaria, hîc ab Apostolo commendatur. Cujus dicti partes esse possunt duæ:

I. Redimenda in hoc nostro itinere qvævis benè agendi occasio.
II. Qvia magna erit ultimo mundi tempore afflictio.

PRIMA PARS.

SOlent illi, qvi iter facere ac peregrinari coguntur, potissimùm conqveri, maximam difficultatem sibi objici in diversitate religionis, lingvæ & pecuniæ, absqve qvibus tribus foret, non ita molestum fore illum laborem. Nos in nostra ad cœlum profectione, his qvidem tribus non admodum exercemur, qvoniam qvi hanc veræ fidei viam semel est ingressus, qvid seqvatur, qvid fugiat, tenet Mich. 6. Religionem orthodoxam in libris Prophetarum & Apostolorum comprehensam novit, & proinde etiam cognita ac perspecta habet omnia religionum diverticula. Lingvâ suâ potest uti ad DEUM vernaculâ, cum etiam is omnes teneat. Pecuniâ non opus est alia, Es. 55. *in init*, qvàm CHRISTI λύτρῳ, qvod gratis nobis suppeditatur à nostro Duce & Comite CHRISTO, Exod. 13, 16. 1. Corinth. 10. Luc. 24. Alia tamen obstacula sunt qvàm plurima, qvæ à Diabolo, mundo & carne nostra nobis objiciuntur. Hæc ut removeamus, magna reqviritur industria & diligentia, ad qvam studiosè hîc Paulus hortatur. *Videte*, inqvit, *qvomodo accuratè iter vestrum instituatis, non ut insipientes, qvi in qvovis diversorio genio indulgent, cuticulaq; curant; sed velut sapientes, qvi semper metam spectant, avidiq; anhelant.* Varia autem impedimenta obveniunt, agite, expedite vos; unum hoc est necessarium, Luc. 10. & qvemadmodum qvi in bello fugit, aut celeriter in patriam properat, si nimis oneratus est sarcinis, aut abjicit aut deponit, ne, cùm gravant, in mora ipsi sint: Sic etiam vos cum damno aliarum rerum terrenarum id agite, ut pro-

grediamini; *redimentes*, reliqvis rebus mundanis neglectis vel abjectis, ipsam bene agendi *occasionem*, non sinentes vobis elabi tempus commodum agendi, ea qvæ decet, sicut Lotus non patiebatur se detineri suis ædibus, aut opibus in Sodoma, qvibus cum periisset, si mansisset. Et qvemadmodum monebat Pharao rectè facere Jacobum, cum suis si supellectile aliisqve rebus non absterreatur, qvò minus descendat in Ægyptum, Gen. 45, 20. Siqvidem longè plura esset recepturus qvam relinqvebat, ita etiam nobis jactura rerum humanarum nulla videri debet, qvando ad infinitos cœli thesauros comparamus. Confer Rom. 8, 18. 2. Cor. 4, 17. Phil. 3, 7. & 8.

I. LOC. COMM.

QVia sumpta hæc est metaphora à mercatoribus, habemus hic qvotidianum præceptum, qvod perpetuò in mente nobis sit: ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρόν. Confer Col. 4, 5. Nomen autem Græcum καιρὸς, qvia non tam notat omne tempus, (id qvod χρόνος significat) qvam tempus rei agendæ commodum, ut in anni horis, (Græci vocant anni horas, qvatuor partes anni) serendi in vere, metendi in æstate, fructûs & uvas colligendi in autumno, feras persequendi in hyeme, qvandocunqve nos vivimus, monemur, nobis observandam esse omnem occasionem commodam, ut hîc ita seramus, ut olim in æternum metamus, Gal. 6, 8, 9, 10. Qvod si tempus huic emptioni destinatum sinimus præterlabi, nec emimus nobis necessaria, cum stultis virginibus ex cœli palatio excludemur, Matth. 25. Sic enim Salvator omnes alloqvitur ex Apoc. 3, 18. Svadeo tibi ut emas aurum igne exploratum, ut diteſcas, hoc est, verbum DEI ejusqve divitias in corde recondas, Psal. 12. & Psal. 19. vestesqve albas, qvibus circunderis, id est, Christi justitiam, Es. 61. Sic enim superinduemur, si non nudi in ejus adventum reperiamur, 2. Cor. 5, 3. & 4. Et ut scias, qvæ emere debeas, age, contemplare ad iter se parantes; Emunt illi sibi vestes, cibum, potum, gladium, calceos; tu vestem à Christo sume manu fidei, cibum & potum tibi in cœnâ præbent ejus ministri, Joh. 4. & 6. 1. Cor. 2. & 11. gladium in verbo invenis, Eph. 6. calcei tibi sint in bonorũ operũ studio, & hæc omnia gratis accipis. Tu modò contra in gratitudinis signum cum mulierculis, Marc. 16. emas ungventa, qvibus CHRISTUM in suis membris unga-

ungamus, seu ipsi benefaciamus, Matth. 26. emamus oleum dilectionis, misericordiæ, lenitatis.

II. LOC. COMM.

OMnia habent tempus oportunum, ut sapiens explicat Eccl. c. 3. & qvi sapit hoc observat. Namq;

Fronte capillata est post hæc occasio calva.

Simus igitur velut Jani bifrontes, ante & retrò prospicientes, qvomodo omnia qvam optimè perficiamus: Spectent oculi nostri ad JEHOVAM Dominum nostrum, sicut oculi servorum ad manum dominorum, Psal. 123, 2. Laudantur servi, qvi vigilant in heri sui adventum. Nos erimus beati, si illis fuerimus similes, Luc. 12, 36. 37. ecce Diabolus cùm sciat, qvòd ipse ὀλίγον καιρὸν ἔχει, parvum tempus commodum suis fraudibus perficiendis adhuc residuum habeat, Apoc. 12, 12. omnem occasionem anxiè venatur, 1. Petr. 5, 8. vigilandum igitur est nobis, ne incidamus in tentationem, Matth. 26. brabeioqve proposito privemur, 1. Cor. 9. In bellis præcipuè valet occasio, ut qvodlibet suo agamus loco & tempore, hostesq; inexpectatò inter oscitantes opprimamus, qvemadmodum fecit Abraham, Genes. 14. & David 1. Sam. 30. v. 16. Bellum gerimus, tempus igitur benè servemus, & qvævis occasio aucupanda diligenter, ne postea eam elapsam esse doleamus insipienter. Est qvi tua ope indiget, redime occasionem, relictis rebus eum juva, Luc. 10: est qvi te lædit, redime occasionem eiqve condona, Matth. 5: est qvi blandiloqventia te vult seducere, redime occasionem qvocunqve modo, eumqve abs te segrega. Matth. 18. in mala incidis? occasione utere & ora; prosperis rebus uteris, gratias DEO tuo age occasionemqve aliis benefaciendi ne neglige, & ita tuum talentum bene collocabis, ut Dominus te multum eo lucratum prædicet, teq; olim in cœlis exaltet. Matth. 25.

SECUNDA PARS.

ATqve hæc est Apostolica adhortatio. Qvæ verò ejus ratio? Qvando magna est omnium rerum penuria neqve facile, neqve tolerabili pretio emere qvis potest necessaria, reqviritur ut diligenter qvis investiget, unumqvodqve, investigatumqve demum sibi com-

comparet, ut feciſſe videmus filios Jacobi, qvi in annonæ caritate audientes in Ægypto venire frumentum non dubitant eò per longinqvum iter ſe conferre, (Et impiger extremos currit mercator ad Indos) ſic etiam nos cogitemus: Benè agendi & piè vivendi occaſio eſt valdè rara ac chara, qvia *dies hi* ſub mundi finem *ſunt mali*, difficiles, & tales ubi maxima rerum & actionum bonarum inopia, pravarum verò magna copia, dum πονηροὶ, qvia à πόνω ſeu labore dicti, indefeſſo ſtudio laborant, ſuntqve vigilantiores filiis lucis, Luc. 16. Ita Apoſtolus ἡμέρας vocat πονηρὰς: ſiqvidem verbum πένομαι unde deſcendit, hoc vocabulum & ago & egeo ſignificat. Rari qvippe boni, ut ait Poëta, vel potius, ut ait Regius Propheta, ſancti defecerunt, Pſal. 12. Ideòqve non facilè invenit pius, qvo cum pia communicet conſilia, qvi ipſum in bono juvet aut ceſſantem incitet, unde ipſe ſæpius fit tardior & negligentior, nec in omnem emendi occaſionem eſt intentus, licet dies ſint mali ratione hominum jam viventium, ut verè dicas: Terra malos homines nunc educat atqve ſceleſtos. Alter enim alteri, ut oves morbidæ paulatim ſcabiem adfricare ſtudent, alias tempus qva tempus ſemper bonum rebusqve agendis utile, 2. Cor. 6, 1, 2.

I. Loc. Comm.

SI ſuo jam tempore Apoſtolus de ævi pravitate eſt conqveſtus, qvid nos, in qvos verè ſeculi finis incidit, facere convenit? ſcilicet ut in homine vel animali ſenium multa mala ſecum affert: ita etiam ſeneſcens, & prope evaneſcens mundus ſemper vergit in deterius. Poſt aureum, argenteum, poſt hoc æneum, & illud demum ferreum ſeculum ſeqvitur, Dan. 2. Damnoſa qvid non imminuit dies? *Ætas parentum pejor avis tulit*
Nos neqviores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.
Ita Schema hujus mundi omne tranſit, 1. Cor. 7, 3. 1. Johan. 2, 17. Jacobus Patriarcha qvidem dicit, dies ſuæ peregrinationis ſuper terram eſſe paucos & malos. Age, noſtri ſunt & longè minores & pejores. Siqvidem ille vixerat tum annos centum & triginta. Noſtra ætas vel Moſe computante eſt 70. annorum. Ille bona & mala erat pariter expertus. Noſtra vita nil eſt niſi labor & dolor, Pſal. 91. O ve-

verè nunc dies mali, supra nos DEUS est peccatis ad iram provocatus, infra nos Diabolus ad tempus solutus, circa nos mundus perversus, intra nos caro prava. Ita ut his tribus posterioribus omnis benè agendi occasio ferè nobis eripiatur, nisi valdè advigilemus. Diabolus suis insidiis nos petit ad mala, à bonis deducit, mundus suo pravo exemplo seducit, caro nostra libenter sequitur, ita sunt dies mali, ut vix videamus, nedum teneamus bonum.

II. LOC. COMM.

SI dies sunt mali ne nimis amemus hunc mundum, ejusque delicias. Quia ut Scorpius caudâ ferit, sic ejus bonum tantum nocet. Quis verò diu in malo diversorio aut carcere squalido commorari cupiat, cùm malè ibidem tractetur, & nos etiam in hoc mundo præcipuè sub hæc ultima ejus tempora aspiremus illuc, ubi dies verè boni, imò melior dies una, quàm hic totum seculum; semper enim in mundo lætitiam temerat tristitia, & plus fellis quàm mellis hæc habent caduca, ibi verò est satietas gaudii ac amœnitatis, Psal. 16.

III. LOC. COMM.

SI dies sub finem mundi sunt mali, ut Christus Matth. 24. Paulus 1. Timoth. 4. 2. Tim. 3. Petrus 2. Epist. cap. 3. Johannes in Apocal. cap. 12. veraciter prædixerunt, quid nos fallere nugaciter conantur novi quidam Prophetæ, qui cum Chiliastis nescio quod seculum aureum in his terris somniant. Credendum est magis soli Christo veraci, quàm talium Prophetarum turbæ fallaci. Illi sit honor, gloria, hiscè dolor & ignominia.

DOMINICA XXI. POST TRINITATIS.

Ephes. 6. v. 11.

ΕΝδύσασθε τὴν πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ, πρὸς τὸ δύνασθαι ὑμᾶς στῆναι πρὸς τὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου.

INduite totam armaturam DEI, ut possitis stare adversus assultus Diaboli.

 [Pag. seq vers. 13. superfluus est.]

QVapropter assumite universam armaturam DEI, ut possitis resistere in die malo, & omnibus peractis stare.

JOsuæ 6. & 7. Midianitæ & Amalekitæ Israëlitas oppugnant, Gideon verò ex DEI mandato exercitum qvantumvis parvum contra ipsos educit, divinoqve delectu habito, assumptis tantum iis, qvi aqvam tantum lamberant ac commeatum buccinas, & faces tantum acceperant, istos fundit: Sic etiam omnes pii, qvi meritò Gideones seu spiritualiter amputati & circumcisi, Rom. 2, 29. & Jerubahales, hoc est, illi, qvi cum Baal ac Domino hujus mundi jugiter contendunt, perpetuumqve cum Midianitis damnatis atqve judicatis impiis & Diabolis & Amalekitis, qvi molestiam creant Ecclesiæ, bellum jaculatoris gerunt, ut Paulus hîc prolixè declarat Ephes. 5. divinitus per Angelum DEI seu verbi ministrum vocati, Mal. 2. castra metantur ad fontem Charodi, hoc est, trepidationis seu timoris DEI, qvo Dominum suum reverentur, Mal. 1. pugnant contra Midianitas, qvi castra habent cis collem Môre in convalle, hoc est damnandos, qvi iis, qvæ jaculator ille pessimus Diabolus ac mors, Psal. 91, 5. Ephes. 6, 16. amat, in convalle seu mundo hoc assurgunt: pugnant verò illi, qvi non nimis de aqvâ, ac bonis hujus mundi assumunt, & non se iis totos ingurgitant; verùm parum lambendo delibant, Psal. 62. & 39. 1. Cor. 2, 7. sumentes commeatum cibum & potum spiritualem, Johan. 4. & 6. 1. Cor. 11. & buccinas, qvibus DEI laudes decantent, & facem verbi ardentem: ita facillimè victoriam reportant, pauci à numero plurimis, infirmi à potentissimis. Id qvod Apostolus in hoc capite graphicè describit. Nos inde ejus celeusma desumimus, idqve nobis ipsis aliisqve, qvi in hanc DEI militiam in baptismo dixere sacramentum, inculcamus: induite totam DEI armaturam, ut possitis contra Diaboli insidias stare. Partes esse possunt duæ:

I. Induamus validam Numinis armaturam,
II. Ut vincamus callidam Dæmonis naturam.

PARS PRIOR.

DAvid contra Goliathum pugnaturus, armis Saulis Regis induitur; verùm hæc ei minus apta, & propterea statim deponenda. Assu-

Assumit autem lapidem è rivo, eoqve impositò fundæ, frontem gigantis transverberat. Nos contra Diabolum pugnaturi alia arma, qvæ habent multum splendoris coram mundo ne assumamus: (Sunt enim nobis impedimento) & tantum è fontibus Israëlis seu verbo DEI conqviramus nobis manu fidei apprehensam petram illam firmissimam, Matth. 16. & ab ædilibus reprobatum lapidem, Matth. 21, 42. ac sine manibus ex monte revulsum, Dan. 2. imponamus porrò fundæ precum, in ejus nomine orantes, divinumqve auxilium invocantes, Johan. 16. Ita victoriam certo reportabimus 1. Joh. 5. horsum it prolixa castrensis Apostoli concio ad Ephes. 6. cujus nos videbimus prolepticam propositionem, & annexam ejus causam velut confirmationem. Induite, Gr. ἐνδύσασθε, inqvit: qvia non nostris viribus hæc arma nobis aptamus, apti tamen à DEI gratiâ aliqvid agimus. Nuper ex Eph. 4, 22. 23. vidimus, qvæ sint veteris hominis indumenta deponenda, novi assumenda, nunc contemplemur qvæ armamenta & ornamenta in bello induenda, ut ita togâ ac sago simus instructi, cùm dies sint mali velut in hyeme hujus mundi, qvam paulò pòst ver lætum sequetur, & æstas. Luc. 21. Induite *πανοπλίαν omnem ac totam DEI armaturam*, qvæ deinceps per partes, v. 13. 14. 15. 16. 17. explicatur: habent qvidem sua instructa armamentaria Reges & Principes; Verùm contra vim mortis non est munimen in istis. Ecce, hîc habes longè instructius armamentarium, ubi omnia omninò necessaria arma, cum *Φυλακτήρια* tum *ἀμυντήρια*. Huc adeste igitur milites Christi, ornemini, muniamini, jam classicum canitur, & belli vis ingruit. Videte, ne qva pars corporis aut animæ nuda sit, ac non armata. Illam enim petet Diabolus velut adversarius. Qvid enim prodest avi aut feræ, si solo pede ligata tenetur, qvod reliqva membra non sint constricta? sic, si tu contra unum Diaboli impetum te firmâsti, v. 9. vacuus à libidine, vide ne te nudum ab altera parte inveniat, assume totam armaturam, omniaqve membra tua communi.

I. LOC. COMM.

SI induenda sunt arma ex gratiâ, sumus nudi ex naturâ, Ezech. 16. Cùm enim parens noster primus à Diabolo vincebatur, omnibus suis armis spoliabatur, & nos in illo. Qvid igitur sibi homo in hoc bel-

bello tribuat? nihil qvidqvam noſtræ enim vires non tàm fractæ & attritæ, qvàm prorſus ablatæ. **Mit vnſerer Macht iſt nichts gethan/ꝛc.**

II. LOC. COMM.

SI hîc eſt DEI παντοκρατία & DEUS omnia fecit hominibus, qvæ potuit, ut ſalventur, Eſa. 5. & Scriptura, qvæ eſt velut DEI armamentarium, erit perfecta, 2. Tim. 3. & DEUS non volet antecedente voluntate plurimorum hominum interitum, qvippe qvi eis omnia arma, qvibus ſe defendant ac texantur, indulſit.

III. LOC. COMM.

VIde hîc DEI clementiam hominumqve negligentiam. Ille clamat: Venite, omnia ſunt vobis parata, qvibus paſcamini, qvibus muniamini. Hi venire nolunt. Ille offert in CHRISTO ſalutis veſtem, ille præbet arma contra hoſtem; hi nolunt ea induere.

O cæcas hominum mentes, ô pectora cæca!

IV. LOC. COMM.

SI DEUS pro nobis, qvis contra nos? Rom. 8. ille enim brachio ſuo protegit pios; ſumit zelum ſuum ad armaturam, & ad ultionem inimicorum armat creaturam; induit pro thorace juſtitiam, imponit pro galea judicium; ſumit in ſcutum inexpugnabile ſanctitatem, acuit ſeveram iram pro gladio, Sap. 5, 17. 18. & ſeqq. Si ita, inqvam, DEUS pro piis pugnat, nonne eos ipſos pro ſe pugnare æqvum eſt? Sumant hæc arma ab Apoſtolo ipſis aſſignata, & qvaſi ex adverſo DEI armaturæ reſpondentia, ut ſimiliter ſuo Duci & Domino Zebaoth ſint ornati hi ſancti milites, faciantqve ſicut vident facere ducem ſuum ac Gideonem, ut ſupra in exordio dictum.

POSTERIOR PARS.

HÆc eſt ratio noſtri in bello ornamenti. Qvid verò inde redundat ad nos emolumenti? id ſcilicet, ne terga cogamur dare in prælio; ſed ut *poſſitis vos* ita armati & animati *ſtare*, imò rectè reſiſtere, 1. Petr. 5, 8. (qvod ſi feceritis, ipſe Diabolus fugâ ſibi conſulet, Jacob. 4, 7.) ſtabitis ergò, qvaſi à Moſe ad mare rubrum calamitatis afflictionisqve pleniſſimum, inclamati. Exod. 14, 13. State & videte ſalutem Jehovæ, imò Salvatorem Jehovam, ſeu JESUM ipſum in fide,

fidele, qvi vos labantes sustentat, & per cujus Evangelium statis, 1. Corinth. 15. Stare autem hoc, est stare in acie ac pugnare, puta illo in loco ac conditione, in qvâ qvisqve est vocatus, 1. Cor. 7. 20. nec sine jussu summi Imperatoris inde discedere. Hoc enim agit miris modis Diabolus ut ordines à DEO constitutos turbet, cùm norit, tum facilè se posse ab illis, qvi ex loco suo recedunt, victoriam reportare, qvâ de causâ sequitur πρὸς τὰς μεθοδείας τȣ̃ Διαβόλȣ adversus methodos varias artificiosissimas, stratagemata mirifica, mille artes ac technas calumniatoris Deum apud homines, & hos apud ipsum falso variisqve modis deferentis. Dum enim hac non succedit, alia via aggreditur,

Impastus stabula alta Leo ceu sæpè peragrat, 1. Petr. 5.

vel immediatè, vel mediate per suos falsos Prophetas, Eph. 4, 14. qvi possunt se convertere cum ipso in Angelos lucis, 2. Cor. 11. Certè abs tam astuto hoste maximum est periculum, qvi ne tibi noceat habeas vigilem oculum, qvo observes ejus subdolas cogitationes, 2. Cor. 2, 11 dicta Matth. 4. ac facta, qvibus te tendat, Matth. 4.

I. Loc. Comm.

Discimus qvî fiat, qvod multi in prælio, cum Diabolo suscepto, succumbant, nempè armaturam DEI totam non induunt, sed nudum pectus huic occidenti Angelo offerunt: qvid igitur mirum, qvod cæsi jaceant, ut primogeniti in Ægypto, qvorum postes ædium sangvine agni Paschalis non erant illiti? tale cor armis DEI non munitum, à DEO recedens, & rebus caducis in pace mundana secure adhærens tribus hastis confoditur, Diaboli, mundi, carnis, ut de Absolone legimus, qvem fugientem qvercus ramis florentibus implicitum ita transfixit Joab.

II. Loc. Comm.

Docemur, posse hominem per DEI gratiam conservatum stare, ne excidat DEI gratiâ, vel si qvando è conspectu sui Domini se subduxit ac fugit ad Diaboli castra, patere ei per pœnitentiam reditum, & dari, ut possit deinceps stare, qvi recedit, sicut de Petro legimus Luc. 22.

III. Loc. Comm.

STare ut tanto firmius qveamus, datur nobis Scipio, qvo sustentemur, videlicet verbum DEI, Psal. 23. ille enim baculus ex paradiso

DEI desumptus & ab arbore vitæ Christo est allatus, hunc teneamus fidei manu, ita non labemur. DEUS enim sustentat sortem nostram, Psal. 16. qvod est consolatione pleniſſimum, Confer. Phil. 3, 12. Rom. 8, 26. & cap. 14, 1. Luc. 1, 54. Confidebant qvi procidentes coram Rege Assyriorum ab eo erigebantur, ita, ut sceptrum ad eos inclinaret, Estheræ 5, 2. & cap. 8, 4. qvid ni nos confidamus, qvando DEUS Rex Regum nos cadentes erigit, & suæ omnipotentiæ manum supponit, Psalm. 37.

IV. LOC. COMM.

DIscimus qvanta sit Diaboli astutia, & qvantæ insidiæ. Id enim vox μεθοδείας indicat, & nomen ejus qvando dicitur serpens & qvidem antiqvus Apoc. 12. v. 9. demonstrat, qvo sine dubio respicit ad Gen. 3. ubi sub serpentis callidi forma latens, Evam & Adamum seducit. Evitare autem possumus has Diaboli μεθοδείας, si servemus DEI ὁδὸς seu vias rectas, Psal. 25. & 119. & 139.

V. LOC. COMM.

DOcemur cujus filii ac discipuli sint, qvi tot novas μεθοδείας semper excogitant: nempe non Spiritus Sancti, cujus una via æterna perpetua ac constans, sed mali, qvi sæpè mutat sententiam, & hinc inde rependo mutat locum, ut serpens: Christo autem, qvi Diabolum vicit, nobis Christianis de armis necessariis prospexit, in bello securos, post pugnam beatos efficit, sit honor & gloria; Diabolo verò ejusqve organis obstinatis dedecus & pœna perpetua.

DOMINICA XXII. POST TRINITATIS.

Phil. 1, 6.

ΠΕποιθὼς αὐτὸ τοῦτο, ὅτι ὁ ἐναρξάμενος ἐν ὑμῖν ἔργον ἀγαθὸν, ἐπιτελέσει ἄχρις ἡμέρας Ἰησοῦ Χριστοῦ.

PErsvasum habens hoc ipsum, qvod is, qvi cœpit in vobis opus bonum, perficiet usqve ad diem JESU CHRISTI.

Ruth.

RUth. 3. Ruth ex præscripto Noêmi in aream Boas sẽ confert, ad pedes ejus retegens cubat, vindicias ejus implorat, ab eo cum donis dimittitur, & postea uxor in domum deducitur. Unde cum priora illa audisset, Noëmi hæc cætera collegit, v. 18. ita loqvens: Confide filia mea, usqve dum resciscas, qvo casura sit hæc res. Non enim qvieturus est vir ille, nisi absolverit hanc rem hodiè. Cum Ruth comparari potest omnis homo, qvi cum Noemi, id est, pulchra illa seu amœna Ecclesia Christi Sponsa, Cant. 7, 6. exulatum it, mundiqve hujus bonis relictis, Phil. 3. ad terram sanctam properat & in aream seu locum, ubi seritur & à palea purgantur pii & impii, Matth. 3. à Boas, id est, ab illo, in qvo est robur, qvi Christus est robur nostrum, Exod. 15, 2. qviqve per columnam, in templo Salomonis Boas dictam, fuit adumbratus, 1. Reg. 7, 21. Ibi retegit ad pedes ejus, videt & cognoscit vias ipsius, seu opera & actiones, qvibus se manifestat, cum Abrahamo tàm excelso Domino se longè inferiorem esse agnoscit & ibidem pernoctat cum DEO suo, tolerat mala in mundi hujus nocte ac caligine, donec adspiret ille dies, de qvo in Cant. Cant. multa. Interea, ut ab ipso vindicetur, rogat, Luc. 18. ad tempus donis Spiritus Sancti ornatus ab eo hic demittitur, hoc est, peregrinatur. 2. Cor. 2, 4. sed tandem cum honore ac gloria domum deducitur, ut Christi uxor, Psal. 45. Apoc. 21. & 22. Possumus igitur illa, ab Apostolo per Ecclesiam nobis accantata, interea solatii loco percipere, Phil. 1, 3. persvasum hoc habentes, qvod, qvi incepit in nobis bonum hoc opus, perfecturus id sit usqve in diem JESU CHRISTI. Partes esse possunt duæ.

I. Hominis pii confidentia.

II. Numinis in salute ejus (pii) procuranda diligentia ac constantia.

PRIMA PARS.

MOses ex DEI revelatione certior factus fore, ut ex hac vita paulò post avocetur, Israëlitis beneficia hactenus præstita à DEO, In memoriam revocat, & in futurum omnia fausta spondet, si modo ipsi manserint in officio; prolixè qvidem in toto Deuteronomii libro; summatim verò & qvasi in epitome cap 31. v. 3. Jehova qvi transit ante te, exponet tibi gentes, earumqve terram jure hæreditario

concedet, vos modò confirmamini & fortes estote. Eadem illa tria etiam Apostolus hîc tractat. De præterito agit DEO gratias pro præstitis beneficiis in eo, dum vocati sunt ad Ecclesiam, ejusqve bona, v. 3. & 5. De futuro benè sperat, fore, ut reportent gloriæ coroam, vers. 6. De præsenti monet, ut sint immaculati, vers. 10. nos intermedium, utpotè de qvo ex carne maximum dubium, jam agemus: ubi Apostolus ex hactenus abundè declaratâ DEI benevolentiâ spem certam concipit, ex parte DEI nunqvam conversis defore auxilium, neq; metuendum esse, ut habeant aliqvando in re, qvod jam possident in spe, Rom. 8. *Persvasum*, inqvit, *habens hoc ipsum* Græcè ἐμφαλινώτερον πεποιθὼς, qvasi certioratus, ac velut per demonstrationem in oratione nervosâ convictus, siqvidem descendit à πείθομαι, id est, oratione flector, & per fidem invictis rationibus factam impellor, ut credam, qvòd non vana aut inanis hæc sit persvasio, qvalis est hominis malè sani, aut fingentis sibi somnia, sed talis qvæ ob rationes firmissimas sit ἀμεταπτωτος; qvemadmodum qvum ratione verbi DEI hoc verbum Græcum ejusq; cognatum nomen πεποίθησις usurpatur, accipitur, Act. 28, 27. Rom. 8, v. 38. & 14. v. 14. 2. Tim. 1. v. 12. 2. Cor. 1. v. 9. & 3, 15. Eph. 3, 12.

I. LOC. COMM.

SI Paulus potuit esse certus de salute suorum auditorum, qvid nos possumus de nostra ipsorum dubitare, si modò perstemus ipsi in pietatis cursu cœpto? DEUS enim non mutat, sed homo mutat, cùm fit irrita promissio. Qvod enim sit certo confidendum, fore, ut salvemur, (conditionaliter tamen si manserimus in fide; absolutam autem Calviniani dicunt hanc esse certitudinem, ex suo qvod fingunt decreto absoluto.) constat ex parte DEI eam promittentis veraciter, Ezech. 33. & præstantis sua promissa fideliter, 2. Corinth. 1, 20. In verbo prædicato generatim offerentis clementer, Rom. 1, 16. & cap. 10, 10. in absolutione confirmantis hoc specialiter Matth. 16. Joh. 20. in Sacramentis obsignantis firmiter, Rom. 4. Matth. 26. Spiritu Sancto tanqvam arrha & pignore dato probantis efficaciter, 2. Cor. 1, 21. Eph. 4, 30. Ex parte hominum, vel ipsorum & internum testimonium, Rom. 8, 16. & externum bonorum operum, charitatis erga proximum, pietatis in DEUM, 1. Joh. 2, 3, & 4. cap. in pri-

imprimis qvod audeat qvis retecto oculo ad DEUM accedere, eumqve ut Patrem invocare, Rom. 3. & 8. 1. Joh. 5, 14. vel aliorum exemplum Davidis, Psal. 31, 1. Pauli, Rom. 8, 38. Cùm itaqve tanta sit testium nubes, credamus, qvod DEUS vult tot modis nobis persvadere. Qvid igitur nugantur Pontificii contra hæc omnia docentes, de salute nostra esse dubitandum, ut Patres Concilii Tridentini statuunt Sect. 6. qvibus meritò accinas illud Apostoli, 1. Joh. 5, 10. qvi non credit DEO, mendacem eum facit, id est, fidem illi derogat tanqvam mendaci, qvo nulla major potest DEO fieri injuria, qvi est ipsa veritas.

II. LOC. COMM.

ETiam de aliis speremus benè, fore ut salventur modo ad communionem Sanctorum se patiantur aggregari & in fide stabiles, ac in charitate immaculati reperiantur. Reliqvos verò, qvi obstinati videntur, DEI judicio permittamus homines privati, proq; illis, ut convertantur, rogemus; In publico autem docendi officio constituti graviter tales moneamus, si ita perrexerint, fore ut æternum pereant, vid. Rom. 14. 1. Cor. 5. 1. Timoth. 1, 20.

III. LOC. COMM.

IN illis, qvæ ad fidem spectant, ne ambigamus dubii, sed simus certi, habentes eorum, qvæ didicimus ἀσφάλειαν, Luc. 1, 4. non simus infantes, qvi fluctuent, & circumferantur omni vento doctrinæ, Ephes. 4, 14. cùm verò per nos ipsos non invenimus locum qvietis, revertamur ad arcam Noæ, id est, ad Ecclesiam Christi, ubi vera qvies, folium Olivæ in ore decerptum ferentes, velut simplices columbæ, Confer Gen. 8, 11. Matth. 10, 16.

SECUNDA PARS.

OMne principium solet esse grave, proinde

Dimidium facti, qvi bene cœpit, habet.

Hoc verò in salutis negocio qvam maximè obtinet, ubi cùm simus planè spiritualiter mortui, qvid boni à nobis præstare possumus? cùm non magis nos ad Ecclesiam aggregare, aut ad DEUM convertere qveamus ex nostris qvidem viribus, qvàm lapides &

lignaad templum Salomonis,utpote inanimata,poterant accurrere. Confer 1.Reg.5. Epheſ.2. 1.Petr.2. id eſt, qvod Apoſtolus hoc loco dicit,qvod,*qvi incepit*,nempè DEUS, ut patet ex verſu tertio, *in vobis*, non per vos, *opus bonum*,non tantùm veſtrum omne humanum,qvod vos facitis,Spiritu DEI renati & acti ad DEI laudem, ac proximi utilitatem,ſed illud opus DEI,ut primùm crederetis,Johan. 6. v. 28. 29. opus inqvam converſionis, qvando ex mortuis vivi, ex averſis converſi,ex longinqvis propinqvi,deniqve ex malis eſtis boni facti, hoc eſt bonum opus, *καθ' ἐξοχήν, qvod DEUS incepit in nobis.* Ubi notanda emphaſis vocis ἐναρξάμενος, qvæ præter alia duo hæc indicat, 1. qvod non loqvatur hîc de creatione, qvanqvam & hæc DEI bonum opus eſt,Gen.1.31.ſed de recreatione,non qvando DEUS hominem,ſed qvando aliqvid in homine condit, Eph. 2,Pſal.51, 2. qvòd DEUS agat,vel ut optimus Medicus, qvi non tàm hoc ſtudet more agyrtæ,ut externam cutem curet,vulnus exterius ſanet,cicatricesqve obducat,interius verò purè ac fœtido ſangvine ſcateat, verum prius curat interiora, qvibus ſanatis in exterioribus conſolidandis minus eſt difficultatis; Sic DEUS intus hominem prius reformat, nempè corpus & animam, tanqvam peccati ſpiritualisqve morbi ſedes, & prius in conſpectu ſuo, deinde exterius erga proximum bonum efficit. Qvoniam verò homines multi bene incipiunt,paulò poſt averſi abeunt,Johan.6. & turpiter deficiunt,Luc.5. horumqve exemplo offenſi vel obſtupefacti verè pii de ſua etiam ſalute dubitare poterant. Paulus ſubjicit,non eſſe noſtram ſalutem in noſtris manibus, ut ratione initii, ſic nec conſervationis,conſummationisq; reſpectu,ſed DEUS ille omnipotens ex cujus manu nemo poteſt capere ejus oves,Joh.10. qvi cœpit, *etiam perficiet* ἐπιτελέσει, ad finem optatum usqve perducet,*usq; usq;*, ἐπὶ, vel ſuper adjiciens divinæ ſuæ gratiæ cumulum, (ſi modo homines non repugnent accipere) *usq; ad diem JESU CHRISTI,usq; ad id tempus,dum piè hinc decedentes in manum DEI animæ veſtræ deportentur,ut inde rurſum corporibus extremo die redditæ æternum beentur gaudio perpetuo*,Joh.16.Si enim gaviſus eſt Abraham fide eminus videns diem Chriſti in humilitate, qvomodo non pii gaudebunt viſuri prope, & fruituri die Chriſti in majeſtate.

Loc.

I. LOC. COMM.

SI DEO initium conversionis nostræ debetur in solidum, (qvippe qvi cœpit in nobis) neqve nos ex nostris viribus possumus ipsi nos convertere: qvod qvidam ex Pontificiis asserunt, neqve concurrere statim qvimus, simulac DEUS removet obstacula, qvod Jesuitæ subtiliores statuunt, & Synergistæ defendunt; nimirum hi mortuum insantem stultè dividunt, qvod sapiens Salomon tentandi animo in vivo rectè faciebat partem DEO & partem homini tradentes.

II. LOC. COMM.

HOmo in hoc tantum differt in conversione sui, (licet se merè passivè habeat) à trunco, qvòd hic non possit repugnare, ille possit. Imò nec hic sit subjectum conversionis: homo autem, si non repugnet, esse qveat ex DEI ordinatione. In homine fit conversio, non ab eo, vel ex eo: Qvarum illa particula subjectum; hæ causam efficientem denotant. Homo merè passivè se habet, DEUS autem agit, homines sunt lapides, 1. Petr. 2. Deus summus Architectus per suos ministros, 1. Cor. 3. qvi etiam est agricula serens, plantans ac dans incrementum, ibidem. Ipse est hortulanus, Joh. 15. homines sunt palmites & arbores in paradiso ipsius, ibidem & Psal. 1, 3.

III. LOC. COMM.

DIcunt Physici, cor esse primum vivens & ultimum moriens, Scriptura certè ut cor describit, meritò illi hoc attributum competit in spiritualibus, DEUS igitur cor novum primū dat, idq; ut qværant homines, hinc inde monet apud Prophetas. David idcircò tam anxiè id petit, Ps. 51. Christus in paralytico ita esse homini spiritualiter ac corporaliter ægroto rectè medendum ostendit Matth. c. 9.

IV. LOC. COMM.

CONversio est illud bonum DEI opus, undè reliqva omnia hominis bona proveniunt. Illa opus est, qvia DEUS creat novas qvalitates, Eph. 2, 10. bonum, imò optimum est, qvia bonos efficit. Ut enim oportet arborē prius esse bonam, ut possit bonos fructûs ferre, Matth. 12, 33 ita necesse est, ut arbor hæc, puta homo, cœlitus prius purgetur, irrigetur, foveatur qvàm possit bona opera edere, undè meritò canimus: *Sine tuo numine Nihil est in homine.*

Na-

Naturâ sumus ægroti, sumus mortui, sumus mali; DEUS autem est is, qvi, si modò accedamus ad ipsum cum surdo & muto, Marc. 7. omnia benè facit creando, redimendo, sanctificando. Fit autem hoc, ut ibidem Christus ostendit, qvando (1.) primum patimur nos abduci à turba hujus mundi, sedentes tranqvilli cum Maria ad pedes Christi, habentes interiorem hominem cordis in incorruptione lenis ac qvieti Spiritus, 1. Petr. 3, 4. Confer Psal. 62. (2.) Deinde oportet, ut nobis in aures inseratur DEI digitus seu Spiritus Luc. 11. qvi aures nostras perforet, ut fiamus verbi obedientes Exod. 21. (3.) Porrò sputo Christi tingatur lingva nostra, salvifico ipsius verbo velut rore aspergatur, Psal. 51. Es. 26. & 55. (4.) Respiciamus in cœlum ingemiscentes, de præteritis peccatis dolentes, & veniam eorum petentes. Tum deniq; dicet Dominus: Hephata, aperitor, liber ex vinculis Diaboli mortisqve abito: sicut de resuscitato Lazaro Christus dicebat: *Solvite & sinite abire*, Joh. 11.

V. LOC. COMM.

DEO non tantum debetur initium & medium, sed & finis ac consummatio nostræ salutis. Siqvidem non prius qviescit nostrum promovere commodum, qvam nuptias illas agni perfecerit, ut de Boaz supra dictum. Homines qvidem benefaciendo defatigantur facilè Gal. 6. DEUS autem ἀπλελεῆ.

VI. LOC. COMM.

HActenus habemus bona cœlestia & æterna certâ spe: in die autem JESU CHRISTI accipiemus ea ipsa re, qvod, ut fiat, ipse faciat Salvator noster, cui sit honor & gloria.

DOMINICA XXIII. POST TRINITATIS.

Phil. 3, 20.

Ἡμῶν γὰρ τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει, ἐξ οὗ καὶ σωτῆρα ἀπεκδεχόμεθα, Κύριον Ἰησοῦν Χριστόν.

NAm nostra conversatio in cœlis est, ex qvo & Servatorem expectamus, Dominum JESUM CHRISTUM.

Gen.

GEn. 11, 4. Homines ab oriente progressi consederunt in Mesopotamiâ, ibiqve conantur ædificare urbem, turrimqve cujus fastigium usqve in cœlum pertingeret, ut facerent sibi nomen. DEUS verò confusione lingvarum (unde nomen Babel) hoc propositum stultum mirabiliter impedit. Qvicqvid delirant homines, correxit JESUS, qvi etiam hoc peccatum ita expiavit atqve emendavit, ut jam mortuus trium potiorum lingvarum super crucem suam inscriptione, iisqve tituli sui majestatici factâ expositione, omnes lingvas DEO consecraverit, & postea resuscitatus ac in cœlum sublatus Apostolos dono lingvarum instructos emiserit, hominibusqve ostenderit, qvomodo rectius ab Oriente progressi, seu à DEO, unde omne bonum donum oritur, renati fiamus cives civitatis, non manu factæ, verùm è cœlo descendentis, confidentes tamen in medio fluminum calamitatum ac miseriarum, Psal. 46. & 69. hoc est in Ecclesiâ. In hâc verè est turris, cujus fastigium in cœlos usq; pertingit, nempè de qvâ Proverb. 18, 10. Turris robusta est nomen Jehovæ, qvò accurret justus, & in edito collocatur. Estqve idem ille locus editus, qvo se toties confugisse David gloriatur, Psal. 18, 3. nempè excelsus ille Dominus, cujus unum fastigium seu divina natura cœlum, alterum extremum, seu natura humana terram contingit, Gen. 28. Joh. 1. Idqve propterea, ut nos per ipsum à terris ad cœlos sublevemur. Idqve ut apud omnes homines fieri possit, Christus die Pentecostes varietatem lingvarum, qvæ antea pœnæ loco erat imposita, in bonum longè maximum convertit, dum eis ornat Apostolos, ut in omni lingvâ Evangelium prædicent, civesq; hujus urbis ex omni populo congregent, Act. 2. Eph. 2. Et qvidem tales, qvi verè facere sibi possunt nomen, qvod nulla delebit oblivio, dum illud scriptum est in vitæ libro, Luc. 10. Phil. 4. Apoc. 3. Qvomodo verò cives hi se gerere debeant, qvæqve privilegia habeant, Paulus Phil. 3, 20. explicat. Digna admonitio, qvæ probè consideretur, ut & hîc rectè vivamus, & olim æternum beati agamus.

Partes esse possunt duæ:

I. Qvalis Christianorum in hoc mundo conversatio.
II. Qvæ eorundem post hanc vitam spes & expectatio.

PRIMA PARS.

MOnuerat Philip. Apostolus, ut juxta eundem Scripturæ Canonem, (qvi est & docendi, seu rectè credendi, & piè vivendi unica norma Gal. 6.) qvisqve in suo incedant ordine idem sapiant, idem sentiant ratione medii, idem credentes ratione finis, nempè æternæ beatitudinis idem spectantes omnes. Hoc, ut tanto rectiùs fiat, tria subjungit, (1.) Exemplum regulæ conveniens ac probum, qvod imitandum arripiant, vers. 17. (2.) Exemplum regulæ disconveniens ac reprobum qvod fugiant, v. 18. 19. (3.) Causam utriusqve, nempe cœli templum, ejusqve bonum, qvo tendant. Postremum hoc paucis retexere jam placet. Nam, inqvit, causam apertè indicans, cur boni doctores seqvendi, mali non item. *Nostra*, qvi sumus Christiani, & qvos proinde hostes crucis Christi esse non decet, nec ventrem ut DEUM colere, nec terrena sapere, ne cùm illis, qvi tales se gerunt, finis noster sit perditio, & gloria sperata convertatur in æternam ignominiam: nostra vita longè alia esse debet, & vitæ cursus diversus, cùm alius sit nobis propositus scopus ac meta, videlicet vita æterna; nostra dum ad hanc tendimus *conversatio*, Græcè emphaticoteron, πολίτευμα Jus civitatis, imò Respublica ipsa, & in hâc vivendi ratio, in qvâ videndum, ut dignè Evangelio CHRISTI nos possimus gerere, ac πολιτεύεσθε Phil. 1, 27. qvemadmodũ Paulus ipse gloriatur, qvòd modis omnibus bonam conscientiam exhibuerit DEO in iis, qvæ gessit, Actor. 23, 1. Tale πολίτευμα nostrum ubi in πολιτεία Israëlis seu Ecclesiâ Eph. 2, 12. ita vivamus, uti decet: *In cœlis existit.* ac proinde etiam jura descendentis supernè Jerosolymæ, Gal. 4, 26. scire ac tenere nos oportet, & eò nostras res ac spes omnes conferre. Siqvidem hîc omnia caduca, fluxa, & vana ac fugacia, qvia hîc non est manens civitas, Hebræor. 13, 14. in cœlis autem ὑπάρχει seu subsistunt omnia firmiter, ut hoc loco Apostolus loqvitur.

I. LOC. COMM.

MIlle hominum *species*, & *rerum discolor usus*,
Velle suum cuiq; est; ait Poëta ex naturæ luce. Signi-

gnificantius verò ac longè graviùs Propheta: Improbi sunt ut mare propulsum. Ut enim hoc qviescere non potest, sed aqvæ ejus expellunt cœnum ac lutum: ita nulla pax, inqvit Dominus DEUS meus, improbis dicit Spiritu Sancto duce, Es. 57, 24. 25. Nobis verò, qvi habemus pacem cum DEO, Rom. 5, 1. Justificati longè alia est ratio viæ ac vitæ, Psalm. 1. Studiorum ac eventuum ibid. & Psal. 37. & 73. Qvemadmodum enim olim inter Ægyptios & Israëlitas erat magnum discrimen in plagis ita semper inter pios & impios secernere est, ut meritò dicat Apostolus: Nostram hanc esse Christianorum vivendi rationem propriam, qvam mundus ejusqve cultores non amplectuntur, ut ex præcedentibus liqvet. Hi enim crucem CHRISTI odio perseqvuntur, & ventrem ut DEUM venerantur. Illud fit vel malè de CHRISTI cruce ejusqve fine docendo, ut qvi per opera sua volunt salvari, ut hodiè Pontificii & Photiniani, & alii, qviqve universale ejus meritum cupiunt coarctare ac restringere, ut Calviniani, vel malè vivendo, qvomodo multi CHRISTUM denuò crucifigunt, aliis pervulnera ejus imprecantes, eademqve flagitiis suis velut refricantes, vel etiam in cruce impatienter se gerendo. Hoc contingit in luxuriosis, dum in commessationibus, ebrietatibusq; & in cubilibus suum ventrem potius colunt qvàm DEUM, cujus præcepta tàm nefariè violant. Idem contingit in illis aulicis, qvi vestes molles gestare gestiunt, & propterea principi adulantur. Idem contingit in Ecclesiæ Doctoribus, qvi, ne gratia populi excidant, ad omnia flagitia connivent.

II. Loc. Comm.

DUm hanc vitam vivimus peregrinamur, Genes. 47. 2. Corinth. 5, 6. Psal. 39, 13. & 119, 19. DEUS verò paravit nobis civitatem, qvo contendimus, ad Hebræos 11, 16. interea ut David in diuturno suo exilio aliud, qvo se magis solaretur non habebat, qvam DEI promissionem de regno: ita & nos eandem semper cogitemus, Luc. 12, 32. & proinde mala hujus itineris molesti libentius toleremus, Actor. 14, 22. Veniebat ex oris longinqvis Regina Sabæ ut videret & audiret Salomonem: Certè, CHRISTUS Rex verus ille pacis, isto longè major est, Matth. 12. Longum iter suscipiebant Græci, ut adorarent ac viderent Dominum, Joh. 12, 20.

longè verò majorem viam emetiebantur Magi, ut venirent ad Christum, in summa humilitate natum: & tamen gaudium gaudebant illi magnum, Matth. 2. Jacob cùm ad Josephum veniret in dignitate insigni constitutum maximâ afficiebatur lætitiâ; Qvantum itaqve erit illud gaudium, qvando nos Christiani ad Christum, Joh. 17, 24. Sponsa ad Sponsum, Cant. Psal. 45. Apoc. 21. Fratres ad fratrem Joh. 20. veniemus, & ut regni consortes, Rom. 8.

III. LOC. COMM.

QVia nostrum πολίτευμα est in cœlis, ne nimis curemus aut amemus hæc terrena, sed ita nos geramus, ut cives decet, semperqve in animum nobis revocemus, nos degere in ipsis cœlis, Luc. 17, 21. in conspectu ipsius DEI, Sanctorumqve Angelorum. Si itaqve in conspectu hominum honestorum turpia dicere aut facere dispudet, multò magis Christiani, qvorum conversatio in cœlis, à talibus abstineant, qvibus se terræ filii inqvinant. De Saule ad regnum vocato, uncto, & jam introducendo dicit Propheta: fore ut alius evadat, cùm Spiritus DEI super ipsum irruit, 1. Sam. 10. 6. Nos de nobis idem dictum putemus, qvando à Spiritu DEI sumus renati, & ad regnum DEI vocati, mutemur in viros alios. Hæc dies aliam vitam, alios mores postulat; & qvoniam ad aulam cœlestem properamus invitati, caulam terrestrem cum suo fœtore, qvemadmodum Saul, Rex constitutus, destitit inqvirere asinas, relinqvamus non inviti omnibusqve vitiis longum valedicentes. Regium induamus animum & habitum: sicuti nec Josephum sqvallidis vestibus Ægyptii Pro-Regem esse declaratũ novimus. Ita nos qvi sumus cives, simus hîc urbani omnibusqve virtutibus dediti ac præditi, Phil. 4, 8. Consolatio hîc latet illa; Etsi relinqvenda hæc terrena habitatio, tamen in cœlis nobis est parata mansio, Joh. 14.

IV. LOC. COMM.

QVæ sunt in mundo παρέρχεσθαι, Luc. 21. ἀπόλλυσθαι, 1. Cor. 7, 31. 1. Joh. 2, 17. qvæ verò sunt in cœlis ὑπάρχουσι sunt & existunt. Eodem igitur simus animo, qvo Hebræi propterea ab Apostolo laudati, Hebr. 10, 34. qvòd direptionem suorum bonorum, qvæ tum ipsis erant in mundo, cum gaudio exceperint, ut qvi scirent habere sese potiorem substantiam, seu ὕπαρξιν in cœlis, & qvæ permaneat.

Das ewige Gut macht rechten Muth.

SE-

SECUNDA PARS.

SOlent peregrinantes se solari, qvod cùm de die molestias itineris varias pertulêre, vespere in diversorio se aliqvantulum possint recreare, **Auff einen bösen Tag folget ein guter Abend.** Sed ó miserum & fallax solatium! cum magnis sumptibus vix famem & sitim sedare, ac rarò lecto se tuti possint credere, & si maximè hæc illis contingant, seqventi tamen die coguntur ad eundem iterum offendere lapidem. Nos rectè usurpare illud possumus. Qvandoqvidem itinere nostro absoluto, nos non tàm ad Dominum, qvam ipse ad nos venit, & ad se transfert, Joh. 14. non secus ac pater ille φιλόξενος, Luc. 15. qvando filius adhuc procul aberat, occurrit, & cum osculo accedentem humanissimè excipit. Solent aulici multas devorare molestias, qvando beneficiũ à principe vel Rege expectant: cùm tamen ibi beneficia bonis plerumqve lenta sint: ut ait Seneca: Nos jam sumus in aulâ DEI, deqve gratia Regis nostri certi, qvid itaqve qviritamur, nos cum aliqva difficultate conflictari? conregnabimus, si compatimur, Rom. 8. qvia oportet nos esse συμόξφς filio DEI, ibid. Age verò, audi duleissimam consolationem, ex qvo *Politeumate* seu civitate cœlesti gloria ac honore, qvæ jam possidemus spe, *etiam Salvatorem*, qvi salvabit omne, qvod nobis periit, restituet perditum, reddet amissum, beabit miserum, *exspectamus*, ita ut libenter simus eum excepturi (ut Sponsa Sponsum) ut servi vigiles *Dominum* nostrum *Jesum Christum*, in qvo uno sunt nobis omnia, & cum eo gratis dantur. Rom. 8.

I. LOC. COMM.

Si ex cœli Politeumate expectamus Dominum Jesum, non est jam præsens in terris, ait vir Calvinianus: Sed audiat ille, an non exspectat ipse etiam CHRISTUM DEUM ad judicium venturum. Ita credit ex Symbolo: Ergò nec ille præsens? ἄτοπον. Deinde, qvos expectamus, illi non sunt ullo modo præsentes, dicit. Sed David ait, se expectare DEUM, Psal. 13. Ergo iterum absurdum concludit. Ut autem ibi, rectè dicunt isti: Eo modo non est præsens, qvo expectatur, hoc est ratione manifestationis & auxilii: ita respondemus nos ipsis cum Angelo ex Actor. 1. Eo modo non adest Christus, qvo est

est rediturus, & qvo eum expectamus, hoc est visibili. Sua igitur cædant vineta illi & contra conscientiam argumenta cùm talia proferunt. Et nunqvam negavimus Christum rediturum ex cœlo; verùm propterea non adesse nobis juxta humanam naturam in terrâ modô incomprehensibili, id est, qvod cum Scriptura pernegamus, licet nec nostra, nec ipsorum ratio id capiat.

II. Loc. Comm.

CHRISTUS verè est σωτὴρ, qvi titulus ipsi primum incarnato datus Luc. 2. Et hîc ultimo functuro mediatoris officio datur, ut ille nobis omnium primo & ultimo occurrat. Venisse eum ex DEI intentione non perditum, Luc. 9. Sed σώζειν salvatum qvicqvid periit Matth. 18. Luc. 15. Qvod verò non omne perditum salvatur, in culpa est, qvi salutem negligit, qvod à Salvatore se inveniri non patitur, Matth. 23.

III. Loc. Comm.

DE extremo judicio horrent dicere impii, qvia dictitat conscientia eorum, fore, ut pro meritis plectantur. Pii verò tum demum caput attollunt, qvia ipsorum liberatio appropinqvat, Luc. 21. Si magno cum desiderio fuit expectatus Cyrus à Judæis, Es. 45. & CHRISTUS ut veniret in carnem ad patiendū in ignominia, Ps. 14. vers. ult. Luc. 10. qvanto magis expectandus est idem venturus ad judicandum in gloria, Matth. 25. Exagitatur mater Siseræ, qvod falsam spem conceperit de filii sui reditu cum prædâ, Jud. 5, 28. 30. Nostra verò spes nunqvam confundit, Roman. 5. qvia expectamus Salvatorem, qvi etiam certò veniet, & nos ad se transferet; Confer 2. Petr. 3. Joh. 14. 1. Cor. 1, 7. Tit. 2, 12.

IV. Loc. Comm.

SI beati servi, qvi exspectant sui domini reditum à nuptiis, Luc. 12, 36. O beatos illos, qvi expectant jugiter hanc cœli dominum, & dicunt cum Jacobo: Salutem tuam expecto JEHOVA, Gen. 49, 18.

V. Loc. Comm.

EXpectamus nostrum Dominum, ut tandem verè, sit noster JESUS, & salvet nos ab omni malo, caputqve nostrum oleo læ-

lætitiæ inungat, ac ita delibutos reddat, ut nemo possit nos amplius lædere, aut gaudium nostrum interturbare:

Tu modò mox dulcis Christianos, Christe, beato,
Nominis, ut salves, sis memor, oro, tui. Amen.

DOMINICA XXIV. POST TRINITATIS.

Coloss. 1, 13.

Ὃς ἐρρύσατο ἡμᾶς ἐκ τῆς ἐξουσίας τοῦ σκότους, καὶ μετέστησεν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ.

QVi eripuit nos à potestate tenebrarum, ac transtulit in regnum filii sibi dilecti.

DAn. 6, 17. Daniel ob pietatem in foveam leonum projicitur; verùm miraculosè ab Angelo DEI custoditus à Rege liberatur, & educitur, & hoc beneficium apud omnes regni subditos celebratur. Ille ob pietatem, (siquidem falsò accusabatur Daniel, quòd decretum Regis nihili fecisset, cùm tamen illud esset potius procerum regni per fraudem à Rege extortum:) Nos verò ob impietatem ac rebellionem contra Regem regum, DEUM nostrum, meritò eramus projecti in foveam leonum infernalium, 1. Petr. 5, 8. nec mutari simpliciter poterat decretum Regis de nobis perdendis: Inventum tamen hoc est divinum consilium, ut DEUS misso suo Angelo, Mal. 3. Christo Jesu, os infernalis leonis concluderet, & illos planè liberaret, qui crederent, uti de Daniele v. 24. dicitur, Hoc verò Rex Darius per omnes suas provincias edicendum curat, ut colatur ille Rex Danielis, qui ita liberat, facitq; signa, ac miracula in cœlo ac in terra, v. 28. Idem oportet & nos imitari, DEI beneficium nobis præstitum celebrare, eumq; timere & colere; ita fiet; ut prosperè agamus in regno DEI, sicut Daniel in regno Darii. Beneficii verò nobis præstiti magnitudinem Apostolus declarat, Col. 1, 13. dum malorum ablationem & bonorum collationem à DEO factam exaggerat.

Partes esse possunt duæ;

I. Ex potestate tenebrarum liberatio.
II. In majestatem Regni DEI facta translatio.

PARS

PARS PRIOR.

UT lætatur Christus, DEO qve Patri agit gratias, Psal. 16, 5. qvod hic sustentet sortem ipsius, & funiculi ipsi acciderint in locis amœnissimis: ita etiam hoc loco, (qvemadmodum & in plerisqve aliis Epistolarum suarum ex carcere scriptarum initiis) Paulus DEO Patri gratias agit, qvod se suosqve auditores reddiderit idoneos ad participandam sortem Sanctorum in lumine. Si enim merito gaudere poterant Israëlitæ in terrâ Gosen, qvod ipsis omnibus esset lux, qvando palpabiles tenebræ triduanæ Ægyptios affligebant, Exod. 10, 21. & si iidem poterant exultare, sibi dari in terrâ sancta portionem ereptam Cananæis: multò magis gloriari qveunt pii, qvod ipsis sit & lux fidei orta, & pars bonorum DEI data; gratias, inqvam, jure optimo agimus DEO, qvi etiam ex malis, in qvibus eramus, nos liberavit, & bonis, qvæ non erant nobis, nos beavit: qvi *liberavit nos*, inqvit hoc loco Apostolus, *ex potestate tenebrarum*, hoc est, ex manu inferni, Os. 13: siqvidem ibi sunt tenebræ, illæ exteriores & longè maximæ, Matth. 8. & 22. cap. Qvomodo Scriptura omne malum ac calamitatem magnam tenebrarum & bonum ac prosperitatem lucis nomine solet indigitare. Vide Psal. 112, 4. Esth. 8, 16. Es. 9, 1. & 60, 1.

I. LOC. COMM.

CAusa efficiens principalis nostræ salutis est DEI Patris misericordia & amor in genus humanum, qvo permotus suum Filium mundo dedit, Joh. 3, 16. & Filii in nos immensa benevolentia, qvi se ipsum sponte pro nobis tradidit, Hebr. 10. Tit. 2. & 3. Qvod, cùm ita sit, an non justum est hunc patrem honorare, hunc fratrem amare, omnibusqve modis cavere, ne flagitiis ad iram provocentur: David 2. Sam. 23, 8. celebrat suorum potentum fidem & promptitudinem, qvod pro ipso sæpè vitam suam exponere non dubitârint: qvanto magis nos oportet Salvatoris nostri in nos amorẽ prædicare? qvi cùm nihil debebat (isti enim hoc omne pro servitio suo debebant Regi:) tamen præstabat, & qvidem solus ac non tantum ista, qvæ illi omnes fecerunt, sed infinitis modis majora ac plura. Fuêre inter illos, qvi multos Philistæos confoderunt, populumqve

DEI

DEI ab eorum tyrannide liberaverunt. Age CHRISTUS solus omnes nostros hostes devicit, & æternam libertatem peperit, Hebr. 9. 12. Inventi sunt ibi, qvi Regi sitienti aqvam ex fonte Bethlehemitico ab hostibus obsesso obtulerunt. Christus nobis siti penè enectis in fovea, ubi nulla consolationis aqva, Zach. 9. aqvam cœlestem ex alto, ubi verè domus panis vitæ, Joh. 6. nobis detulit, & abundè bibendam præbet, Joh. 4. Es. 55. unde nos antea prohibebat captivos detinens Diabolus: Erat inter eos, qvi percussit leonem immanem; Christus Leo de tribu Juda percussit Leonem infernalem, 1. Petr. 5.

II. LOC. COMM.

QVando nos liberâsse dicitur DEUS, possunt considerari illa omnia, qvæ ad liberationem vel redemptionem spectant; Est ibi detinens, est detentus, est liberans, vel per potentiam, vel per justitiam, & sic redemptionis pretium; sic DEUS tanqvam rebelles omnes homines meritò captivos detinebat in carcere infernali, cujus præses & carnifex erat constitutus Diabolus, ac mors æterna. Vincula verò sive catenæ peccata: detenti erant omnes omninò homines, ab Adamo nati, Rom. 5. Et qvia non injustè detinebamur, liberatio per potentiam nulla dari poterat, qvalis erat qvando DEUS Israëlitas injustè à Pharaone detentos per suam potentiam liberabat: sed tantùm per justitiam, ut satisfieret DEO pro nobis à Christo, Ps. 69. 5. qvi dedit seipsum λύτρον, Matth. 20. 1. Tim. 2. Tantæ molis erat nostram reparare salutem. Confer jam liberationem ex captivitate Babylonicâ, in qvibusdam membris: infinitis modis inferiorem eam esse deprehendes.

III. LOC. COMM.

CHristus liberavit suâ morte à morte omnes homines, sed non omnes tanti beneficii fiunt participes, ut servi, qvi cum poterant in anno Jubilæo abire liberi, servire malebant, Exod. 21. & ut multi Judæi, cum omnibus data erat potestas redeundi domum Babylone per Cyrum tamen ibidem residebant.

IV. LOC. COMM.

MUlti vel rident, vel securè contemnunt Diaboli potentiam, sed hic audiunt habere eum ἐξουσίαν, puta à DEO justè concessam.

Ille enim est κοσμοκράτωρ τῶν σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, Ephes. 6, 12. & sub ejus potestate, dominio, ac regimine sunt omnes, qvi tenebras magis amant, qvàm lucem, Joh. 3. Qvando qvinqve Reges fugiebant ex acie, & se condebant in speluncam, postea ignominiæ & morti exponebantur, Jos. 10. ita homines, cùm non pugnant contra Diabolum, sed se in lustris hujus mundi abscondunt, nec inde proripiunt luce exortâ, tandem lapis obdurationis obvolvitur, dum Christus reversus ad judicium æternum illos condemnabit.

SECUNDA PARS.

FRaudulenter Rabsace de suo Rege prædicabat, Es. 36, 16. 17. fore, ut Israëlitæ ab eo transferrentur in terram frumenti & musti feracem. Nos rectè possumus laudare DEI clementiam, qvi nos ex miseria & ignominia in fœlicitatem & gloriam; ex omnium rerum inopia ad magnam abundantiam & copiam; denique ex morte in vitam transtulit. Qvod beneficium posterius priori liberationis, (de qvo hactenus) velut ingentem, imò immensum beneficentiæ divinæ cumulum adjecit. Non tantum mala maxima abstulit; sed & præstantissima bona contulit, dum ex regno Diaboli liberatos *transtulit* μετέστησεν, inde arreptos collocavit *in regnum* ex carcere, in lucem ex tenebris: in regnum verò non mundanum, aut periturum, sed æternum: *in regnum Filii sui dilecti*, τῆς ἀγάπης dilectionis, qvem unicè & semper diligit, ut de ipso prædicat Pater Matth. 3. & 17. 2. Petr. 1. Eò autem nos traduxit non tantùm, ut hîc in regno gratiæ essemus ipsius subditi, sed ut olim etiam evaderemus ipsius in regno gloriæ consortes. Rom. 8. de omnibus nostris hostibus gloriosè triumphantes, 1. Cor. 15.

I. LOC. COMM.

QVia sumus translati in regnum Filii DEI, semper id agamus, ut nos dignos tanto honore ac dignitatis gradu geramus. Solent illi qvi in aulas penetrarunt; nil aliud spectare, qvàm qvomodo suo Regi ac Principi placeant. Nobis in regnum DEI promotis hæc incumbat cura, ut nos probemus DEO ejusqve filio: Induamur veste nuptiali, Matth. 22. ne, qvi eramus regni filii, Matth. 8. ejiciamur, ut sordidi ex conspectu Regis removeri solent. Proindè non tàm terrena qvàm cœlestia sapiamus, curemus, paremus, Col. 3. Matth. 6.

The-

Thesaurus noster, ut audimus, in cœlo est; sit igitur & ibi cor nostrum, & semper nos stare in conspectu hujus Regis, (stare in Scripturâ usurpatur pro ministrare) cogitemus, ejusqve nutum sedulò observemus, Psal. 123.

II. Loc. Comm.

Qvæ videtur impiis maxima servitus, Psal. 2, 4. maxima est libertas, Joh. 8. Servire scilicet DEO suo, Luc. 1, 74. 75. Imò est regia dignitas, Apoc. 7, 6. 1. Petr. 2, 9. Moses qvidem adoptabatur à Pharaonis filia in filium; sed videns fluxa esse illa bona, & facilè mutabilem hujus gratiam, malebat cum populo DEI mala perpeti, qvàm habere temporariam peccati perfruitionem, Exod. 2, 11, Hebr. 11, 24, 25. Respiciebat enim ad largam retributionem, v. 26. Ita nos animati simus: nil mali à DEO nos separet; nil boni mundani ab eo avocet; sed nobis cum Asapho adhærere DEO bonum sit, Psal. 73, 28. qvia ubi Dominus, ibi libertas, 2. Cor. 6. ibi majestas, Esa. 6. ibi perpetua lætia, Joh. 16. 1. Thess. 4. ibi immensa gloria, 2. Cor. 4.

III. Loc. Comm.

Christus est noster Rex, Zach. 9. Psal. 2. & alibi Rex gratiæ, Johan. 1. Rex gloriæ, Ps. 24. Regnum verò ejus non est de hoc mundo, Joh. 18. & (ut paucis complectar cum Apostolo plurima) Regni hujus hæc sunt privilegia; in Spiritu Sancto justitia, pax & lætitia, Rom. 14, 17. Reliqva verò regna ob injustitiam de gente in gentem transferuntur ex voluntate DEI, Syr. 10. Dan. 10. hoc verò est perpetuum, Luc. 1. Qvod si ita est, subditi hujus Regis æterna cum ipso pace & felicitate fruentur. Salomo qvidem diu cum suis pace fruebatur; tandem tamen habebat adversarium: Ex hoc regno gloriæ ejectus est omnis adversarius, seu Satanas, seu Diabolus, Apoc. 12. O regnum nanens! ô cœlestis chorus ibi canens! ô animus ibi verè gaudens ô manus ibi jugiter plaudens!

IV. Loc. Comm.

Christus est Filius DEI dilectus ἀγαπητὸς, Matth. 3. & 17. vel τῆς ἀγάπης, ut hoc loco, qvem semper Pater diligit, Joh. 3. Nos verò reliqvos omnes per illum filium rursum recipit in gratiam, Johan. 1, 12. Ille igitur Filius, cui Pater nil denegat, Johan. 11. cùm sedeat ad dextram Patris, & interpellet pro nobis, omne auferetur in ejus nomine, qvod petetur à pio homine, Joh. 16.

Ille est verè Benjamin, seu filius dexteræ, ob qvem reliqvis fratribus Josephus ille cœlestis, seu omnium rerum author & auctor est propitius. Illi sit honor & gloria in perpetua secula.

DOMINICA XXV. POST TRINITATIS.

1. Thess. 4. v. 13. & 14.

Οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοὶ, περὶ τῶν κεκοιμημένων, ἵνα μὴ λυπῆσθε, καθὼς καὶ οἱ λοιποὶ, οἱ μὴ ἔχοντες ἐλπίδα. εἰ γὰρ πιστεύομεν, ὅτι Ἰησοῦς ἀπέθανε, καὶ ἀνέστη, οὕτω καὶ ὁ Θεὸς τοὺς κοιμηθέντας διὰ τοῦ Ἰησοῦ, ἄξει σὺν αὐτῷ.

CÆterum nolo vos ignorare, fratres, de iis, qvi obdormierunt, ne doleatis, qvemadmodum & cæteri non habentes spem. Nam si credimus, qvòd JESUS mortuus est, & resurrexit, sic & DEUS eos qvi obdormierunt per JESUM, adducet cum illo.

EZech. 37. v. 1. & seqq. talis extat visio: Per manum & spiritum Jehovæ in convalle qvadam collocatur Propheta Domini: illa erat plena ossibus, qvæ num sint revictura ipse dubitat: DEUS autem id mandat; tum ossa iterum inter se fuere connexa, carne, cute & anima prædita, qvando Spiritus Domini afflaverat ea. Ita steterunt in pedes suos copiæ magnæ. Primario qvidem in hac visione intelligitur resuscitatio ex calamitate & restitutio Israelitarum in suam terram: qvod non tantum Scopus satis innuit, de qvo vide cap. 36. v. 33. Sed etiam ipsa explicatio subjecta, c. 37, 11, 12. & 14. Ossa ista sunt domus Israelis, de qvâ in captivitate jam prorsus actum & conclamatum videbatur. DEUS autem novit, se eam reducturum in suam terram: qvod etiam factum. Potest tamen non malè hic velut typus qvidam accommodari ad resurrectionem mortuorum. Nam primò omnes adhuc qvi in miseriarum hâc convalle sunt, mori cogun-

guntur, & eorum ossa arescere. Carnem si consulas, ea revictura ignorat. DEUS autem & pius homo à DEO monitus novit, fore ut resurgant mortui, qvando DEUS id mandaverit extremo die, Job. 19, 25. Dan. 12, 2. Joh. 5, 28. & qvanqvam hoc loco tantum fit mentio Israëlis, hoc est in significatione ea qva Apostolus vocem eam usurpat fidelium, tamen id καθ' ἐξοχὴν tum applicandum ad credentes, qvod illi in Christo ad gloriam sint resurrecturi, qvomodo non resurgunt impii. Confer Psal. 1, 5. Joh. 6, 40. & cap. 11, 25. & 1. Cor. 15. prolixe. Id autem jubetur Propheta sed minister verbi proclamare, ut credatur. De hoc arcano mysterio Apostolus agit, 1. Thess. 4. 13. & 14. Qvoniam verò, dicente Tertulliano, resurrectio mortuorum est fiducia Christianorum: hunc locum ex Apostolo attentis auribus & animis considerabimus, visuri duo:

I. Mortis cum somno comparationem.

II. Nostram per Christum futuram resurrectionem.

JESU CHRISTE, per cujus mortem nobis est vita reddita, illumina oculos nostros, ne dormiamus somnum mortis æternæ, Psal. 13, 4. neqve etiam cum populo bruto, aut cum nimis acutis Philosophis tantum mysterium rideamus, Matth. 9, 24. Act. 17, 32. Sed ita in ænigmate jam contemplemur, ut olim tuam gloriam tecum videamus, Joh. 17, 24.

PRIMA PARS.

QVando Josephus fratres aliqvandiu suspensos ac dubios, qvid ipsis esset futurum, tenuerat, tandem illis se aperit, nec vult eos ignorare, qvi sit, ut inde capiant certiores consolationem, qvod ignaris poterat incutere metum ac perturbationem, Gen. 45. Christus nos suos fratres non celat, se ex morte vivere, & nos secum esse victuros, Joh. 14, 19. Interea ne nos nimis terreat hic corporis & mundi carcer, qvem Simeones hoc est diligentes ac sedulí auditores verbi potissimum sentiunt. Futurum enim est, ut cum nostro Domino ac Rege Regum, qvi est frater noster, intremus in gloriam. Id est, qvod Paulus hoc loco explicat. *Fratres*, inqvit, qvibus mecum idem pater est DEUS, & in terris una mater Ecclesia, Gal. 4. qvibus unus est Salvator Christus, unus consolatur Spiritus Sanctus, *nolo vos ignorare de illis qvi obdormierunt*, seu jam mortui sunt. (Scriptura enim mori, vocat sæpissimè

nè dormire,& mortem somnum, Gen, 47, 30. Es. 57, 6. Joh. 11, 11. 1. Cor. 11, 30. Dan. 12, 2. Syr. 18, 10. cap. 46, 24. c 48, 24. unde loca sepulturis destinata κοιμητήρια dormitoria Græci,& Chaldæi lectum & loculum mortuorum appellant communi nomine שְׁכָבָה, Ratio: qvia mors verè piis est qvies à laboribus & dulcis ἀνάπαυσις, Syr. 38, 24. & 39, 15. Apoc. 14, 13. qvanqvam etiam dormire de impiis mortuis reperiatur, (ut docet impiorum Regum Judæ & Israëlis historia, qvia non est hîc discrimen satis apertum inter hypocritas & verè pios,) *ut ne lugeatis* aut dolori nimis indulgeatis, (siqvidem lugere mortuos modicè, tantum abest, ut prorsus prohibeatur, ut etiam velut honestum factum mandetur, Eccl. 7, 3. Syr. 38, 16. & in piis laudetur: Abrahamo lugente Saram, Gen. 23, 2. Josepho cum fratribus parentem, Gen. 50, 1. Israëlitis Aaronem & Mosen, Num. 20, 29. Deut. 34, 8. Christo Lazarum, Joh. 11, 35.) qvia moderandus est ille luctus Christianis, uti Dominus præcepit Israëlitis, Deuter. 14, 1. 2. Levit. 19, 27. & in primis sacerdotibus, Levit. 21, 5. Nos autem in N.T. sumus sacerdotes spirituales, 1. Petr. 2. 9. Apoc. 1, 6. De re ipsa vide Syr. 38, 22. Cur verò à Christianis modus est statuendus luctui? (1.) qvia nimis lugere arguit ignorantiam, (2.) qvia gentium est nimis contristari suorum obitu; ne lugeatis, *qvemadmodum & reliqvi, qvi spem resurrectionis* ex Scripturâ in Ecclesiâ, ut articulum fidei revelatum, *non habent*. Qvanqvam enim nonnulli in defectu hîc peccabant, ut Thraces. Herodotus lib. 5. in init: & stoici qvi mordicus suam ἀπάθειαν & ἀτοραγίαν defendebant: tamen pleræq; gentes naturæ instinctu potius peccabant in excessu: qvia nihil post mortem restare putabant, & omnium simul esse factam jacturam graviter dolebant. Vide tantum Ciceronem Tulliæ suæ dolentem obitum, Alexandrum lugentem mortem Hephastionis.

I. LOC. COMM.

DIscimus unde oriatur nimia in malis afflictio, nempè ex sacrarum literarum ignorantia. Nam, qvando pius amittit opes, non nimis dolet, si novit cum Jobo dicere: *Dominus dedit, Dominus abstulit*: cum Apostolo: *Nudi mundum intravimus, nudi exibimus*, 1. Tim. 6. Qvando amittit conjugem, liberos, cognatos, non nimis se affligit, si novit hæc redditum iri, Matth. 10, & DEUM aliqvando futurum omnia in omnibus, 1. Cor. 15. Cùm privatur honore mundano non nimis

nimis propterea se angit, si novit cum Mose, potius cum populo DEI ignominiam perpeti, qvàm brevi & vana voluptate perfrui, Hebr. 11, & cum Apostolo per dedecus qvoq; ad regnum cœlorum properare, 2. Cor. 6. ac olim apparituros in gloria, qvi nunc propter Christum premuntur miseriâ, Sapient. 5. Qvando ipsam vitam deperdit, non curat, si novit cum illo adolescente, 2 Maccab. 7. DEUM dedisse illam, & posse reddere. Est igitur omnium malorum mater & origo, ignorare sacras literas, ut rectè censet Chrysost. *Si qvis ignorat legales minas, facilè peccat, si qvis promissiones Evangelicas ignorat, facilè desperat:* & semper verum est illud Salvatoris: *Erratis nescientes Scripturas*, Matth. 22. Qvi inter Israëlitas non fruebantur luce, in terrâ Gosen, horrendis premebantur in Ægypto tenebris; sic in mundo caligine obruuntur, qvibus non est vita, lex ac lux Domini, Es. 60. Proverb. 6, 23. Idem membrum docet hanc præcipuam Ecclesiæ doctorum esse curam, ne ignorent scitu necessaria auditores: semper igitur stent in sua custodia ac sedulò speculentur, num qvis raptetur à Diabolo ad avia, à veris ad falsa. Confer Ezech. 3. & 33. Hab. 2, 1. Actor. 20, 28.

II. LOC. COMM.

QVando Apostolus mortuos vocat κεκοιμημένους, dormientes, ostendit posse mortem imprimis Christianorum rectè cum somno comparari. Idq; I. *Ob suavitatem.* Nam ut homo de die multis curis ac laboribus fatigatus, nihil magis in votis habet, qvam ut se dormitum conferat: Ita homo præcipuè pius, qvi hîc cruciatur ac in vitâ alterâ refocillationem exspectat, Luc. 16, 25. multis malis pressus, Syr. 41. nil magis optat ac desiderat, qvam ut ex suo laborioso corporis ergastulo solvatur, Luc. 2, 29. 2. Cor. 5, 1. De hoc membro hujus comparationis, vid. Job. 7, 1. & 2. cap. 14, 1. Eccles. 5, 11. & 7, 23. Apocal. 4, 13. Jacob, cujus dies annorum vitæ pauci, ac mali, Genes. 47, 9. in Ægypto qvidem mori optat, sed non sepeliri, Genes. 48. & 49. capp: Sic pius in mundo afflictus mortem qvidem optat, verum illam, qvæ non sit conjuncta cum sepulturâ in Ægypto seu afflictionibus æternis, sed ut in terram verè sanctam ab Angelis deportetur, Luc. 16, 22. II. *Ob summam utilitatem.* Ut enim somno sepulti vires pristinas recolligunt, atqve ad labores suos redduntur alacriores, Psalm. 104, 20, 23; Ita etiam ho-

homo pius in morte ita renovatur, ut cum Christo ab ea excitatus intret in gloriam, & sine molestia ac defatigatione deinceps perficiat illa opera, ad qvæ prius erat creatus, Conf. 1. Cor. 15, 42. 43. 44. 50. 53. 54. Apoc. 14, 13. 1. Thess 4, 17. Sap. 3, 1. Israëlitæ ultimâ nocte in Ægypto non poterant exire suis ædibus; pòst educebantur: Sic pii sub ultimam vitæ horam in sepulchrorum conclavia intrant, nec inde prodeunt, donec in libertatem filiorum DEI adducantur, Ex. 12. Es. 26. Rom. 8. III. *Ob malorum & curarum omnium absentiam.* Sicut enim qvi dormit non curat qvicqvam ea, qvæ circà ipsum aguntur, sive ipsum concernant, sive alios, tàm amicos, qvàm inimicos, neqve eum læta exhilarant, neq; tristia exanimant; ita ad mortuos, hujus vitæ curæ aut miseriæ non pertingunt, sed jam alto sopore obruti qviescunt: (De his agitur Es. 63, 16. Job. 3. v. 12. seq. Apoc. 5, 8.) Qvando jam David arcem Sion occupaverat ab hostibus externis, ipse non oppugnabatur; qvando pius DEO dilectus ad montem Sion civitatem DEI viventis, Jerosolymamqve cœlestem plenè pervenit, omnibus malis est superior, Hebr. 12, 22, 23. IV. *Ob improvisam præsentiam;* Sicut enim nemo potest observare illud momentum, qvo obdormiscit: sic etiam præcipuè pii sine sensu iræ DEI aut gravioribus dormentis sæpè moriuntur cum pace, Gen. 15, 15. Es. 57, 2. Tob. 3, 6. impios verò sæpè inopinatus qvis abripit casus, qvemadmodum testantur exempla, Gen. 19, 24. & 34. 25. Exod. 14, 28. Levit. 10, 2. Num. 16, 23. 1. Sam. 25, 38. Luc. 12, 20. & monent Scripturæ dicta, Psal. 90, 7. Proverb. 27, 1. Eccles. 9, 12. Esa. 38, 13. Jacob. 4, 13. Apoc. 3, 3. & 16, 15. V. *Ob animæ continuam operationem.* Ut enim in somno anima semper adest, & suas operationes habet: Ita multo magis post resolutionem â corpore in DEI conspectu læta degit, Luc. 23, 43. 1. Sam. 25. 29. Psal. 31, 6. Eccl. 12, 7. Phil. 1, 23. Apoc. 19, 1. Si Jacobi spiritus revixit, qvum audiebat Josephum vivere, Gen. 45, 27. ut gestiebat eum videre, v. 28: qvanto magis pius Christum cum omnibus sanctis & Angelis oculis videre gestiet? VI. *Ob facilem ex somno excitationem;* Sicut enim homo nullo negotio, vel voce, vel attactu potest è somno exsuscitari: Sic omnes homines una Christi voce resuscitati in vitam redibunt statim, Joh. 5, 28. Dan. 12, 2. Qvemadmodum qvum Dominus antea in statu exinanitionis dicebat: Puella, surge, Marc. 5, 41. Adolescens, tibi dico, surge, Luc. 7, 14. Lazare, veni foras, Joh. 11, 43. omnes statim revixerunt: sic multò

tò magis ad dexteram majestatis evectus in statu exaltationis illam vivificandi vim Christus habebit. Mortui Elisæi ossa ubi attingunt cadaver, redit vita, 2. Reg. 13. v. 21. Multò magis, ubi semper, viventis & omnipotentis Christi veriqve Elisæi vox pertinget ad mortuorum cineres, evigilabunt. VII. *Ob necessitatem.* Qvemadmodum enim omnes homines dormire opus habent, aliàs non victuri: Ita etiam hominibus omnibus semel moriendum est, ut per mortem ad vitam transeant, Jes. 23, 14. Ebr. 9, 27. Psal. 89, 49. Sap. 7, 6. Rom. 5, 12. Syr. 14, 18. 1. Cor. 15, 22. Joh. 5, 24. 1. Cor. 18, 43. Qvod granum vult ex terrâ efflorescere, oportet prius in eâ computrescere, Joh. 12, 24. VIII. *Ob diei certò sequturæ noctem, in qvâ dormimus, jucunditatem.* Ut enim post noctem diem sperare solemus: Ita etiam post hanc mentis caliginem & multam animorum noctem expectamus, fore cum Sole justitiæ, ut oriatur lux æterna, 1. Cor. 13, 12. Apocal. 7, 15. 17. & 21, 3. 4.

III. Loc. Comm.

LUgendi sunt etiam à Christianis mortui, uti supra probatum: tum, qvia nos sumus orbati consvetudine & auxilio eorum; tum qvia ἀστοργία damnatur ab Apostolo, Rom. 1, 31. 2. Tim. 3, 3. Sed tamen luctui non est nimis indulgendum, Syr. 22, 13. Illi non obstat, qvod Ezechiel prohibetur deflere mortem conjugis charissimæ, cap. 24, 16, 17. id intelligendum non simpliciter, verùm illo tempore, cùm typicè indicabat mala gravissima superventura, vide v. 3. ante qvorum adventum qvi tolluntur, meritò agnoscunt DEI in se benevolentiam, Confer dict. Es. 57, 5. Sap. 4, 10, 11. & exempla. Gen. 15, 15. 2. Reg. 20, 18. & 22, 20. Damnetur igitur abusus & excessus, servetur usus & legitimus processus.

IV. Loc. Comm.

REctè August. in Psal. 88. in nulla re sic contradicitur fidei christianæ, qvam in carnis resurrectione. Plin. l. 7. c. 55. vocat puerile deliramentum & avidæ mortalitatis commentum. Unde manes fabulas dixere alii. Hanc ridet acuta Philosophorum ratio: Actor. 17, 13. hanc despicit arguta Regum & magnatum oratio, Act. 26, 24. hanc negat bruta hominum natio, 2. Petr. 3, 4. Contra hanc insurgunt hæretici veteres Origenistæ, & hodie novi qvidam Anabaptistæ:

ſtæ: Soli autem Chriſtiani in eâ ſuum refugium ac ſolatium habent repoſitum, 1. Cor. 15, 19. 29. 30. 31. 32. Cùm alii mundani DEUM eſſe juſtum pietatis remuneratorem & impietatis ſeverum punitorem ignorent. Ibid. v. 24. Vide & Matth. 5, 12. & 10, 28. inprimis verò 2. Theſſal. 1. v. 4. 5. 6. 7. & proinde ſpe verâ in afflictionibus carent, qvam habent Chriſtiani, dum pios dormire norunt.

SECUNDA PARS.

JOſephus, poſtqvam ſe aperuit fratribus, ut antea dictum; ſuos omnes ad ſe traducit. CHRISTUS etiam non patietur ſuos fratres cum malis conflictari, ſed tandem efficiet, ut fruantur ſua gloria. Id porrò Apoſtolus exponit, verſ. 14. *Si enim credimus* firmâ fide, in qvâ eſt: primùm ex Verbo DEI revelato notitia, qvæ priori gentilium ignorantiæ opponitur; Deinde aſſenſus & fiducia, qvæ excludunt nimium luctum, & ſpem firmam gignunt; qvòd JESUS Salvator, Salvator qvidem omnium, maximè tamen fidelium, 1. Tim. 4, 10. *& mortuus eſt* ſecundùm Scripturas, *& reſurrexit* ſecundùm easdem, 1. Cor. 15, 3. 4. qvemadmodum CHRISTUS pluribus declaravit, Luc. 18, 24. JESUS, qvi eſt piorum caput, tum & membra non poterunt eſſe & manere mortua; *Sic etiam DEUS illos, qvi obdormiverunt per JESUM*, fide verâ in eum recumbentes, poſt reſurrectionem *adducet cum ipſo* redeunte in gloria ſua cum majeſtate magnâ, Matth. 25. v. 31. & *in vitam æternam traducet*; infra v. 17. *ut ſint cum ipſo ſemper videntes gloriam ejus*, Johan. 17. Per CHRISTUM autem, & in CHRISTO moriuntur, qvi in fide, qvâ CHRISTO inſiti ſunt, usqve ad finem vitæ conſtanter perſeverant.

I. LOC. COMM.

JObus in magnis ſuis miſeriis non tantùm de reſurrectione Chriſti Redemptoris ſui, & ſuâ inde ſeqvuturâ ſe ſuſtentavit, Job. 19. 25. verùm etiam à DEO porrò inſtructus de DEI ſapientiâ, bonitate ac potentiâ à cap. 38. tandem cap. 42. v. 2. in hæc verba prorumpit: Novi te omnia poſſe, neqve averti à te poſſe cogitationem, puta, qvin eam, uti propoſuiſti, perficias. Sic decet omnes Chriſtianos in malis verſantes, qvando Ethnici verum ignorant ſolatium, ſcire, qvod Redemptor eorum vivat, omniaqve qvæ dixit facere poſ-

possit: siqvidem ipsi nullum verbum est impossibile, Luc. 1,37. Jer. 32,17. hoc est, omnia potest facere, qvæ promisit. Jam verò mortuos esse resurrecturos aliqvoties satis clarè per Prophetas & Apostolos dixit. Qvid igitur loci est dubitationi reliqvum? fides ex parte nostra reqviritur, qvæ tantum beneficium promissum rectè sibi applicet, firmiterqve credens in eo svaviter acqviescat. Cives Jabes ab Ammonitis obsessi nolunt se dedere: qvia Saul in crastinũ promiserat salutem: Christiani, qvi in arida hâc & ab omni solatii veri aqva (Zach. 9.) prorsus destituta terra, à Diabolo malisqve graviter premuntur, non succumbunt, qvia in futurum promissam salutem exspectant per JESUM, uti Jacob, Gen. 49,18.

II. Loc. Comm.

EX qvo fonte autem promanat illa vera aqva vitæ & consolationis liqvor? Ex CHRISTI resurrectione, respondet Apostolus. Israëlitæ cùm primùm à mari rubro, per qvod mirabiliter DEO duce incolumes erant traducti, progrediuntur, veniunt Maram, ubi aqvæ amaræ: verùm, cùm Moses inclamabat Jehovam, is ostendebat ei lignum, qvo injecto aqvæ statim dulcescebant, Exod. 15, 22. 23. 25. Omnes Christiani, cùm primùm sunt baptizati, cum suo CHRISTO in mundi hujus desertum coguntur, Marc. 1,12. (postqvam per maris rubri qvendam antitypum seu baptismum ipsi salvi transeunt, hostes autem interni ut peccata ibidem suffocantur.) perveniuntqve Maram, ubi omnia tristia coguntur experiri. Roman. 8,29. Actor. 14,22. 2. Timoth. 3,12. verùm illæ aquæ calamitatum, Psalm. 69,2. 16. & Psalm. 124. vers. 4. & 5. dulcescunt injecto ligno crucis CHRISTI, qvòd DEUS ostendit, qvando ipsum in Spiritu invocamus. Hinc concludit Apostolus hoc loco; si credimus, qvod CHRISTUS sit mortuus & resurrexerit, non necesse habemus lugere more Ethnicorũ, qvibus restat spes nulla sepultis. Ut enim CHRISTUS mortuus est, & certo resurrexit, qvippe mors tenere eum non poterat, Act. 2,24: Ita etiam cum Christo in baptismo & totâ vitâ, qvi crucifigunt suas concupiscentias, Rom. 6. Gal. 5,24. necessariò ad vitam resurgunt, 1. Cor. 15. Qvod autẽ Christus verè sit mortuus pro nobis, testatur passionis historia à qvatuor Evangelistis descripta, sicut etiam qvod resurrexit. Atqve ita habemus

mus certum complementum tum vaticiniorum, tum typorum V.T. qvæ hîc magno numero poterant adduci, nisi loco commodiori ea reservare vellemus. Ecce paucissima. Sicut ex Adami primi condormiscentis costa conditur Eva, mater omnium viventium rationalium. Gen. 2. Ita ex Adami secundi, Christi nimirum, 1. Cor. 15. in cruce obdormiscentis latere aperto nata est Ecclesia, qvæ verè est mater omnium fide viventium, & in æternum non moriturorum, Gal 4, 16. Ephes. 5, 25. Joh. 8. Et sicut illi, qvi cum Jonâ navigabant, salvari non poterant, nisi eo velut ἀποφήματι projecto in mare; sic homines salvari non potuissent, nisi Christus ita fuisset in terræ ventrem reconditus, Matth. 12. Agni paschalis interfecti sangvine, oportebat domus postes illinere, ut viverent Israëlitæ: sic credentes CHRISTI pro se mortui, 1. Cor. 5. sangvine vivificantur, Joh. 6.

III. LOC. COMM.

HActenus generalis acqvisitio; sed proh dolor! specialis est applicatio, qvia non omnes (suo tamen vitio ac culpâ, venire renuentes, qvando altilia sunt mactata, ac probe omnia parata, Matth. 22, Luc. 14.) fiunt illius meriti participes. Unde seqvitur: DEUS illos qvi obdormiverunt, per & in Christo adducet, cum eo puta, in cœlestem gloriam, qvando is venerit ad futurum judicium: reliqvos verò à se procul in inferni barathrum abiget, Matth. 25, 41. Qvando enim ipse tempore gratiæ dicebat per Verbi ministros, Venite, Matth. 11. & ipsi nolebant, Matth. 23. Ideòq; jam meritò audiunt, Ite. Hîc igitur Apostolus discrimen verum ponit somni piorum & impiorum, qvòd illi soli qvi retinent fidem & bonam conscientiam in Christo condormiscant; hi verò, scuto fidei abjecto, turpiter aufugiant, & se subducant, Hebr. 10, Age igitur, qvi cupis cum Christo in DEI Patris conspectum adduci tandem, hic cum aliis piis in ejus conspectu jugiter consiste, & coram ipso ambula, Gen. 5, 22. 24. cap. 17, 1. cap. 48, 15. Psal. 116, 9. 1. Reg. 17, 1. Ita futurum est, ut qvemadmodum Christum seqvutus es in miseriâ, etiam cum eodem vivas perpetuò in gloriâ, Luc. 22. v. 28. 29, 30. Hoc igitur sit solatium, ut alacriter pergamus ad cœli palatium.

DO-

DOMINICA XXVI. POST TRINITATIS.

2. Petr. 3. v. 9.

Οὐ βραδύνει ὁ Κύριος τῆς ἐπαγγελίας, (ὥς τινες βραδυτῆτα ἡγοῦνται,) ἀλλὰ μακροθυμεῖ εἰς ἡμᾶς μὴ βουλόμενός τινας ἀπολέσθαι, ἀλλὰ πάντας εἰς μετάνοιαν χωρῆσαι.

HAud tardat Dominus, qvi promisit, (qvemadmodum nonnulli tarditatem existimant:) Verum, patiens est erga nos, dum non vult ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam recipere.

GEn. 5. v. 6. & 7. Lamech gignit filium, eumqve vocat Noah, dicens: Hic consolabitur nos de labore nostro, & de dolore manuum nostrarum, & de maledictione, qva Jehova maledixit terræ. Is verò per centum annos integros prædicit futurum diluvium, omnemqve justitiam, (unde justitiæ præco appellatur, 2. Petr. 2, 5.) populum docet, sed frustra: unde tandem diluvium omnes malos, præter familiam & domesticos Noachi perdebat. CHRISTO JESU; qvi est vera pax, Mich. 5, 5. & consolator optimus. 2. Cor. 1, 5. Phil. 2, 1. meritò des nominis hujus honorem. Ille enim solus est, qvi consolatur nos homines de labore & dolore nostro, reddens æternæ vitæ præmium, 2. Thess. 1, 6. 2. Tim. 4, 7. & 8. & maledictionem auferens per suę mortis sanctissimum meritum, factus pro nobis maledictum, Gal. 3, 13. Qvia verò pleriq; id grata manu & mente non acceptant, prædicit diu per suos ministros futurum extremum judicium, in qvo omnes, qvi non sunt de ipsius domesticis, Eph. 2. id est, veris Ecclesiæ membris, æternum intereunt. Verum etiam hoc præconium justitiæ pleriq; negligunt, uti ex superioribus verbis ac versibus videre est apud Apostolum. Nos inde illam partem considerabimus, ubi occurrit huic objectioni: Cur DEUS ita differat suum adventum ad judicium? visuri in ea duo:

I. Veram hujus moræ ex stylo Scripturæ appellationem.
II. Veram illius dilationis rationem.

JESU CHRISTE, lux mundi, fac, nostri lumbi sint præcincti, & lychni ardentes, & simus similes hominibus expectantibus Dominum suum, ut cùm tu veneris ac pulsaveris, tam tempore gratiæ, Apoc. 3, 20. qvàm tempore gloriæ tuæ statim aperiamus, & parati reperiamur, Luc. 12, 35. 36. Matth. 25, 10.

PRIMA PARS.

JUdic. 8. Gideon benevolè aliqvid petit à civibus Succoth & Penuel, sed qvasi is non esset rediturus victor gloriosè triumphans, ita acerbè & superbè ei respondent: qvâ de causâ ad justam iram concitatus, postea eos perdidit, & civitatis turrim destruxit: CHRISTUS JESUS jam per suos ministros humanissimè vocat & invitat, Matth. 22. Luc. 14 2. Cor. 5, 20. illos, qvi in hujus mundi tugurio seu tabernaculo habitant. (סֻכּוֹת enim id signif.) & Penuel, hoc est, Ecclesiam, ubi DEI facies videtur, inhabitant, (hoc enim componitur ex פָּנִים aspexit & אֵל DEUS, vide Gen. 32, 30.) verum multi superbè id contemnunt, putantes non fore, ut is ex cœlo revertatur cum majestate, judicaturus vivos & mortuos. Sed præter spem atqve exspectationem eorum ille redit, malos malè perdit, ac turres & portas eorum destruit, hoc est, superbiæ ac confidentiæ fundamenta subvertit. In hoc ipso declarando hîc multus est Petrus, dum 1. illusorum retundit insaniam, qvi CHRISTUM ad judicium rediturum negant, vel dictis vel factis, dum ita malè ratiocinando se ipsos decipiunt: Hactenus cœlum non interiit. Ergò non deinceps interibit: qvid igitur metuimus, ne cœlum ruat? Respondet (1.) ex ejus creatione, (2.) ex priori universali orbis terrarum inundatione. (3.) Concludit æqve facilè esse DEO mundum destruere, qvàm condere: æqve posse eum igne perdere, qvàm aqvâ obruere: qvod etiam, cùm prædicebatur, nullus credebat. Seqvitur igitur objectio, cur igitur differtur? Respondet Apostolus: Etsi DEUS differt, non tamen aufert; modò sit, qvi sufferat, qvia venturus omninò est ob veracem prædictionem, nec citiùs nec tardiùs: verùm tempore ipsi soli noto, *non tardat Dominus promissionem*: non ille fallit tempus constitutum, ut nonnulli actiones DEI ex se metientes arbitrantur, & *tarditatem hanc esse dicunt*,

cunt; qvando DEUS extremum non accelerat diem, sed est *patiente animo erga nos*, qvi non, simulac ad iram commovetur, omnia statim vindicibus flammis, sibi qvæ contraria, delet, sed ex longanimitate prorsus divinâ spatium pœnitentiæ concedit, Roman. 2, 4. Non ergò vocanda hæc dilatio tarditas, sed divina longanimitas

I. Loc. Comm.

QVemadmodum ille magnus militiæ dux Sisera, Judic. 4, 21. & fortissimus ille heros Simson, Jud. 16, 19. uterqve deceptus à fœminâ tum maximè securè indormiscebat, qvando periculum, imò interitus proximè instabat: sic pleriqve in mundo à voluptate velut blandiente fœminâ seducti eò magis confidunt, qvò propius ad malum accedunt. Vide homines antediluvianos, eosqvè ad CHRISTI præscriptum, confer cum iis, qvi sub finem mundi sunt victuri, Luc. 17, 26. ex Genes. 6. & 7. Vide Sodomitas ibidem vers. 28. Genes. 19. Vide etiam Genes. 14. 15. Judic. 8, 11. 1. Samuel. 30, 16. Sic multi jam ex somno suorum vitiorum excitari neqveunt, Roman. 13, 11. 12. 13. Intereà autem Diabolus hostis humani generis vigilat, Matth. 13, 25. 28. 38. 39. qværens qvem devoret, 1. Petr. 5, 8. Sicut igitur in præcedenti dicto egimus præcipuè de somno piorum; ita hîc de somno, improbis & præfractis proprio, agi potest, de qvo Ephes. 5. 14. 1. Thess. 5, 6. & 7. Ubi dormire est peccati caligine obrui. Cum qvibus locis confer qvæ habentur de impiorum studio, qvo se tenebris gaudent semper involvere, Joh. 3, 20. & 21. Reges confugientes in spelunca pessimis modis perduntur à Josua, Jos. 10, 17. & 18. & princeps Midianitarum confugiens in rupem interficitur, Jud. 7, 25: Sic multi in vitiorum spælea se recipientes, & in lustra se abdentes malorum, à JESU judice omnis carnis perduntur, præcipuè, si lapis obdurationis ad os speluncæ obvolvatur.

II. Loc. Comm.

ALiæ sunt DEI, aliæ nostræ horæ, ideoq; non est nostrum scire, illo à DEO constitutos temporũ articulos, qvos ille Pater in suâ potestate posuit, Act. 1, 7. neq; nos debemus statim animũ abjicere, si intercesserit qvædam mora, viriliter agamus, Ps. 27. qvia jam nondũ venit DEI ho-

hora, Joh. 2. Tum autem qvando tempus ab ipso constitutum appetit, promissum statim apparet. Liqvet hoc in misione filii in carnem, eum promissum statim exspectabat Eva, pòst eundem videre desiderabant multi alii, Luc. 10. sed frustra. Cùm autem veniebat temporis plenitudo, DEUS suum filium mittebat, cum magnâ humilitate, Gal. 4. Sic idem, qvia promisit, certò veniet in magna gloria & majestate, Matth. 25. tantum nos videamus, ut simus semper parati: qvia nescimus, qvâ horâ venturus sit Dominus. Non igitur sunt istæ voces, ubi manet promisio adventus ejus? tarditatis Domini demonstrationes; sed pravitatis humanæ inanes cogitationes. Non enim tardat Dominus, neqve fallit, 1. Sam. 15, 29. Hoc nobis sit solatio: qvando DEUS videtur nostræ carni, differre promissum auxiliũ. *Veniens veniet, & non tardabit*, Hab. 2. Qvod si non expectamus cum Saule ex regno cœlorum excludimur, 1. Sam. 13, 11, 12. & 13. unde dicit Propheta: Qvi credit, non præfestinabit, Es. 28, 26. Hoc est DEUM, qvi certũ juvandi tempus apud se constituit, non antevertit, non illi præscribit metas ac tempus, sicut illi in libro Judith. cap. 8. *DEUS enim auxilium præstat tempore opportuno*, Ps. 9, 10. **Er weiß wol wenns am besten ist.** Illa est emphasis verbi יָחִישׁ apud Esaiam in loco allegato; qvum verbum illud notet, festinavit celerrimè, qvemadmodum solet aqvila, Habac. 1, 8. præsertim ut effugeret, Psal. 55, 9. ut meritò dicas: qvi credit, DEUM non præcedit, nec malis cedit; sed contra audentior itans sustinet, Heb. 10, 36. 37. Matth. 10, 22. **Wer gläubt/der bleibt.** *Qvia justus ex fide sua vivet*, Hebr. 10, 38. Hab. 2, 4.

III. LOC. COMM.

QVæ verò est efficacissima ratio, probans Christum venturum ad judicium, & omnia, qvæ jam sunt turbata, restituturũ? Respondet Apostolus: promissio ejus, ἡ ἐπαγγελία, talis prædictio, in qvâ longè abhinc, sed certò tandem futurum bonum DEUS pollicetur, sicut illis, qvi in V. T. vivebant, promittebat Messiam, qvomodo nonnulli volunt differre ἐπαγγελίαν & ἐπάγγελιον, ut illa sit de exhibendo, hoc de exhibito Messiâ pollicitatio & prædicatio. Illa tamen æqve certa, unde ob certitudinem pro ipsa re promissa ponitur, Luc. 24, 49. Actor. 1, 4. Gal. 3, 22. Hebr. 6, 12. & 9, 15. qvando in latiori signi-

significatione usurpatur. Unde tamen hoc modo possumus hic concludere, 1. quia omnis ἐπαγγελία est certa; etiam non futurum, ut hæc unica de judicio extremo fallat. 2. quia omnis ἐπαγγελία promittit bona; etiam tandem futurum, ut bonis benè sit. Quia autem Dominus nullum temporis articulũ, quo sit venturus ad judicium, nobis revelavit: putemus id nobis dictum; ideò latet ultimus dies, ut timeatur omnis dies. Quandocunque nubes in castris Israëlitarum se extollebat, ipsi cogebantur mutare locum & pergere; Sic quando Christus Sol justitiæ orietur tandem in suo splendore: coguntur omnes coram tribunali ejus comparere. Illi semper ad iter erant parati; Nos videamus, ut simus ad reddendam rationem.

IV. LOC. COMM.

INter attributa DEI hominibus sæpè inculcari debet DEI misericordia & longanimitas. Unde DEUS ipse non tantum curat illam prædicandam, potissimum quando se revelat, Exod. 34, 6. Verùm etiam idem dictum, in quo ea multis modis declaratur, sæpissimè & vel decies in Bibliis ferè iisdem vocibus emphaticis repeti voluit, Num. 14, 18. Psal. 86, 15. & 103, 8. & 145, 8 Neh. 9, 17. Joël. 2, 13. Jonæ 4, 2. Nahum 1, 3. & 4. item 7. Sir. 2, 13. Mirentur igitur alii DEI omnipotentiam, & rerum creationem: nos potius canamus DEI misericordiam, & in ea gratiosam Ecclesiæ factam revelationem, & omnium malorum conservationem, Psal. 89, 2. Dum autem dicit Apostolus: *Est longanimis erga nos, id innuit; propter paucos pios adhuc DEUM etiam parcere multis malis, & judicium extremum differre.* Confer. Gen. 18, 26. Jer. 5, 1. Est enim DEI misericordia vel *generalis erga omnes creaturas*, de qvâ Psal. 104. & 147: vel *specialis erga electos*, Deut. 32, 36. Psal. 103, 3. Eph. c. 2, 4. Unde tamen neqvaqvam seqvitur, qvod Beza inde vult exsculpere, in seqventi & jam membro tantum de electis agi; qvemadmodum non seqvitur: *DEUS propter paucos justos vult parcere Sodomæ; Ergò omnes, propter qvos judicium differt, sunt justi, sed hoc rectè: E. DEUS hisce malis qvos poterat per justitiam statim perdere, adhuc parcit propter bonos per suam misericordiam.* Præcipua autem hujus longanimitatis causa est Christi intercessio, qvæ etiam ipsos bonos reddit patri dilectos, Eph. 1, 6. & DEI ipsius erga genus humanum dilectio.

SECUNDA PARS.

HAnc (DEI dilect.) Apostolus explicat in verbis sequentibus: DEUS ita longanimis est, *non volens quosdam perire*, cùm nolit mortem morientis ac æternùm pereuntis, voluntate antecedenti & ex se, Ezech. 18, 32. qui dicit valde Emphaticè, Ezech. 33, 11. Vivo DEUS, non delector morte impii, sed delector potius, cum revertitur improbus à viâ suâ, ut vivat: quiq; vult *omnes homines salvari*, non tamen absolutè, ut Huberus somniavit: sed dum ad veritatis cognitionem perveniunt, 1. Tim. 2, 5. Idem est, quod Petrus hoc loco adjicit; *sed vult omnes* (vid. Actor. 17, 30.) *ad pœnitentiam* seriam suæ miseriæ, Deique misericordiæ agnitionem *pervenire*; à tenebris in lucem, Joh. 3, 18. à malis ad bona; à morte ad vitam se conferre, Ezech. 33, 11. quia non vult ullos perire.

I. LOC. COMM.

UBi nunc, Beza, tua fraus, tua frons? Dicis, DEUM velle absolutè quosdam æternum perire. Apostolus expressè contradicit. *Deus enim non vult quosdam perire.* Verum operæ pretium erit audire tuam audaciam dicam an amentiam? spectandum est, inquis, quos Apostolus alloquatur. Dilecti inquit v. 8. Id videris velle; ad quos dicit, de illis tantum dicit. Falsum! Vide Salvatorem, Marc. 13, 17. *Quod vobis dico, omnibus dico*: & Apostolum Rom. 15, 4. 1. Cor. 10, 11. & videbis tuæ assertionis falsitatem. Sic Lex tantum pertineret ad Israelitas, & quidem eos tantum, qui nuper erant educti ex Ægypto; Evangelium ad eos modò, quibus primum prædicatum in Judeâ à Christo & Apostolis. Vix tamen puto te hoc velle, quod tamen verba præ se ferunt. Si autem id sentis, quod sequitur: Apostolus dicit; *Nos*: E. tantum electos intelligit. Neque sic quicquam efficies. Nam etiamsi largiremur, tantùm electos intelligi, (quod tamen non est necesse,) quæ consequentia erit hæc: DEUS est erga electos patiens: E. non est patiens erga non electos? Annon fallacia oppositorum, & quidem eadem illa, qua alii concludunt ex 1. Thess. 5, 57. DEUS non posuit nos filios diei ad iram. E. reliquos posuit? Nam si ita licet inferre, quid ni pari ratione ex Rom. 8, 12. liceat arguere? Nos pii non sumus debitores, ut secundùm carnem vivamus. E. impii sunt.

Vel

Vel ex 1. Petr. 1, 18. & 20. Nos non sumus redempti rebus caducis: E. reliqvi ita sunt redempti. Vel ex 1. Cor. 15. Nos Christi membra sumus resurrecturi. E. non resurgent impii. Hoc certum est, DEUS est patiens erga electos; Interim etiam multâ patientia expectat, si qvam pœnitentiam agant improbi, Es. 5, Jer. 18. Luc. 13, 6. Rom. 2, 4. Et hoc notandum; si dicat Beza, esse ibi verbum DEI expressum, nempè omnes omninò resurrecturos, & proinde valere hic illam à Polano in Syntag. Theol. lib. 1. cap. 42. pag. 56. 7. notatam regulam: Ubi Scriptura non excipit, nec nostrum est eximere. Nam & hîc eo verbo non destituimur, uti ex jam dictis, & supra adductis in expositione textûs locis patet: qvibus adde Joh. 3, 16. 1. Joh. 2, 2. Adde qvod Petrus hic versetur in refutatione delusorum, de qvibus concludit, *DEUM non velle, ullos ex istis perire.* Qvod verò Petrus tales electos, qvales Beza fingit, qvi planè gratia DEI excidere neqveant, prorsus ignoret, constat ex c. 2. v. 20. 21. 22. & ex hoc c. 3, 17. Qvod 3. Beza adjicit, est præter rem, nec pertinet ad præsentem controversiam. *Improbos*, inqvit, *non dignatur responso, sed electos confirmat.* Esto, jam (qvamvis id nondum sit demonstratum, Apostolum nunqvam dignari responso improbos, saltem refutatorio) non dignetur illos responso alloqvio. E. de illis non est sermo. De qvo genere argumentationis supra est dictum, & mirum est eandem crambem hic denuò apponi. Sic non valet conseq. Electos confirmat: E. de improbis non dicit. Potest enim inverti hoc modo: Si DEUS non vult perire ullum improborum: multò minus sinet interire ullum electorum. Atqve ita hoc ipso electos maximè confirmat, à minùs ad magis argumentum ducens. Qvartum Bezæ argumentum est: Apostolus se adjungit: qvibus autè Apostolus se adjungit, illi omnes sunt electi. Non puto hoc esse verũ; qvod evincit illa Apostolo aliàs usitata κοινοποίησις, Vide saltem 1. Cor. 10, 22. & c. 5, 8. Qvibus omnibus adjungimus argumentum ex illo ipso loco, qvem Beza allegat, propter qvos DEUS accelerat judicium, propter illos hoc non differt: Sed propter electos accelerat, Matth. 24, 22. Ergò propter electos non differt, & proin' hoc loco Apostolus illos non intelligit. Item: Ergà qvos DEUS ita est longanimis, ut pœnã differat, & ipsi ad pœnitentiam perveniant, illi sunt improbi: Electi nõ sunt improbi. E. &c. Reliqva, qvæ habet Beza, sunt extra contro-

versiam,& non neganda; Qvod DEUS non prius extremum judicium adducat, qvam omnes electi sint vocati. Atq; hic esto Elenchus ex hoc loco maximè perspicuus. Undè apparet, universalem affirmantem non esse ullo modo restringendam, cùm ne unus qvidem excipiatur.

II. LOC. COMM.

MAgnum hîc habetur solatium pro illis, qvi tentantur utrum etiam sint in electorum numero. DEUS non tantùm dilexit omnes in Adamo secundo, qvi periêre in primo Rom. 5. 1. Cor. 15. Joh. 3, 16. & pro omnibus dedit filium, 2. Cor. 5. illis etiam qvi pereant, Rom. 14. Verùm etiam non vult ullum hominem perire; qvos autem non vult perire, illos cupit salvare; Absit autem, ut Deo hic cum nonnullis tribuamus bonum dolum. DEUS est ipsa veritas, fallere & falli neqvit. Si dicis; cùm DEUS non velit: qvi igitur fit, qvod nonnulli pereunt? scito, DEUM qvædam velle absolutè, qvæ semper & omninò fiunt, ut à DEO sunt decreta; ut missio filii in carnem: creatio mundi, ejusdem interitus, carnis resurrectio & similia; qvædam conditionaliter; & hæc tum demum fiunt, qvando conditio adjecta impletur. Illa priora neqveunt impediri, hæc possunt, qvando DEO serio volente, ordinatè tamen, homines nolunt, Matth. 23, 37. Spiritus Sanctus vocat; illi autem resistunt. Actor. 7, 51. consilium DEI de se salvandis per ordinaria media spernunt, Luc. 7, 30. DEO expandente manûs ad populum rebellem, venire nolunt, Esa. 65, 2. Vide etiam Proverb. 1, 21, 22. & 25. DEUS educturus suos Israëlitas ex Ægypto, non vult, ut relinqvatur vel ungula, Exod. 10, 26. verum cum Mose, ut eâdem nocte, omnes seqventes ductum columnæ ignis, exeant ex Ægypto. Qvod si tum nonnulli surgere noluissent ex stratis suis, & maluissent manere in Ægypto, ecqvid in DEO culpa eorum servitutis ac interitus residet? non dixeris. Ita etiam hîc non vult DEUS, ut ullus hominum pereat, sed ad agnitionem veritatis perveniat; operâ ministrorum verbi educatur ex mundi tenebris, ad Verbi divini lucem. Qvod si qvi prorsus nolunt, sed claudunt in media luce oculos; DEUS perdit ex justitiâ, qvos erat salvaturus ex misericordiâ. Adde exemplum Cyri, de qvo alibi & septem alia vulgaria exempla, seu similia extant apud Dn. Meisnerum.

III.

III. LOC. COMM.

ET hoc tertiò hic discendum; qvando thesin hanc subjicit Apostolus: *Sed omnes ad pœnitentiam venire*, seu accedere, εἰς μετάνοιαν, ut meliorem mentem induant, eos vult χωρῆσαι, velut ex unâ regione malis oppressa in aliam confugere; uti exemplum est in Jacobo, qvi, cùm fames terram Canaan affligebat, in Ægyptum se conferebat. Vides jam, qvid DEUS non tantum nolit (non strictè ac propriè accepto vocabulo) verùm etiam qvid velit. Est enim non volens, perire qvosdam (vide qvæ dicta in Psal. 5, 5. qvi locus omninò cum hoc est conferendus) sed volens ut omnes pœnitentiam agant & salventur. Hanc DEI voluntatem omnes Prophetæ, Moses Levit. 26. Deut. 28. & 30. Esaias cap. 1. & 5. Jer. c. 18. Ezech. 3. & 33. Christus, Matth. 4. Apostoli, Matth. 10. Paulus, Actor. 17. annuntiarunt. An non igitur satis seria illa? omninò. Proinde dicant, faciant, fingant, qvicqvid velint Calviniani, ut possint suam thesin Ἀπροφυλακτεῖν, nos hoc dictum illis omnibus commentis opponimus, & si maximè alia qvædam hic sint obscuriora in exemplis, sive hisce vel illis individuis; hæc verba solaribus radiis scripta nunqvam deseremus. Solem Josua, contra hostes bellum gerens, sibi jubebat stare; Nos Solem justitiæ CHRISTUM in his dictis rogemus, ut faculam dignetur allucere. Ita futurum est, ut omnibus malis fortiter superatis tandem vincamus, & cum DOMINO nostro reverso ad judicium gloriosè triumphemus.

Hactenus fuêre Epistolæ Dominicales; seqvuntur nunc illæ, qvæ diebus Festis explicari solent.

IN FERIA II. INCARNATIONIS CHRISTI, SEU DIE STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Actor. 7. v. 55. 56.

Ὑπάρχων δὲ πλήρης πνεύματος ἁγίου, ἀτενίσας εἰς τὸν οὐρανὸν, εἶδε δόξαν Θεοῦ, καὶ Ἰησοῦν ἑστῶτα ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ, καὶ εἶπεν, ἰδοὺ, θεωρῶ τοὺς οὐρανοὺς ἀνεῳγμένους, καὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐκ δεξιῶν ἑστῶτα τοῦ Θεοῦ.

CUm autem esset plenus Spiritu Sancto, intentis in cœlum oculis, vidit gloriam DEI, & JESUM stantem à dextris DEI, & ait: Ecce, video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris DEI.

GEn. 14, 12. Abraham Regibus gentium, qvi Lotum cum suis captivum abduxerant, armatis à se 318. vernis noctu securis vicissim eripit suum cognatum, & de hostibus gloriosè triumphat. Princeps mundi seu Diabolus, qvi in gentibus incredulis potissimum suum obtinet imperium, captivum tenebat genus humanum; verùm illius misertus pater ille excelsus, & futuri seculi Rex. Es. 9. ac verè illud benedictum semen Abrahæ CHRISTUS, armat suos vernas, hoc est, ministros Verbi in Ecclesiâ natos & educatos, vel etiam jure belli ex regno tenebrarum liberatos, & qvidem 318. id est, eos omnes, virtute Christi crucis, (cùm nihil aliud sciant, aut prædicent, qvàm Christum crucifixum, 1. Cor. 2.) qvæ illo numero apud Græcos significatur, cùm ita scriberetur. ΙΗΤ. ubi T. ter-

Tercentum, ι decem, η octo notat in numeris, (qvâ de re videndus Prudentius præfatione in ψυχομαχίαν: Isidorus in Etymologiis. Hier. in comm. in Ezech. cap. 9. v. 4. Ambrosius tract. de Abrahamo lib. 1. cap. 3. Eucherius in Gen. lib. 2. c. 7. & alii, qvos laudat Drusius qvæstion. Hebraic. lib. 2. qvæst. 21.) cum his illos hostes spirituales catenis caliginis damnationi servatos, 2. Petr. 2, 4. aggreditur, feliciterqve fundit, ac seqvi se victorem volentes liberat; Ut autem ibi non sine periculo facinus istud magnum aut memorabile fiebat; ita etiam multi Christi Jesu milites non sine sangvine coronantur, ut patet in Proto-martyre Stephano, qvi cum Paulo 2. Tim. 4, 8. τῆς δικαιοσύνης στέφανον reportavit, dum fortiter dimicans pro Christi gloria cadebat. Nos unde illum animum sumpserit videbimus, nempe,

Sedibus ætherei spiritus ille venit.

Partes sint duæ:

I. Qvorsum Stephanus suos oculos direxerit.

II. Qvid ex gratiosâ DEI revelatione conspexerit.

DOMINE JESU, inclina etiam cœlos tuos, & ad nos descende, Psal. 144. O Servator, fac ut luceat facies tua nobis, & ita servabimur, Psal. 80, 4. & 8.

PARS PRIOR.

APud Es. c. 48, 22. & 57, 21. improbi conferuntur cum æstuante mari, qvod non qviescit: contra pii, Psal. 125, 1. comparantur monti Sioni, qvi non dimovetur unqvam. Jam verò hi duo simul habitant, ut meritò & hic dicas, *Dominus ad maria fluitantia fundavit montem hunc*, ut de verâ terrâ ac mari dicitur, Psal. 42, 2. Exemplum si desideras, habes hic longè optimum. Vide improbos Judæos: cordibus finduntur, & dentibus frendent, vers. 54. plures contra unum insurgunt, & tumultuantur, at ille qviescit solus. Illi audientes tantum verba Stephani immane qvantum concitantur; at hic ne tumultu qvidem tanto viso commovetur. O malâ igitur improborum conditio, qvibus nunqvam est pax! & ô felix vitæ piorum ratio! qvi mediis tranqvilli sunt in armis & malorum undis fastuosis. Exemplo sit hic, qvem dixi, proto-martyr: *Qvippe qvi erat*, (Græcè hoc melius) ὑπάρχων existens. Improbi qvandoqve fingunt animi tranqvillitatem, magnamqve fiduciam, qvam nullam habent.

Non

Non etenim hos tu evasisse putes, *qvos diri conscia facti*
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit,
Occultum qvatiente animo tortore flagellum.

Sed Stephanus verè erat *plenus*. Sufficit, si qvis de mensa illâ divitis Domini tantum micas qvasdam donorum Spiritus Sancti recipit, Roman. 12. 1. Corinth. 12. Ephes. 4. qvanto igitur magis abundabit ille fortitudine, qvi Spiritu Sancto, id est, spiritu sapientiæ fortitudinisqve, Esa. 11. est plenus? Hoc autem ducente & docente qvo tendit? *Intentis oculis suspexit in cœlum*; nihil erat ipsi præsidii in terrâ, ubi undiqve hostibus erat cinctus: sursum oculos & corda vertit, & qvidem cum constantiâ; qvod notat Græcum ἀτενίζω, defigo in aliqvem oculos magnâ cum curâ, ab α & τείνω. Confer hæc loca Luc. 4, 20. & c. 22, 56. Act. 1, 10. & c. 3, 4.

I. Loc. Comm.

NUllum gravius potest excogitari supplicium, qvâm mala conscientia. Illa enim ad qvævis dicta & facta aliorum obstupescit, semperqve cum horrore suum judicium expectat. Nam res timida est improbitas, teste proprio condemnata, & semper res graves præsumit, dum constringitur conscientia, Sap. 17, 11. & fugit improbus qvisqve, nemine persequente, Levit. 26, 27. 36. Deut. 28, 7. 25. Proverb. 28, 1. Unde dicitur qvasi cauterio inusta, 1. Tim. 4, 2. Ut enim sub illa nota solet pus colligi, & dolere, si qvis tangat: ita etiam se res habet in homine malè sibi conscio, dum se accusant ipsæ cogitationes, Rom. 2, 15. vide Cainum Gen. 4. Adamum, Gen. 3. Felicem, Act. 24. & probè considera elegantem descriptionem Alexandri, dum interfecit Clytum apud Curtium libr. 8. Qvi igitur nonvis ita timere, cave contra conscientiam peccare, ne cogaris posteà cum fratribus Josephi dicere, Gen. 42, 21. cùm monuit nos Spiritus Sanctus, & recta ratio, non auscultavimus, ideòq; jam meritò nobis hæc angustia obvenit.

II. Loc. Comm.

VArii variè de fortitudine sentiunt; Ethici, eam comparari crebris actionibus: Physici eam ex bono temperamento & corde angusto oriri credunt. Vera autem animi constantia & fortitudo, est à Spiritu Sancto, qvo pleni DEI martyres omnia hujus mundi

di mala æqvo animo potuerunt sufferre. Ecce Apostolos in ignominia & plagis exultantes, Actor. 5. Septem fratres Maccabæos in tormentis tortoribus illudentes, 2. Macc. 7. De Laurentio & aliis Martyribus notæ sunt historiæ. Elephantos ad sævitiam concitari vini potu & suffitu thuris, refertur 3. Maccab. 5, 30. Certè Christiani hoc spiritu pleni, & qvum DEUS illis dat bibendum de torrente delitiarum suarum, Psal 36, 9. & qvum ipsi preces velut thura & suffitus DEO offerunt, Psal. 141. ad constantiam armantur, invictiqve redduntur. Ad Gideonem Jud. 6, 12. 16. cùm dixerat Jehova: Ito, ero tecum; omnia feliciter succedebant, nec qvisqvam ei poterat resistere. Nobis cum dicit DEUS: *Ecce dabo vobis spiritum meum*, Proverb. 1, 23. *Et ille spiritus meus, qvi est in te, non recedet ex ore tuo*, Es. 59, 21. *Si non subducimus nosmet ipsos*, Ebr. 10. *Victoriam per Christum & Spiritum DEI reportamus*, 1. Cor. 15. 1. Johan. 5. Ut autem fias spiritu DEI plenus, necesse est, ut verbum DEI audias, Sacramentis utaris, Deoqve non resistas, qvi per illa media ordinaria operatur. Vid. Actor. 2, 8, & 10.

III. LOC. COMM.

SPiritus Sanctus ductori, Psal. 143. & doctori, Joh. 16. confertur. Qvid verò docet? qvo ducit? in cœlum: non tantum, ut post hanc vitam in beatorum consortium recipiaris, verùm etiam in hâc vitâ ad DEI cognitionem, in cujus providentiâ paternâ potes ipso præmonstrante in omnibus malis conqviescere. DEUS enim ipse qvandoqve cœlum vocatur in sacris literis, Dan. 4, 26. 1. Maccab. 3, 18. 19. 60. & cap. 4, 10. Matth. 21, 25. Luc. 15, 18. 21. c. 20, 4. Horsum David in malis confugiens eum vocat suam arcem, propugnaculum, clypeum, Psal. 18. alibi locum editum, qvo se tutò possit recipere. Non igitur ad alios montes, hoc est, in mundo magnos confugiamus, sed *oculos nostros in cœlum ad Dominum erigamus, unde venit nostrum auxilium*, Psal. 121. v. 2. Verùm ut in Psal. 123. additur: *Oculos nostros intentos huc dirigamus, & ut servi morigeri ad Dominum respiciamus*: qvod hoc loco verbo Græco indicatur. Qvi enim hujus Domini conspectui ac servitiis qvandoqve se subtrahunt præfractè, non facilè exaudiuntur; *Qvia oculi Jehovæ sunt super justos, & aures ejus ad vociferationem eorum attendunt*, Psal. 34, 16. David & Salomon suorum subditorum causas libenter cognoscebant, & juvabant

oppressos: extraneos autem & rebelles exstirpebant. Qvid DEUS facturum credamus? qvi est omnibus malis ignis consumens ex justitiâ, Deut. 4. Non igitur confidamus in principibus, Psal. 118. & 146. non in nostris divitiis, Jacob. 5. non in nostrâ sapientiâ, 1. Corinth. 1. non in robore aut fortitudine; Sed in cœlum sint oculi nostri defixi. Atqve hæc est Stephani nobis imitandi pietas.

POSTERIOR PARS.

NUnc qvæ ejus beatitas, animiqve firmitas? Qvi oppressi ad Davidem confugiebant, ab eo suscipiebantur, 1. Samuel. 22, 2. Ad DEUM qvi se recipiunt, non confunduntur unqvam: qvia Dominus se non abscondit, sed prospectat ex alto loco sanctitatis suæ, ad exaudiendum suspirium *miseri* vincti, Psalm. 102, 21. Roga Stephanum, vel qvia is lapidibus obrutus jam non loqvitur, interroga Lucæ librum Canonicum, qvi semper loqvitur à Spiritu Sancto dictatus in verbis vitæ. *Vidit* ille in tantis suis periculis, per ignominiæ nubem splendore fidei discussam, *gloriam DEI*. Hæc ita illum animabat, siqvidem

Divina immensum gloria calcar habet.

Verùm hanc esse norunt omnes damnati: proinde hoc non sufficit; sed Stephanus videt etiam *JESUM Servatorem suum*, Matth. 1, 21. non tantum sedentem ad dextram DEI in majestate ac potestate, omniaqve potenter gubernantem: Verùm etiam *stantem*, dum in ipsius auxilium, qvasi surrexerat, non jam coram Pilato judicandum, sed *à dextris DEI*. Dextris autem virtutis omnipotentis, Matth. 26, 64. Hæc est visio, qvâ non solus gaudere cupiebat, sed etiam aliis eam indicare satagebat. Credidit, propter qvod loqvutus est, Psalm. 116, 10. 2. Corinth. 4, 13. *& dixit* ad astantes inimicos suos, ut suam testaretur fiduciam hac visione admodum confirmatam, & ipsorum detestaretur stultitiam, qvi ipsi possent qvidem vitam in terris eripere, sed auxilium divinum è cœlis affulgens, & gaudium jam occupandum in cœlis, non possent præcludere. *Ecce* mecum oculos animumqve sub astra tenete, *contemplor θεωρῶ*, qvia in praxi Theologicâ me rectè gero, ad

ad theoriam ulterius à DEO admittor, & ad verè divina pertingo. Contemplor non oculis corporis, sed mentis, imò fidei à Spiritu Sancto illuminatis, ut versu præcedente dicebatur, Spiritu Sancto plenus: (Nam si oculis corporeis externam qvandam visionem spectasset, reliqvi etiam homines vidissent; & si stellæ tam vasta corpora in tanto locorum intervallo tam parvæ apparent, qvid futurum fuisset CHRISTI corpori, si id fuisset in supremis cœlis, & Stephanus in terrâ stetisset? ut Calviniani putant, qvibus hæc opponit Doctor Hunnius lib. de personâ Christi, pag. 146. edit. Witteb. in 8.) Qvid verò? cœlos apertos ad me excipiendum, cui negatur locus in terris, & apertos qvidem à Patre φιλοσόργῳ, qvi cùm antea aperuit cœlos, ita clamavit de Filio suo unigenito: Hic est filius meus dilectus, Matth. 3. vers. 15. propter eundem me diligit, & portas cœlorum pandit. Nam, ecce, video etiam *filium hominis* CHRISTUM JESUM, cui καθ' ἐξοχὴν hinc inde hoc nomen tribuitur, (Psalm. 8, 5. Psalm. 80, 18. Ezechiel. 1, 26. Dan. 7, 3.) tum qvia est verus homo, tum qvia ex uno homine natus est, non ex duorum conjunctione, tum ob summam humanitatem & benivolentiam erga genus humanum, Proverb. 8. & formositatem, Psal. 45. *à dextris DEI stantem*, & paratum ad me juvandum, imò amplectendum, & ad se pertrahendum, ut sim ubi ipse est in gloriâ, Johan. 17.

I. LOC. COMM.

DIscimus, qvid causæ sit, qvòd multi non curent cœlestia. Nimirum non sunt Spiritu Sancto pleni, sed Diabolo, mundiqve cupiditatibus: spectant potiùs gloriam, qvæ est ab hominibus, qvàm DEI, Joh. 5, 44. & 12, 43. Bonus Nauclerus semper portum esse respiciendum docet, eumqvut tandem petat, magno in mari deprehensus ad cynosuram intentos oculos habet: Sic Spiritus Sanctus in Ecclesiæ navi dux summus vitæ æternæ portum, & DEI gloriam præmonstrat, & hûc vocat: Interea verò dum nondum eò pervenimus, hortatur, ut ad Phosphorum lucentem in caliginoso loco, i. e. verbū DEI attendamus, 2. Pet. 1. Gehasi, qvando nondū videbat acies DEI ipsum protegētis, *Væ nobis!* exclamabat, 2. Reg. 6. Sed jam illuminatus confidenter cum suo Domino in mediū hostiū agmen se con-

jiciebat irritosqve illorum conatûs ridebat. Ita etiam si nos saltem viderimus DEI gloriam, reliqva omnia non curamus. Vide Petrum & reliqvos duos Apostolos in monte, qvi qvum essent in terrâ, suam naviculam piscatoriam magni æstimabant. Matth. 19, 27. Verùm jam gustantes in qvadam revelatione vitæ æternæ dulcedinem, qvæ est jugis DEI visio; *Hîc est bonum esse, hîc erigamus tabernacula*, exclamant, Matth. 17, 4. Sic Moses, Exod. 33. & 34. Elias, 1. Reg. 19. peculiari DEI visione, in qvâ pauci qvidam gloriæ ejus effulgebant radii, ita excitabantur, at qvem cœpto cursu cõfirmabantur, ut soli non vererentur, multis & toti regno se opponere.

II. Loc. Comm.

CUm Israëlitæ à Philistæis pressi in castra afferri videbant arcam propitiatorii, valde exultabant, & DEUM venisse, qvi ipsos salvaret, credebant, 1. Sam. 4, 5. verùm frustrà tum temporis, qvia ipsi erant impii, qvorum viam non novit Dominus. Rectiùs verò hic Stephanus admodum lætitiâ perfunditur, cùm videt sibi ostendi propitiatorium verum. Rom. 3, 25. Jesum Christum, qvi salvare perfectè & potest, & vult omnes, qvi per ipsum accedunt ad DEUM, semper vivens, ut interpellet pro eis, Hebr. 7, 25. DEUS olim in lege nolebat eum fieri sacerdotem, in cujus oculo erat suffusio, Levitic. 21, 20. In N. T. non vult eum servum aut cultorem suum, qvi oculos fidei rerum terrenarum superfusione laborantes habet. Andreæ primi Apostoli prima ferè vox erat: *Messiam invenimus*, Joh. 1, 42. Outinam hæc nostra sit cum Stephano & Simeone ultima morientis vox, Luc. 2, 30. *Messiam Salvatorem nos vidimus.* Pastores ab Angelo moniti conferunt se Bethlehemum: Nos à ministro verbi instructi in Scripturâ, ubi panis ille vitæ nobis proponitur, Johan. 5. & 6. eum qværamus, qvia illa est, qvæ testatur de ipso. In Vet. Testam. si qvando videbant Angelum, putabant se esse morituros, & si qvi supervixerant post talem visionem, valdè sibi gratulabantur; vide Gen. 16, 13. & 32, 30. Jud. 13, 23. Nos scimus, qvòd hic Angelus fœderis Mal. 3. venerit, ut vitam habeamus & abundantiam, Joh. 10, 10. Qvid igitur trepidemus? ad eum magnâ cum fiduciâ accurramus, Hebr. 4, 16. ut accipiamus misericordiam, & gratiam inveniamus ad tempestivum auxilium: Atqve hoc est nostrum officium, ut respiciamus ad Christum Ducem nostrum, sicut faciebant Israëlitæ:

litæ ex Ægypto exeuntes: Qvodnam verò CHRISTI expectandum sit beneficium seqvitur.

III. LOC. COMM.

VIdemus JESUM stantem à dextris DEI. Qvod stare & non sedere dicitur, hic notat summam juvandi promptitudinem & voluntatem: Qvod autem à dextris DEI, indicat fortitudinem & eripiendi potestatem. Stare qvidem dicitur DEUS in Scripturâ, sed plerumqve, ut severum exerceat judicium erga malos, Psalm. 82, 1. Es. 3, 13. Amos 7, 7. Hab. 3, 6. Sed Filius DEI *stat in medio*, ut mediator unicus, Joh. 1, 26. & cap. 20, 19. 26. ut divinum conferat beneficium, & adstet seu assistat nobis, ut hoc loco & Apocal. 5, 6. & cap. 14, 1. qvando stat contra nos angelus malus, nos apud DEUM accusans, Job. 2, 1. Zach. 3, 1. Apoc. 12, 4. & 18. præcipuè autem *stabit* à nostris partibus hic JESUS, qvando nos stabimus ad tribunal DEI, Rom. 14, 10. ut tum possimus stare in magnâ confidentiâ, Sapient. 5. vers. 1. qvando cadent improbi, Psal. 1, 5. Josuæ qvidem apparebat olim hic princeps militiæ Jehovæ stans ex adverso ejus cum gladio stricto, Jos. 5. & 6. Verùm hic Stephano se ostendit, stans & habens extenta brachia ad amplexandum, labra ad osculandum, manum ad eripiendum, tu autem, qvi cupis etiam tibi ita CHRISTUM stare, vide ne volens & sciens sæpè in flagitia prolabaris, & sic demum cadas, ut surgere neqve tu possis, neqve tua causa velit hic JESUS.

IV. LOC. COMM.

FIt hoc etiam, qvando multi veritatem agnitam abnegant. Non ita Stephanus, qvi palam confitebatur, qvia dixit & explicuit reliqvis, qvid viderit. Unde nos cernimus qvanta sit necessitas confessionis eo tempore, qvando illa legitimè exigitur. Vide Matth. 10, 32, 33. Rom. 10, 9, & 10. 2. Tim. 2, 12. qvod benè inculcandum qvibusdam crypto-Calvinianis, qvi neqve hoc neqve illud, vel rogati volunt asserere, imò nonnulli jurant per DEUM, se id nunqvam sensisse, à qvo tamen nunqvam cupiunt recessisse. Stephanus *dixit*, etiam tu, qvi cum illo cupis tibi dari coronam vitæ, confitearis necesse est, præcipuè cum alii qvi possunt & debent, interrogant. Qvas aves Levit. 11 à vers. 13. usqve ad 21. DEUS sibi offerri vetat, vel planè non edunt sonum jucundum, vel valdè molestum auribus nostris; Sic

qvi vel gratam de CHRISTO confessionem edere nolunt, vel execrantur DEUM rebus adversis, à DEO reprobantur. Nos ad exemplum Stephani etiam in morte cygneam hanc cantionem canere meminerimus, & simus semper parati ad rationē reddendam omni exigenti eam, de spe, qvæ est in nobis, 1. Petr. 3, 15. ne annumeremur illis Pharisæis, de qvibus Joh. 12, 42. 43.

V. Loc. Comm.

QVod ut rectè fiat, contemplemur jugiter cœlos & Scripturam sacram, qvæ eò nos ducit: Confertur illa enim cum igne, Jer. 23, 29. Ergò ut Israelitæ ad columnam ignis, sic nos ad illam semper pergamus. Ita futurum est, ut per mundi hujus desertum infelicissimum DEI paradisum, ac hortum per multam calamitatem perveniamus ad omnem fœlicitatem. Ita fiat per CHRISTUM stantem ad dextram DEI, Amen.

IN FERIA III. NATIVITATIS
Seu
DIE JOHANNIS EVANGELISTÆ ET APOSTOLI.

Hebr. 1. v. 1. & 2.

Πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως πάλαι ὁ Θεὸς λαλήσας τοῖς πατράσιν ἐν τοῖς προφήταις, ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τούτων ἐλάλησεν ἡμῖν ἐν υἱῷ, ὃν ἔθηκε κληρονόμον πάντων, δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν.

MUltifariam, multisqve modis olim DEUS locutus Patribus per Prophetas, in extremis diebus hisce locutus est nobis per filium, qvem constituit hæredem omniū, per qvem & jam secula condidit.

JAcobus ex Mesopotamiâ in terram sanctam tendens, primum obvia habet Angelorum castra; deinde etiam ipsum Ange-

gelum increatum, seu CHRISTUM, Gen. 32. Ita Jacobi posteri, sive corporales sive spirituales intelligas, primum à ministris Verbi, deinde verò à Christo ipso docentur. Nam qvod Judæos attinet, qvot Patriarchæ, qvot Prophetæ sunt ad illos missi, qvi ipsos de Dei erga se benevolentia (si modò ipsi eam non abnuerent) confirmarent? Vide Noachum, Lothum, Mosen, Eliam, & totum Prophetarum chorum; ut hoc ipsum pluribus explicatur parabolicè, Matth. 21, 34. 36. Tandem verò ipsum filium mittebat, v. 37. qvum Christus in Judæâ hinc inde obambulans doceret & sanaret plurimos, Actor. 10, 38. fiebat minister circumcisionis, Rom. 15, 8. neq; eo modo ad ullos alios se conferebat, nisi ad oves perditas domus Israëliticæ, Matth. 15, 24. Ad hos verò qvod spectat operâ ministrorum verbi convertuntur, ut ita deinceps in Ecclesiâ ejusq; verbo Christum ipsum audiant; qvod exemplo Samaritanorum solet explicari. Ut enim illi per mulierem prius ad CHRISTUM adducebantur, postea autem non illam sed hunc ipsum auscultabant: Ita etiam Ecclesiæ ministri ad DEUM suum adducunt, qvos inveniunt, Matth. 22. Luc. 14. Ut autem hic solus est Dominus & Magister, Johan. 13, 14. ita etiam de Filio dicitur Matth. 21, 38. & apud Apostolum, Heb. 1, 2. qvem locum jam sumus explicaturi, ubi prius paucis illam convenientiam nostri cum Jacobo indicaverimus, qvæ est in ipso itinere. Is in Mesopotamiam, qvæ nomen habet ab aqvis, siqvidem Tigris, Euphrates & alia flumina eam regionem interfluunt teste Curtio & aliis. Nos ex hâc miseriarum valle, in qva multi calamitatum tortentes, Psalm. 32. & 69. & 124. in verè sanctam terram properamus. Ille fratrem metuit, nos homines, qvibus cum vivimus: Ille solus remanet: nos ab aliis deserti sæpè soli relinqvimur. Sufficiat nobis, qvod in Ecclesiâ videamus DEI faciem; Illa enim est verè פְּנִיאֵל Gen. 32, 30. Partes dicti constituemus duas.

I. DEI Patris continet erga genus humanum benevolentiam.

II. Filii θεανθρώπου verè divinam excellentiam.

JESU, Fili DEI, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis, Johan. 14. vers. 8. DEUS Pater demitte in corda nostra Spiritum Filii tui, per qvem clamemus: Abba Pater, Galat. 4. vers. 6. Ita in luce qva fruemur luce, Psalm. 36, 10. & audiemus, qvid loqvatur Jehova,

nobis, Psal. 85, 9. ille videlicet, qvi λόγος in hodierno Evangelio appellatur, Johan. 1.

O Verbum, verbi sis memor, oro, tui, Psal. 27, 8.

PRIMA PARS.

Judic. 13, 17. Manoah interrogat sibi apparentem Angelum increatum, puta Jesum Christum, qvis es nomine tuo? Cui ille respondet: *Qvid interrogas de nomine meo?* & postea egit mirabilia. Ita Deus nomen suum in hâc vitâ non omne nobis explicare potest ob nostram imbecillitatem, qvædam tamen ad salutem necessaria indicat, eaq; ut credantur, miraculis confirmat. Rectè igitur hic autor Epistolæ ad Hebræos Vetus & N.T. etiam in hoc differre dicit, qvod ibi multis modis & obscurius, hic uno modo & qvidem maximè perspicuo suam *voluntatem* declarârit. Nam *olim*, hoc est, ut dixi, sub tempus V.T. loqvutus est DEUS Patribus, Patriarchis, eorumq; posteris per Prophetas, (ita enim malumus, qvippe longè rectius, cum Luthero vertere, qvàm cum Beza, in prophetiis, qvum sit in textu ἐν τοῖς προφήταις, notusqve sit Hebraismus, qvod ב ita notet causam instrumentalem) *multifariam*, πολυμερῶς *multis vicibus & multis modis*, πολυτρόπως: siqvidem tum non modò suâ voce decalogũ proferebat, Exod. 19. & 20. Verum etiam modò per somnia se ostendebat, modò per visiones alias suam voluntatem declarabat, modò per miracula veritati testimonium perhibebat, accendendo cœlitus sacrificia, flumina findendo, ignem restingvendo. De qvibus modis ὡς ἐν τύπῳ agitur, Num. 12, 6. Job. 33, 15. Joël. 2, 28. Actor. 2, 17. *Nunc autem ultimis hisce diebus* ac temporibus; ubi duplex Hebraismus: Primum, ἡμέραι, ut apud Hebræos יָמִים, ponitur pro temporis aliqvâ duratione, ut hinc inde in Prophetarum inscriptionibus: Deindè, sicut apud illos dicitur אַחֲרִית הַיָּמִים, Gen. 49, 1. Es. 2, 2. Mich. 4, 1. Os. 3, 5. illud tempus qvando Christus erat nasciturus, qvod erat & finis Veteris Testamenti, & initium Novi, ita rectè appellatur hoc loco tempus novissimum, non qvidem simpliciter, ut nunc aliqvi nugantur, sed secundùm qvid, & respectu umbrarum corpore adventante desinentium. His igitur diebus ultimis Veteris Testamenti *loqvutus est DEUS nobis Apostolis*, eorumqve coætaneis *per filium ipsum*, qvi ex sinu Patris cœlitus attulit Evangelii doctrinam, Joh. 1, 18.

[I. Loc.

I. LOC. COMM.

PAtet hinc DEI omniscientia & omnipotentia, qvi tàm multis ac mirandis sui revelandi modis uti voluit ac potuit. Qvando Herodes cum magnâ pompa regium solium ascendebat, verbaq; ad populum facere cœperat, qvi acclamabat se audire DEI vocem non hominis: statim ab Angelo ita percutiebatur, ut erosus à vermibus animam efflaret, nec posset denuò se ita efferre, Act. 12, 21. 22. Vides hominis impotentiam, & numinis potentiam. Eandem agnosce in Nebucadnezare, Dan. 4. & aliis: ut verè dicas cum Propheta, *qvòd omnis gloria mundi exarescat ut gramen; Verbum autem DEI maneat in æternum*, Es. 40. Qvia autem DEUS multis vicibus & multis modis loqvutus est patribus, decet etiam nos sæpè & omni modo Biblia sacra scrutari, Col. 3, 16. Peccant igitur gravissimè, qvi rarò in Bibliis legunt, & agunt contra præceptum Christi, Joh. 5, 39. Etiam Anabaptistæ, qvi qvasdam sacrarum literarum particulas non esse legendas censent. *Manna non tantùm referebat saporem mellis*, Exod. 16, 32. verùm etiam *olei præstantissimi*, Num. 11, 7. & 8. imò ad omnem voluptatem *& omnem convenientem gustum poterat præparari*, Sap. 16, 20. Ita *multò magis Verbum DEI*, Psal. 19. & 119. & 23. DEUS enim multos modos suæ voluntatis declarandæ adhibuit, ut & securos terreret minis legalibus, & timidos excitaret promissionibus Evangelicis. Id qvod potest explicari ex visione Eliæ oblatâ, 1. Reg. 19. Porrò, qvia DEUS multis vicibus loqvutus est hominibus, non voluit ullo tempore eos perire, qvibus ostendit modum, qvo possent salvari. Qvod contra Calvinianos notandum; qvò pertinet parabola de conductis in vineam per multas horas, Matth. 20. *Josua sex diebus Jerichuntem circumibat, monens, ut se dederent*, Jos. 6 qvòd cum nollent præfracti, septimo die muri ejus concidebant, & omnia perdebantur. Sic nimirùm JESUS sex mille annis mundum monet, qvi verò nolunt audire ipsius vocem, tandem suâ culpâ & contumaciâ pereunt.

II. LOC. COMM.

NOtandum hîc est discrimen insigne duplex, V. & N. T. Prius est, qvod etsi duabus vicibus, omnibus vivêtibus sese revelaverit Deus, videlicet Noachi & Adamitemporibus; se expertem tamen dilucide &

dē & solenniter Judæis tantùm sua jura revelârit, & non ita aliis gentibus, Psal. 147, 19. & 20. Unde dicitur hoc loco *olim loqvutus est Patribus.* In Novo testamento autem mandavit omnibus ubiqve prædicari Evangelium, Matth. 28. Act. 17, 30. Posterius discrimen: In Vet. T. variæ erant umbræ repræsentantes futurũ Dei agnum: in N. T. autem ipsum corpus Christi est exhibitum, Col. 2. Heb. 10. qva de re qvod ad varios typos sacrificiorum, videndus est liber Leviticus; qvod verò ad complementum, Epistola ad Hebr. præsert. c. 9. & 10. ut ita hic duos Cherubim ad unum propitiatorium respicere cernas.

III. Loc. Comm.

Si tamen DEUS etiam in V. T. est loqvutus patribus: patet qvanta sit insania: I. eorum, qvi dicunt V. T. esse à malo; N. T. autem à bono DEO. Idem DEUS qvi loqvutus est nobis per filium in N. T. loqvutus est etiam per Prophetas in Veteri Testamento. Atqve ita duo Testamenta autore conveniunt, pactis differunt. II. Anabaptistarum & aliorum, qvi putant, in Veteri Testamento tantùm fuisse promissiones de rebus corporalibus. Ecce Prophetæ potissimum ad cœlum vocabant, & ad futurum Messiam auditores adducebant, qvæ sanè non sunt bona corporalia.

IV. Loc. Comm.

Si DEUS loqvutus est per Prophetas: facilè videmus, unde sit omnis Scripturæ V. T. authoritas: nimirum qvia est θεόπνευς Ⓖ, 2. Tim. 3, 16. 2. Petr. 1, 21. 2. Sam. 23, 2. Ezech. 11, 5. & qvanta tem à nobis in illâ audiendâ & legendâ sit adhibenda cùm reverentia, tùm diligentia. Qvod ad prius, semper cogitandum cum pio Cornelio ejusqve amicis, Actor. 10, 33. Nunc adsumus nos in conspectu DEI audituri omnia, qvæ tibi mandata sunt à DEO. Qvod ad posterius, cogitemus cum Æthiope, qvomodo possimus intelligere, nisi qvis viam præeat, Act. 8, 31. & rogemus: *Domine, tuus Spiritus deducat me in omnem veritatem,* Joh. 16, 13. Nam si qvisqve est suorum verborum optimus Interpres, qvomodo non Spiritus Sanctus, qvi dictavit Prophetis sacras literas, optimè illas explicaret? Hoc autem medium orationis, videlicet ardentis, qvi negligit, in se experitur, qvod dicitur Es. 29, 11. & 12. Obsignatum est scriptum, vel nescit literas, literas scilicet DEI, 1. Cor. 2, 14. Sigilla autem removere potest Leo de tribu Judâ, Agnus ille pro nobis:

bis mactatus, Apoc.5,5. 6,9. literas autem & omnem intellectum docet Spiritus Sanctus à Christo datus, Luc.24,45. Joh.10,22.

V. LOC. COMM.

MAxima est DEI φιλανθρωπία, *quod nobis dederit Filium*, Tit.2. v.11. Joh.3,16. Rom.5,8. Is erudivit sacra nescios; is ex orco redemit perditos: *is solus est ille unctus, qvi missus est prædicare Evangelium pauperibus*, Es.61,1. Luc.4,18.19. Hic demum protulit ex DEI sinu illa verba bona & consolatoria, de qvibus Zach. 1,13. & Es. 40,1. & 2. David audiens accurrere Achimaazum frustra gavisus, dixit: *Vir bonus est, & propter bonum nuntium venit*, 2.Sam.18,27. Nos rectius: *Christus est verè bonus ille Pastor*, Joh. 10. *qvi solus bonus*, Matth.19. & ad nos propter bonum nuncium, hoc est, Evangelium revelandum venit. Qvanto autem hic est præstantior Angelus, Mal.3. tantò majori cum reverentiâ & devotione est excipiendus, Ebr. 2,1. & 3. Nam hic est Angelus, de qvo scriptum est: *Mitto Angelum ad servandum te in viâ tuâ, & ad introducendum te in illum locum, qvem præparavi: Cave tibi ob præsentiam ejus, & ausculta voci ejus*, Exod.13,20. & 21. Verè autem est magna DEI in te benevolentia, qvi tuâ causâ tot illustres legatos, & inprimis Filium ipsum ad te miserit. An non enim hoc longè maximum?

SECUNDA PARS.

NUnc vide ejus verè divinam excellentiam. Nempè *qvem* filium in carnem missum, ratione humanæ natur æ, cui potest aliqvid dari in tempore, *posuit* seu effecit ac firmiter constituit *hæredem* ac Dominum. (Phrasi enim hebræâ hæres etiam alicujus rei dicitur, qvi eam qvocunqve modo occupat, legitimo tamen & hæreditario jure: conseqvi dicitur is, qvi justo titulo acqvirit, qvod possidet & habet. Qvod igitur ad phrasin spectat, vide & confer hæc loca, Deut.4,1. cap.2,31. Gen.15,8. Matth.5,5. Marc.10,17. Luc.10,25. cap.18,18. 1. Cor. 15,50. infra in hoc capite v.4 & cap.12,17. qvod verò ad rem ipsam attinet, inspice Psal.2,8.) *omnium* omninò rerum: qvemadmodum liqvet, si qvis diligentius perlustret seqventia loca, Psal.8,7. Matth.18, 27. & cap.28,18. Joh.13,3. & cap.17,2. 1.Cor.15,27. Ephes.1,21. & 22. Respectu autem divinæ naturæ, est hic filius is, per qvem etiam secula fecit, qvi mundum creavit, & terram fundavit. Vide infra v.10. ex Psal.

Τὸ κληρονομεῖν qvomodo in sacris accipiatur.

102. vers. 26. Unde etiam facilè constabit, qvod particula διὰ hoc loco non notet instumentalem causam, ut blasphemat Arrius, neq; causam sociam, ut nugantur Piscator & Goclenius, sed modum agendi. Ut enim sunt & existunt personæ divinitatis: ita etiam agunt: Pater à se; Filius à Patre; Pater per Filium in Spiritu Sancto, Roman. 11. v. 30. Ephes. 4, 6. 1. Corinth. 8, 6. Qvod verò particula διὰ sæpè non instrumentalem: verum etiam efficientem causam notet, alii jam pridem probârunt in Loco de Creatione & alibi. Conferantur hæc dicta, Roman. 1,5. Coloss. 2, 19. Roman. 5, 5. Proverb. 8, 15. & 16. 1. Corinth. 1, 9. Roman. 3, 30. Αἰὼν autem significat in Novo Testamento & mundum ipsum & tempus, qvod est à mundo condito, dum fuit verus motus, qvod utrumqve uti cœpit, ita desinet Matth. 13, 40. & 49. & cap. 28. v. 20. qvâ de re alii subtilius. Nos hoc notamus in genere: Maximam esse ejus legati præcellentiam, qvi non tantum est Dominus omnium & Monarcha; verùm etiam creator mundi & omnium, qvæ sunt in eo; & proinde longè maximam ei deberi reverentiam, Matth. 21, 27. Qvod si Pharao Rex Ægypti ante Josephum curavit proclamandum, qvoniam ipse eum constituerat super Ægyptum, flectenda ipsi esse genua, Genes. 41, 43, qvanto magis DEUS vult hunc suum Filium & Dominum omnium Φύσει καὶ θέσει, ab omnibus coli, adorari & audiri, cùm Angelis tùm hominibus. Confer infr. in hoc cap. vers. 6. Philip. 2, 10. Rom. 14, 10. & 11. Matth. 17. v. 5. Qvod si qvis facere detrectaverit, DEUS ab illo reposcet, Deut. 18, 19. Act. 3, 22. 23.

I. Loc. Comm.

DE regni CHRISTI amplitudine & stabilitate qvod prædixerunt Prophetæ Psalm. 2, 8. & 45, 7. & 72, 17. Es. 9, 7. Dan. 7. 14. & 27. Mich. 4, 7. id completum esse in JESU Salvatore nostro, testatur Evangelista, Luc. 1, 33. & autor Epist. ad Hebr. cap. 1. Magnum erat regnum Davidis, 2. Sam. 8. Majus Ahasveri, Est. 1. Christi verò longè maximum, qvod se extendit ad omnes terræ fines, Psalm. 72, 8. Zach. 9, 10. Terræ sanctæ olim certi præscribebantur limites, qvos vide descriptos Genes. 15, 18. Exod. 23, 31. Numer. 34, 3. 4. Jos. 1, 4. at Ecclesiæ Novi Testamenti & administrationi Christi nullus

ius terminus est positus, sed regnum & gratiæ & potentiæ est tàm amplum, qvàm ipse mundus, Coloss. 1, 23. Psal. 8, 7. Phrasi autem Hebræâ, qvæ in Novo Testamento retinetur, ponere aliqvis id dicitur, qvod facit, ut firmiter existat Job. 5, 11. Psalm. 104, 9. & 147, 14. Matth. 12, 18. 22, 44. & 24, 51. Joh. 15, 16. Rom. 4, 17. 1. Cor. 3, 11. Unde jam constat irritos esse omnium hostium Ecclesiæ conatûs, Psalm. 2, 1. & seq. Er ist ihnen gar zu hoch gesessen. Mardochæo super eqvum Regis collocato, & à Rege ipso honorato nocere non poterat deinceps Haman, neqve eum de illo felicitatis gradu dejicere, Esth. 6. qvanto minus id poterunt hostes Christi, jam ei subjecti? 1. Cor. 15. De throno ipsius eum non possunt depellere, sed qvi hoc conantur cum Hamane & multitudine magnâ mundi peribunt ipsi, Actor. 3, 24.

II. Loc. Comm.

QVod verò hæc, qvæ data sunt Christo in tempore, respectu humanæ naturæ ei sint data & collata, hoc loco facilè potest probari, qvum loqvatur de eo filio, per qvem loqvutus est nobis ultimis diebus. Is autem est incarnatus, & ratione carnis in Judæâ obambulavit & docuit, non ratione divinæ naturæ, qvæ nuspiam excluſa, nullibi inclusa est. CHRISTUS enim est omnium rerum Dominus natus ratione divinæ naturæ, & factus ratione humanæ naturæ. Actor. 2, 36. Qvod notandum contra Calvinianos, qvi, ne concedant CHRISTO homini competere verè divina, secundùm divinam naturam ei esse omnia data vel reddita sentiunt. Qvibus omnibus opponimus illud unum, qvod DEUS semper unus & idem maneat, Psal. 102, nunqvam minus, nunqvam plus habeat, qvod tamen de CHRISTO Θεανθρώπῳ ratione humanæ naturæ dicitur, secundum qvam exinaniri & exaltari potuit & voluit.

III. Loc. Comm.

QVod cùm ita sit, & Christus factus Dominus omnium, sine ullâ restrictione, nempè rerum creaturam, 1. Cor. 15, 27. evanescit illud figmentum explicationis qvorundam Calvinianorum, Christo tantum esse finitam potestatem datam, ut nonnulli scribant in cap. 28. Matth. Potius id nobis, Christi subditis, sit magno solatio, qvod

omnia nostro fratri sint data, isq; nobis bene velit, & possit, & cupiat dare, qvæcunqve sunt nobis necessaria & utilia. Vide Josephi historiam, in penuriâ suis fratribus, etiam malè de ipso meritis, omnia largiter suppeditantis: Ita Christus sanitatem restituit multis; paucis panibus & pisculis cibavit plurimos; ex morte ipsâ qvosdam eripuit; ut sciamus contra omnes calamitates nobis ex ipso esse certissimum auxilium, Psal. 68. v. 21. Hebr. 4, 15. & 16. **Erkan erretten alle/die zu ihm tretten.**

IV. Loc. Comm.

Qvia pater dicendo omnia creavit, ut Gen. 1. docetur, etiam per filiũ omnia creasse intelligitur; Ita tamen ut is non instrumentalis causa inferior, sed par & coœqvalis creator fuisse intelligatur. Unde ipse creasse omnia, & hæc opera manuum ejus esse verè dicuntur, Ps. 102. In divinitate enim nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, ut rectè habet Symbolum Athanasianum.

V. Loc. Comm.

CHRISTUS fecit mundum & tempus nostri causâ, (propter hominem enim reliqva omnia sunt creata) nostrum est, qvi sumus Christiani, ut his rectè utamur ad DEI gloriam. Ita futurum est, ut per Christum Dominum nostrum, ab omnibus hostibus nostris reportemus victoriam, 1. Cor. 15, 57. Eam enim ob causam nobis loqvitur per Verbi sui ministros, ut nos efficiat tandem salutis æternæ participes, propterea nos jubet ita vocare, ut possit nos æternum beare; Beati enim qvi ad cœnam nuptiarum Agni sunt vocati, qvæ verba DEI vera sunt, Apoc. 19, 19.

IN EPISTOLAM QVÆ EXPLICARI SOLET IN FERIA EPIPHANIORUM.

Esa. 60. v. 1. 2. & 3.

Φωτίζε, φωτίζε Ἱερουσαλήμ· ἦλθε γάρ σου τὸ φῶς, καὶ ἡ δόξα Κυρίου ἐπὶ σὲ ἀνατέταλκεν. Ἰδοὺ σκότος καλύψει γῆν, καὶ γνόφος ἐπ' ἔθνη· ἐπὶ δὲ σὲ φανήσεται

τας Κύριος, καὶ ἡ δόξα αὐτοῦ ἐπὶ σὲ ὀφθήσεται. Καὶ πορεύσονται βασιλεῖς ἐν τῷ φωτί σου, καὶ ἔθνη ἐν τῇ λαμπρότητί σου.

SUrge, illuminare Hierusalem: qvia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.

INter alias plagas Ægypti penultima erat triduanarum tenebrarum immissio, qvæ faciebant, qvò minus alter alterum videre posset, cum tenebræ nimiâ densitate aëris, lucem, qvam ars hominum accendit, extingverent: etiam ipsum ignem impedirent, qvò minus lucem hic subministraret. Unde fiebat, ut nullus è loco suo surgeret. *At omnibus filiis Israëlitarum erat lux in habitationibus ipsorum*, Exod. 10. 21 22. 23. Sic inter plagas qvibus afficiuntur impii obstinati in mundo, (confer Apoc. 11. 18.) mortem æternam præcedit traditio in sensum reprobum, qva fit, ut homo seqvens ductum infernalis Pharaonis, nec se ipsum, nec juxta se proximum, neqve supra se DEUM aspicere qveat; sed cor est incrassatum, callumqve obduxit, & oculi caligant, Es. 6. joh. 12. 40. qvam mentis obscurationem ars hominum non potest discutere, nec tota Philosophia: sed contra nullus è loco suo surgit, aut si surgit, hinc inde offendit; qvia manet & ambulat in tenebris. Confer Simsonem excœcatum, Jud. 16. At in habitatione Israëlitarum, id est, Ecclesiâ est lux Verbi divini, qvâ homines ex somno peccatorum excitantur, & ad omnis generis bona opera præparantur, Eph. 2. Lux autem illa hoc die Epiphaniorum plenè oriri cœpit gentibus, qvæ antea Judæis potissimum inserviebat, qvâ ut illæ nunc qvoqve rectè utantur, graviter monet, Esa. cap. 60, 1. 2. 3. Unde nos initium videbimus. Partes erunt duæ:

I. Ecclesiæ ex gratiâ dilectæ illuminatio.

II. Mundi suâ culpâ rejecti obtenebratio.

JESU

Jesu Christe, lux mundi, Joh. 1, 9. 8, 12. & 12, 37. sedemus in tenebris & umbra mortis, Luc. 1. Tu autem illumina oculos nostros, ne planè obdormiscamus in peccatorum morte, Ps. 13. ita futurum est, ut tuis ô Sol justitiæ, radiis illuminati & curati benè agamus, Mal. 4. 2. & cum Magis ad Phosphorum ac stellam tuam attendentes rectà deducamur Bethlehemum, ubi est verus vitæ panis, qvo anima nostra famelica cibetur in vitam æternam, Matth. 2. Joh. 6.

PRIMA PARS.

Mirabilis est historia, qvæ extat Actor 12 *Petrus conjectus in carcerem, & à militibus custoditus, qvum esset seqventi die ad supplicium producendus, dormit vinctus etiam catenis; sed Angelus Domini ei astitit, & lux fulget in ista domo, excitatqve eum; cui cùm Petrus auscultaret, catenæ de manibus excidebant, ipse autem ad monitum Angeli se cingit, subligat sandalia, induit pallium, seqviturqve eum, & ita ex manibus Herodis liberatur.* Est hoc factum DEI extraordinarium & mirandum. Sed tamen in multis, Scripturâ duce, ordinaria hominum conversio cum illo potest conferri. Primùm enim homo ob lapsum protoplastorum traditus, & in carcerem infernalem est compactus, Matth. 5, 25. & 18, 34. ubi à Diabolis DEI apparitoribus, Joh. 1. & 2. custoditur, 2. Petr. 2, 9. Hic autem etiam tum qvando instat DEI judicium, in peccatis svaviter dormit. Roman. 13, 12. DEUS autem ipsius misertus, Angelum suum, & Christum & ministros verbi, (qvâ de re in dicto superiori) Gen. 48 16. Os. 12, 4. Hag. 1, 13. Mal. 2, 7. mittit, qvi faculam Verbi divini allucent, & ut surgat ex somno vitiorum, hortantur, inclamantes ex Epist. ad Ephes. 5, 4. Excitare, qvi dormis, & surge, è mortuis (peccatorum operibus, Heb. 9, 14.) Sic illucescet tibi Christus. Cui voci sic auscultat homo, catenæ, qvibus ligatus est, decidunt, ipse liberatur ex potestate tenebrarum, & transfertur in regnum filii DEI, Col. 1, 12. 13. & 14. ut postea assumptâ omni DEI armaturâ ambulet indutus pallio justitiæ, & veste salutis, Es. 61. cinctus veritate, habens pedes calceatos præparatione Evangelii pacis, Ephes. 6, 14. 15. Ita demum ex manu Diaboli & inferni eripitur, Os. 13. v. 14. Qvoniam verò valdè tardi sunt multi, qvo minus, dum est tempus acceptum & dies, 2. Cor. 6. gratiam oblatam recipiant, DEUS hinc inde eos monet, ne sinant præterlabi occasionem commodam, Heb. 2, 1. Insignis autem est hæc ipsa Esaiæ adhortatio: *Surge*, tu Ecclesia

Novi

Novi Testamenti,& omnis in eâ natus dum dies jam appropinqvavit,& tempus surgendi adest,Rom.13,12. Surge qvi dormis,qvi jaces otiosus, qvi es mortuus (de his enim surgere potissimum in Scripturâ dicitur) אוֹרִי, *Illuminator* (ita enim malim passivè vertere cum Luthero,qvam activè cum Tremellio *luce*, tum qvia verbum Hebræum illam significationem sæpè habet, 1.Sam.14, 27. 29. tum qvia id postulat subjecta materia,ubi agitur de illuminatione hominis spiritualis,qvam recipit ex DEO, non qvam ipse edit; tum deniqve qvia cum Scripturæ analogiâ convenit,in qvâ hinc inde hominis conversio ita describitur,ut homo,se merè passivè habere intelligatur,vide qvæ dicta Rom.12,2 Ephes.5,1. & alibi) recipe lucem & patere te illuminari,*qvia venit lux tua*,te illustratura,*Christus lux vera illuminans,omnem hominem venientem in mundum*, Joh. 1. v. 9. *Lux illa gentium*,Luc.2,32. *& salus DEI usq; ad extremitatem terræ*,Esa. 49.v.6. nimirum ille desideratus à gentibus, Hagg. 2. *jam advenit in carne,& ex ejus institutione*,Joh.20. Matth. 16. & 18. *gloria Jehovæ*,hoc est,*gloriosum Evangelii ministerium*,2 Cor.3,7 & seq.& cap. 4,4. *super te exorta est*,spargitq; hinc inde suos radios: qvomodo verbum זָרַח qvod extat in textu,magnam habet cognationem cum זָרָה, i.e. sparsit,& זָרַע, id est,seminavit. Qvæ verò est ista gloria? *Super te*, inqvam,*exoritur ipse Jehova*,non tantum gratiosâ qvadam præsentiâ, ut in V. T. sæpè, præcipuè ad arcam fœderis & tabernaculum; verùm in incarnatione, dum ex Judæis ex semine Davidis homo nascitur Rom.9,15. Valde enim manifestum est, qvòd Dominus noster Jesus Christus ex tribu Judâ exortus sit ἀνατέταλκε, & cum Jehova illo genito,*super te gloria ejus conspicua erit*, & à multis videbitur, Hebraicè יֵרָאֶה. In *incarnatione*, qvando Angeli pastoribus apparent, *& gloria Domini circumfulget eos*, Luc. 2, 9. In *conversione*, dum hinc inde sanans & docens celebratur passim apud Evangelistas. In *morte*, dum cœlum & solum testantur sua συμπαθείᾳ, eum esse revera filium DEI. In *resurrectione* & *ascensione* in cœlos,dum Angeli ipsi inserviunt,& qvid de ejus resurrectione & ascensione habendum enarrant. Unde celeberrima fuit primum Judæa,qvâ de re jam porrò seqvitur apud Prophetam, *Et gentes ibunt ad lucem tuam* fulgentem tibi in Messiâ ejusqve Apostolis; ad Ecclesiæ gremium se conferent,*qvin etiam Reges ad splendorem exortum tibi*, est enim in

textu Hebræo לְאֹרֶךְ לְנֹגַהּ, à qvo tamen non recedit Lutheri versio, qvod ad sensum, qvoniam qvi ad Ecclesiam verè se contulerunt, etiam ambulant in illius luce ac splendore.

I. Loc. Comm.

SUrgere qvando nos jubet Dominus, ut torpore omni relicto vigilemus, otio abacto operemur, & morte superatâ virtute viventis Christi vivamus: id unico verbo monet; unde tamen non seqvitur: Dominus mandat, E. homo potest id ex se præstare. Illud enim præceptum indicat DEI voluntatem; non hominis potestatem. Confer exempla eorum, qvi eodem verbo *Surge* ex mortuis sunt à Christo excitati, Matth. 9. Luc. 7. Joh. 11. qvos, qvi ex se potuisse in vitam redire dixerit, cum ratione insaniet. Qvod est contra Pontificios, Photinianos aliosq; similes hæreticos annotandum, qvi à præcepto ad posse argumentantur, qvi error etiam ex seqventi voce *Illuminator*, & Scripturæ analogiâ satis refutatur.

II. Loc. Comm.

SUrgere solemus qvando homines honoratos ad nos venire videmus, sicut patet exemplo Loti. Gen. 19, 1. & Salomonis, 1. Reg. 2, 19. Jam autem venit de cœlo ad nos in terram Filius DEI, qvem Pater vult honorari ab omnibus, Joh. 5, 23. Surgamus igitur, eiq; occurramus, ut ipse suam sponsam hortatur, Cant. 2, 10. Imò cum osculo subjectionis excipiamus, Psal. 2, 12. Manè, qvando lucescere incipit, aut qvando pater-familias lumen conclavi infert, surgimus, & ad negotia nostra expedienda properamus. O nos miseros, si in rebus spiritualibus, & salute nostra æterna procurandâ, sumus adeò socordes! Surge ab impietate, DEI non timens; venit omnium sanctissimus, & is *cujus typus erat Aaron, gerens bracteam ex auro puro, cui inscriptum sanctitas Jehovæ*, Exod. 28, 36. Surge, blasphemator, venit is, qvi DEI numen & nomen docet venerari, Joh. 8. 49. Surge, homicida; venit, qvi *restituat mundo vitam, & verus ille DEI Sacerdos maximus*, qvò in tuo corde per fidem vivente, in asylo tuo tutus eris, & qvando eum jam pro te qvoqve mortuum esse ostendis, in possessionem hæreditatis cœlestis redire potes, Num 35. 28. Surge, adulter, cum Davide: *venit castissimus ex virgine natus*, verus ille יֶלֶד seu *mundo datus & donatus*, Es. 9.

Joh.

Joh.3. *qui te convertat*: Surgite Reges, *venit Rex Regum*, 1. Timoth. 6. Apocal. 17. & 19. Surgite, Verbi Doctores: venit *Doctor & Magister omnium*, Matth. 23. Surgite, omnes miseri, & occurrite venienti ad vos *fœlicitatis omnis autori*, Er bringt euch alle die Seligkeit. Surgite omnes benè agentes, & cum gratiarum actione excipite venientem ad vos *omnium bonorum largitorem*. Surgite, Judæi, venit *vester consanguineus*, Rom. 9. Surgite gentes: venit, à vobis *votis omnibus expetitus*, Hagg. 2. Deniq; surgite, omnes creaturæ, *adest in carne creaturam nobilissimam redempturus vester creator*. Imitamini, homines, Matthæum Apostolum, cui cum Dominus diceret, *Seqvere me*, statim surgens seqvutus est eum, Matth. 9. v. 9. Sic omnes vos jam surgite, & malas qvascunq; hujus mundi artes linqvite.

III. LOC. COMM.

QVia dicitur *Illuminator*; proh dolor! verum esse experimur, qvod scripsit Apostolus, Eph. 4, 17. *Homines ambulantes in vanitate sensus sui habere tenebris obscuratum intellectum, alienatosq; esse à DEI vitâ per ignorantiam, qvæ est in illis per cœcitatẽ cordis ipsorum*. Cui adstipulantur illi, qvorum sermo per miméſin refertur, Esa. 59, 9. *Procul existente jure à nobis palpamus, velut cœci*, sed qvid qverelis opus est? *ô cœci! intuemini ad videndum*, Esa. 42. v. 18. Ecce, venit lux vestra, de qvâ prædictum, qvod *illâ adventante sint se aperturi oculi cœcorum*, non tantum naturaliter, Esa. 35, 5. sed etiam spiritualiter, Psal. 146, 8. In lege DEUS vetuit sibi *offerri cœcum animal*, Levit. 22. Mal. 1. At in Novo Testamento venit lux, *qvæ cœcis redderet visum, ut DEO gratum exhiberet populum*, Eph. 5. Tit. 2. Rom. 12, 1. David nolebat *cœcos in suam regiam venire*, 2. Sam. 5. Christus hic cœcis constituit locum, nempè Ecclesiam, ubi possint recipere visum, atqve ita in cœli palatium recipi.

IV. LOC. COMM.

QVùm nos cum Adamo eramus ex Paradiso ejecti, neq; ullo modo patebat aditus, ut veniremus ad DEUM: DEUS misertus nostri venit ad nos, via ad errantes, vita ad mortuos, veritas ad mendaces, Joh. 14. Biß willkommen, du edler Gast. Clamat is veniens: *Venite ad me omnes*, Matth. 11. *Si qvis sitit justitiam*, Matth. 5. *Veniat ad me*, inqvit, *& bibat*, Joh. 7, 34. *Venite comparate, & comedite*, ve-

venite, inqvam, Esa. 55, 1. Summa hæc sapientia talem edit vocem: Revertimini & venite ad correctionem: Dabo vobis Spiritum meum, nota faciam vobis verba mea, Proverb. 1. 20. 23. Vide, qvi venire renuis, ne in te qvadret, qvod seqvitur vers. 24. 25. 26 Davidi redeunti à cæde Philistæi feminæ ex omnibus civitatibus Israëlis occurrebant, cantantes voce & instrumentis musicis, 1. Sam. 18, 6. & 17, Et nos non occurremus nostro Regi revertenti & venienti ad nos à cæde Diaboli, omniumqve hostium nostrorum.

V. Loc. Comm.

Solent Rex non venit sine ministris multis, & stipatoribus; unde effulget ejus majestas: Ita nec CHRISTUS sine illis adest. Nempe, Apostolos, Evangelistas, Doctores, Pastores, aliosqve habet, qvi buccinam Evangelii coram ipso inflent, Esa. 58. Hominesqve de adventu Domini sui moneant, Ephes. 4. vers. 11. & 12. Psalm. 68. vers. 12. Salomo ad ostendendam suam gloriam, qvi comitarentur ipsum, alebat duodecies mille eqvites, 1. Reg. 4. At CHRISTUS noster non tantum habet millia millium Angelorum ipsi ministrantium, etiam ad salutem credentium, Dan. 7. Hebr. 1. Verum etiam ingentem exercitum suorum verbi ministrorum, qvibus omnem munitionem mundanam destruit, & rationem captivam ducit, 2. Corinth. 10, 4. & 5. qvi cùm sint in se infirmi, indocti, pauci respectu multitudinis mundanæ; tamen Ducis sui omnipotentiâ tanta miracula præstant; unde JEHOVÆ gloria magis elucescit. Aperite igitur cordis vestri portas, ut intret Rex gloriæ, Psalm. 24. vers. 7. 9. 10. Solent autem nonnulli magnates, dum ingrediuntur aliqvam urbem magnificè pecuniam in vulgus projicere. Noster Imperator summus mundum ingrediens lucem spargit per verbum hinc inde seminatum, Luc. 8. unde ditentur in omni genere donorum seduli auditores, Ephes. 1. Dum verò dicit, gloria DOMINI, id notat: non posse una consistere falsa dogmata aut hæreticas opiniones, qvibus qværitur hominum gloria.

Cautum fuit in lege, ne qvis unum agrum vario semine conseretet:

ret Levitic. 19, 19. multò magis cavetur in Novo Testamento, ne qvis cum optimâ CHRISTI doctrinâ malas hominum traditiones agro cordis committat, sed tantum gloriam JEHOVÆ super se oriri sinat. Qvando Nadab & Abihu ignem alienum offerebant, ipsi occidebantur, Levitic. 10. Sic qvando nostris cordibus aliqvis ignis fatuus, qvi, teste experientiâ & Physicis, solet â verâ viâ in loca paludosa viatores abducere, exoritur, perimus.

VI. LOC. COMM.

IN Veteri Testamento potissimum notus erat in Judæâ DEUS, Psal. 76. & Judæis oportebat in Novo Testamento etiam primum annuntiari Verbum DEI; qvod ubi spernebant, ex mandato DEI ad gentes se convertebant Apostoli, Actor. 13. qvæ erant illæ aliæ oves, qvas voluit bonus hic pastor ex gratiâ adducere, Johan. 10. & in locum defractorum ramorum oleæ inserere, Roman. 11. Dum autem dicit: *Ibunt ad lucem tuam*; externam pædagogiam illis relinqvit, & studium ac alacritatem summam tribuit; qvemadmodum hoc eventus comprobavit in Samaritanâ, Johan. 4. Centurionibus duobus, Matth. 8. Johan. 4. Cananæa, Matth. 15. & potissimum in Actis Apostolorū; qvo pertinet, qvod Paulus multas gentes convertit, uti Dominus prædixerat, Act. 9, 15. Deinde etiam hoc notetur: duplicem esse lucem, alteram legis & iræ, qvam fugimus, alteram Evangelii & gratiæ, qvò confugimus, vide & Confer Genes. 3, 24. Exod. 19, 18. 2. Corinth. 3, 7. & seqventibus. Exod. 34, 29. Hîc itaqve Evangelii lux grata intelligitur, de qvâ nos in Ecclesiâ viventes notemus Salvatoris vocem: *Ambulate, dum lucem habetis, ne deprehendant vos tenebræ*, Johan. 12, 35, 36. Et tantum de priori, Ecclesiæ gratiosâ illuminatione.

POSTERIOR PARS.

JOsua à DEO excitatus, ut tanto majorem stragem ederet. Solem jubet consistere, ne dies se & tempus deficiat, Jos. 10, 12. Ecclesia à DEO jam illuminata meritò orat, ne Sol justitiæ ipsi occidat: Mane nobiscum, DOMINE, qvia sine te non tantum advesperascit, sed & planè nox atra ingruit. Qvod nisi fiat, idem contingit, qvod accidere solet iter facientibus, qvos dum nox

nox opprimit, ulterius progredi neqveunt, Geneſ. 28, 11. Jud. 19, 11. & 14. Hac de re ita dicit Propheta noſter: Qvare ita properant ad lucem tuam gentes? *Qvia ecce!* (qvæ eſt attentionis nota, qvod ipſæ ne qvidem agnoſcunt, ut illi, qvi lethaliter ægrotant, ægrotare ſe ignorant) *illæ tenebræ operiunt terram*, maximamq; mundi partem terrenis rebus adhærentem, *& caligo nationes* plurimas, ut neſciant, qvid agant, qvorſum eant; ſicut is, qvi in tenebris degit. Qvomodo horrenda mentis humanæ extra divinam revelationem obſcuratio deſcribitur: qvando tenebris, qvaſi veſte amicti & obducti homines introducuntur, qvod velamen niſi Chriſtus ſuſtulerit, illuminari illi non poſſunt, 2. Cor. 3, 15. & 16.

I. Loc. Comm.

Hic nobis Indicatur cauſa, cur hoc potiſſimum cum Davide exoptandum, ut poſſimus eſſe in domo Domini, Pſalm. 27. 42. 122. Nimirum extra Eccleſiam ut eſt nulla lex, ita nulla lux: ut extra eam nulla veritas, ſic etiam nulla vera proſperitas, qvia tenebræ operiunt terram, & poſt eas, imò cum iis omnis generis mala. In primâ rerum creatione tenebræ erant in ſuperficie abyſſi, maſſæ illius rudis & indigeſtæ, qvæ ſine formâ & ornatu: DEUS autem per ſuam omnipotentiam ex tenebris juſſit lucem ſplendeſcere, 2. Cor. 4, 6. multò magis in hominis regeneratione hæc lux ſumma, tenebras mentis noſtræ, ſola poteſt abigere, ornatumq; verum reducere, dum imago DEI in nobis per lucem verbi divini reſtaurari incipit. Hæc autem regeneratio, & ad lucem veram perductio, fit tantùm à Patre DEO, & matre Eccleſiâ. Unde non eſt mirum ad hanc maximè aſpirare, qvotqvot ſe non poſſe aliter regnum DEI hæreditario jure conſeqvi, perſpexerunt Joh. 3. qvi merito ſuſpirant cum Propheta Eſ. 37, 3. *Infantes cupiunt edi in lucem, & non eſt vis pariendi.* Nurus Heli, qvando audiebat captam eſſe DEI arcam, filium ſuum, qvem tum pariebat, vocat אִי כָבוֹד, (אִי eſt Chaldaicũ, idem qvod Hebraic. אַיִן non,) i. e. non eſt gloria, qvia, ubi DEUS non adeſſet ſuâ gratiâ, qvam ſolebat ad arcam fœderis declarare, nullam eſſe gloriam ſentiebat, 1. Sam. 4. Ita multò magis nos dicimus: ubi DEI arca ἡ ἁγία κιβωτὸς, Damaſc. l. 4. de orthodox. fid. c. 18. arca illa in qvâ ſunt libri Canonici repoſiti; confer Deuter. 31, 26. 1. Reg. 8, 9. Rom. 3, 2. non reperitur, & ubi verbum ejus purè non prædicatur, ibi

ibi non esse gloriam veram, qvia & Dominus gloriæ, seu Jehova, abest suâ gratiâ, & æternæ ignominiæ addicti ibi nascuntur, qvum contra honorificentissima qvæqve prædicentur de civitate DEI, nempè qvod hic & ille vir genitus sit in eâ, Psal. 87. v. 3. & 5. Iccircò qvisqvis es, oculos aperi, animum adverte, ecce, considera, & inter se benè subductâ ratione confer Ecclesiæ civium felicitatem, & omnium extra Ecclesiam degentium infelicitatem. Diebus Salomonis Regis securè qvisq; considebat in Judâ & Israële, sub vite & ficu suâ, 1. Reg. 4, 25. Sed ecce! sub regno principis pacis CHRISTI JESU longè major adest securitas; qvia conscientia ipsa pace cum DEO fruitur, Rom. 5, 1. longè major ubertas; *qvia hîc non deest vinum*, Es. 25. *in vineâ hâc spirituali*, Es. 5. *ubi est poculum exuberans*, Psal. 23, 5. *unde homines spiritualiter inebriantur*, Psal. 36. *hic non deest cibus spiritualis*, Joh. 6. *dulcior qvavis ficu*, Cant. 2, 13.

II. LOC. COMM.

SI tenebræ operiunt terram 1. qvid est, qvòd homo de DEO naturaliter cognoscit? in se qvidem restat aliqva lux; verùm ita obscurata, ut tenebrarum nomen in Scripturâ obtineat, Joh. 1, 5. & alibi; Confer Gal. 4, 8. 1. Cor. 1, 21. Qvod si ita est, desinat illa prophana ancilla Philosophia præscribere in sacris Domini suæ Theologiæ, ne cum Agara rebellante prorsus ejiciatur, Gen. 16. Confer. Col. 2, 8. 2. si tenebræ operiunt terram, hoc est, homines extra Ecclesiam, qvomodo Socrates, Numa, Cicero, Hercules, aliiqve tenebris obscuratum habentes intellectum salvarentur, uti Zinglius docuit, & alii qvidam de Calvinianâ gente. In tenebris nemo potest progredi, aut res rectè nosse: qvomodo ergò hi à terrâ in cœlum properarent pede inoffenso, qvi erant planè cœci? qvomodo DEUM, qvi lucem inhabitat humanæ rationi inaccessam, cognoscerent; qvi carent fidei oculo? Ad Persarum Regem non licebat, nisi per internuncios facta esset copia, accedere: multò minùs possumus ad DEUM appropinqvare, nisi sit, qvi nos deducat, & doceat, Actor. 8. qvoniam si ignoti nulla cupido; & gentes extra Ecclesiam DEUM verum ignorant, imò sunt, qvasi sine DEO, Eph. 2. qvomodo eum vel nosse cuperent. Græci non nisi Apostolorum ministerio Christum videre possunt, Joh. 12, 20. Gentes non nisi ope-

perâ ministrorum verbi, qvi allatâ verbi divini faculâ tantas tenebras discutiunt. Hinc 3. sequitur, & nobis in id esse allaborandum, ne in tenebris nostris maneamus, sed per fidem DEUM agnoscamus. Si enim ipse fidei oculus, qvi prælucere in reliqvis debebat, fuerit minus lucidus, ah tenebræ qvantæ existunt! Salvator ipse clamat, Matth 6, 23. Qvando qvintus Angelus suam effundebat phialam contra thronum bestiæ; obscuratum fuit regnum ejus, ita ut homines manderent lingvas suas præ dolore, Apocal. 16, 10. significatur, qvando mens non est illustrata verâ DEI notitiâ, homines & DEUM blasphemare, & sibi ipsis sua blasphemia æternum exitium acqvirere, ac in tenebras exteriores tandem projici, ubi erit fletus & stridor dentium.

III. Loc. Comm.

Si tenebræ operiunt terram, illos non infestant, qvi sursum habent corda erecta, qvi cum Apostolis sunt urbs in monte posita, qvæ non potest latere, præcipuè qvando lux adest, Matth. 5, 14. qvique cum & per Christum sunt positi insuper cœlestibus, Eph. 1, 3 & 2, 6 super illos oritur lux, imò Jehova ipse, ut in parte priori dictum. Qvi erant in castris Pharaonis, nocte premebantur, qvò minus possent contingere copias Israëlitarum, qvæ etiam in mediâ nocte prælucente ipsis Domino in columnâ ignis progrediebantur, Exod. 14, 20. Sic qvi sub Diaboli vexillis militant suâ culpâ & malitiâ ab eadem Evangelii luce excœcantur, qvà qvi sub Christo imperatore stipendia faciunt, illuminantur. Vide Joh. 12, 40. Actor. 28, 25. 2. Cor. 2, 14. & 16. Terrena igitur fuge; & tenebris non implicaberis; *Sequere Christum, qvi est lux*; ita habebis lucem & vitam æternam.

IV. Loc. Comm.

Cum de gentium tenebris dixerat, jam Propheta subjicit de caligine nationum, qvæ Hebraicè dicuntur לאמים, qvâ voce sæpissimè Judæi denotantur, vide Psalm. 2, 1. Id igitur sine dubio notat, sub tempus Novi Testamenti, qvum lux qvidem Judæis esset primum orta in Christo, & ab ejusdem Apostolis allata, Matth. 10 Luc. 24. Act. 1. & 13. tamen, qvia repulerunt eum, futurum, ut caligo nationes illas excœcet, & in locum Judæorum succedant gentes, Rom. 11. qvod ita eventus in Novo Testamento comprobavit, ut constat à cap. 13.

Act.

Act. usqve ad finem. Sit hoc & nobis dictum, ut in illorum exemplum respicientes, ex illis periculũ faciamus, nobis qvid ex usu sit, Rom. 11. Sicut hoc qvoqve in plerisqve Ecclesiis à Paulo plantatis etiamnum hodiè apparet. Verùm qvia sine DEI numine & lumine nihil est in homine, ad preces nos convertimus, & cum Psalte rogamus ex Psal. 67. v. 2. DEUS gratiam faciat nobis, illustret super nos faciem suam, & benedicat nobis. Qvæ ut sint ratæ, tu ô summe Pontifex, & unice noster Sacerdos JESU CHRISTE, benedictionem Aaroni præscriptam, Num. 6, 24. 25. 26. apud Patrem recita, & bona in illâ promissa clementer conferre digneris. Ita fiat, Amen.

PURIFICATIO MARIÆ.

Malach. 3. v. 1.

הִנְנִי שֹׁלֵחַ מַלְאָכִי וּפִנָּה־דֶרֶךְ לְפָנָי וּפִתְאֹם יָבוֹא אֶל־הֵיכָלוֹ
הָאָדוֹן אֲשֶׁר־אַתֶּם מְבַקְשִׁים וּמַלְאַךְ הַבְּרִית אֲשֶׁר אַתֶּם
חֲפֵצִים

ECce mitto angelum meum, & vertet vias ante faciem meam, & statim veniet ad templum suum dominator, qvem vos qværitis, & angelus fœderis qvem vos vultis.

DAvid unctus qvidem erat Rex, sed adhuc in exilio agens mittit ad Nabalem, qvi beneficia ipsi à se præstita exponant, & ut se benevolè suscipiat rogent. Is verò cùm durius respondisset, David ipse cum totâ suâ manu proficiscitur ad eum interficiendum; qvi tamen ab Abigaële impeditur, ac placatur 1. Sam. 25. CHRISTUS verè noster David, jam unctus erat in conceptionis primo statim momento plenitudine Divinitatis, sed propter nos, qvi eramus cum Adamo primum ex paradiso ejecti in

exilium, exulans pauliſper, & ſua gloria ſe abdicans, per Johannem Baptiſtam & Apoſtolos ſua beneficia generi humano, qvod verè ſtultum eſt in rebus ſpiritualibus, Pſalm. 14. 1. Corinth. 1. (נָבָל enim ſtultum ſignificat) exponenda curavit, ut ipſi eum libenter ſuſciperent, & ſub ipſius tutela deinceps ſecuri ab immanitate diaboli viverent. Verùm multi durius eos legatos ſuſcipiunt, ignominia non tantùm afficiunt, ſed etiam qvosdam prorſus interficiunt, Matth. 22, 6, 7. & 21, 35. Hoc autem valdè eum offendit, & mortem æternam minatur: qvam etiam infert, niſi per pœnitentiam ſeriam ei occurrant, culpamqvè deprecentur. Qvis ergò ſuſtineat diem iræ ejus? qvi ipſe non placatus adveniat? Pſalm. 2, 12. Id ipſum pluribus explicat Malach. cap. 3, 1. Nos primum verſum expoſituri partes ejus conſtituemus duas.

I. Contemplabimur Johannem Baptiſtam viam Domino præparantem.

II. Adſpiciemus ipſum Dominum adventantem.

O DOMINE, non eſt in manu hominis via ejus, Jerem. 10. viæ noſtræ ſunt corruptæ, Gen. 6. & multis ſpinis conſitæ, curis nimirum divitiarum & voluptatum hujus mundi, Luc. 8, 14. Sunt in illis valles ignorantiæ; ſunt montes ſuperbiæ, ſunt pravitates ſcelerum; ſunt aſperitates irarum, Luc. 3, 5. Tu verò fac ut impleamur cognitione tui, & noſtri, Eph. 3. Col. 1. diſcamus humillimè coram te ambulare, Mich. 6. doce nos viam qvam ambulemus: Duc nos oculis tuis, Pſal. 32. Corrige prava, & Spiritum lenitatis largire, ut ita omnibus impedimentis remotis per Verbi miniſtros ipſe intres, cœnes nobiscum, & maneas apud nos, Apoc. 3. v. 20. ut & nos viciſſim in æternum ſimus ubi tu es, Joh. 17.

PRIMA PARS.

DAvid in regno ſuo jam confirmatus Joabum Præfectum militiæ ſolebat præmittere, qvi obſideret urbes; & qvum jam jam erat capturus eas, ipſe Rex adveniebat, easqve occupabat, 2. Sam. 10, 11. CHRISTUS in regnum ſuum gratiæ jam collocatus à Patre, Pſal. 2. præceſſorem ſuum Johannem Baptiſtam, aliosqve diſcipulos præmittit, ut ipſi venturo via præparetur, Luc. 9, 52. Ipſe verò poſtea hominum corda, ut templa ſua occupat, & omnia

omnia rectè ordinat. De utriusqve & præcursoris & Salvatoris officio hîc agit Propheta. De priori hæc sunt notanda. Hactenus in capite secundo de malâ vitâ Sacerdotum satis multa: nunc porrò de unico Novi Testamenti Sacerdote CHRISTO agere incipit, qvi eos est purgaturus, & in multis reformaturus, imò Sacerdotium Leviticum, ut umbram, prorsus sublaturus. Ille verò ut tantò melius, qvando advenit, observetur, de prodromo ejus seu præcursore prius qvædam afferuntur: ut ita ex illo, velut phosphoro Sol iste justitiæ statim subseqvuturus agnoscatur. Confer infr. cap. 4,2. Joh. 1,7.8. Psalm. 132,17. Johan. 3,30. *Ecce*, inqvit Salvator apud Prophetam, attentionem excitans: qvia res magnas erat dicturus. Vos blasphemè, qværitis: ubi est DEUS judicii? tempore divinitus constituto certissimè videndum me vobis præbebo, *Ego* ipse, qvi sum judicium annunciaturus, imò judicium ad victoriam prolaturus, Matth. 12,18. 20. paulò post *missurus sum*, (Benoni pro paulò pòst futuro, ut alibi notavimus,) qvod non caret emphasi hoc loco, siqvidem miraculosè fuit conceptus, natus, & educatus, sicut Luc. 1. prolixè describitur, *Angelum meum*, nuncium & legatum præcipuum, qvô nemo major inter natos ex mulieribus extitit, Johannem Baptistam, Matth. 11, 10. Marc. 1, 2. Luc. 1, 17. & cap. 7. 27. Johan. 1, 6. 33. qvi expediat (Heb. וְאִפְנָה, pro Relativo אֲשֶׁר ut Psal. 5, 12. qvod tamen simul præteritum vertit in futurum, & verbum ipsum notat removere è conspectu ea, qvæ futura erant ingrata incessuro) *viam ante me*, clamans: Parate viam Domini, complanate semitas ejus, Matth. 3. vers. 3. omnis vallis implebitur, Luc. 3, 5. 6. Marc. 1, 3. Johan. 1. v. 23. Ex Esai. cap. 40, 3. 4. & 5. Ex qvâ collatione etiam hoc patet: CHRISTUM esse, qvi hæc loqvatur apud Malachiam, à qvo tamen non discedunt, qvod ad sensum, Evangelistæ, qvum DEO Patri hæc verba tribuunt, qvi ita de Filio suo dicat: *Mittam Angelum meum ante te*. Opera enim illa sunt toti Trinitati communia; ideoq; modò huic, modò illi personæ rectè attribuuntur, neq; Evangelistæ semper omnia verba in allegando aliqvo dicto retinent, ut Amos 5,25. & seq. & cap. 9, 11. Zach. 9, 9. indicatum est. A Græcâ autem versione, qvod illa longius recedat à textu authentico Hebræo, dum habet

ἐμβλέψεται ὁδὸν, Evangelistæ hîc discrepant. Qvod notandum contra eos, qvi nimium illi tribuunt, eò qvod Spiritus Sanctus qvandoq; ex illâ dicta Veteris Testamenti alliget, puta tum, qvum nihil mutatur in sensu. Etiam illud, qvod nonnulli interpretes hoc loco velut magnum mysterium annotant, nimis subtile est, qvod Christus hoc loco (alibî enim ita dici posse, jam non disputo, sed nec κατὰ τὸ ῥητὸν assero) dicatur facies Patris. Qvod enim pace tantorum virorum dicendum hic sit, hebraismum notum, ubi ante faciem פָּנִים vel simpliciter, vel cum affixo ponitur pro ante, non attenderunt, qvod tamen ex Evangelistarum explicatione hic discere poterant, qvi illa verba פָּנֶיךָ לִפְנֵי יְהוָה ita reddunt, ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου ἔμπροσθέν σου.

I. Loc. Comm.

FEstum hoc dicitur purificationis Mariæ. At illa erat pura virgo; nos verò impuri; ideòq; purificatione indigemus, præcipuè verò qvia oculi nostri sunt qvodam argemate & pterygio obducti, qvo minus spiritualia rectè videant: Iccircò primum verbum hujus prophetiæ, primum illi vitio vult mederi; *Ecce*, oculos aperi. Qvid verò? *purissimus hodiè purificationi Mosaicæ cum matre suâ se submittit*, Luc. 2, 22. Levit. 12. *& tu impurissimus in peccatis conceptus & natus*, Psal. 51. *in sanguine tuo volutatus & multùm maculatus*, Ezech. 16. *ut purgeris non laboras? Evigila, qvi dormis*, Eph. 5. Qvinam verò illi, qvorum operâ hoc fieri possit? In Veteri Testamento si qvis à lepra erat purgatus, Sacerdoti se ostendebat qvi purum eum esse declarabat. In Novo Testamento sunt ministri Verbi purgantes nos beneficio baptismi, qvi est lavacrum regenerationis, qvo abluuntur omnes sordes animæ, Tit. 3. 1. Petr. 3. Huc igitur cum Judæis contende, nempè ad Jordanem, ubi videbis ipsam Trinitatem, Matth. 3. si modò non claudis oculos. Johannes Baptista ibi ostendit agnum DEI, Johan. 1. & DEI præco *ostendit tibi Christum Jesum crucifixum*, 1. Cor. 2. *ejus sanguine te munda ab omnibus peccatis tuis*, Joh. 1.

II. Loc. Comm.

INsigne verò est illud DEI beneficium, *qvòd ipse suos ministros & legatos*, 2. Cor. 5. *mittit*; unde dicit apud Prophetam: *Ecce ego, ego Deus tuus*

tuus,& Dominus messis extrudo operarios Matth.9,37.38. *Ego sum, qvi do Jerosolymis Evangelizantem,* Esa. 41, 27. *do pastores ex sententiâ animi mei, qvi pascant vos scientiâ & intelligentiâ,* Jer. 3, 10. *neq; rectè sibi ipsi qvisqvam sumit hunc honorem, sed qvi vocatur à DEO, sicut & Aaron,* Heb. 5.v.4.& 5. *sunt igitur duplici honore digni,* 1.Tim.5.17. præcipuè ob mittentis majestatem. Qvum Chanun filius Nachaseh Davidis legatos affecerat ignominiâ, regno suo spoliabatur, 2. Sam. 10. Unusqvisq; homo etiam est חָנָן, id est, talis, qvi gratia & misericordia DEI maximè eget, & cui illa à DEO facta est, postqvam est filius נָחָשׁ, i. e. serpentis, puta infernalis, Gen.3. seu Diaboli, Joh. 8, 44. *DEUS mittit ipsi suos legatos, qvi eum solentur,* Esa.40,1. *gratiamq; offerant.* Qvod si hos qvisqvam ignominia afficit, nec resipiscit, regno cœlorum privatur. *Qvomodo enim credent, si non audiant verbum DEI? & qvomodo audient sine prædicante?* Rom. 10, 14. *Qvi autem non credit, condemnabitur,* Joh. 3.

III. LOC. COMM.

SAlomonis naves ibant qvidem in varias & longè dissitas insulas ac regiones: *unde divitias magnas apportabant,* 2. Chron. 8. & 9. Sed Christi Principis pacis legati *in omnes terræ partes sunt emissi,* Matth. 28. Act. 1. Col. 1. *ut inde pauperes homines advocent ad divitias DEI,* Luc. 14. Matth. 22. Eph. 1. Nostrum est ad DEUM accurrere, ipsiq; liberaliter inservire. Postqvam enim semel jugum servitutis illius per Adamum excussimus, cum Caino ejus filio à *Domini facie aufugimus,* Gen. 4. & non nisi per Ecclesiam, ejusq; ministros ad nos missos, *reduci possumus ac reconciliari,* 2. Cor. 5, 20. Pro Absolone exule restituendo *sapiens mulier supplicabat,* 2. Sam. 14. Sed pro genere humano exulante *summa DEI sapientia,* Proverb. 8. 1. Cor. 1, 31. *JESUS CHRISTUS efficaciter intercedere solus poterat,* Rom 8. Hebr. 9. qvi illud suum meritum passione & morte partum per ministros ac legatos suos omnibus curat offerendum. Vide igitur, homo, DEI charitatem, de qvâ in explicatione articuli tertii, dum te cœcum illuminat, te ignarum erudit, te mortuum excitat: & considera tuam, si non obseqveris vocationi, pravitatem; ac tuæ damnationis culpam in te hærere animadvertes.

IV. Loc. Comm.

JOhannes Baptista est Christi præcursor, angelus, ac nuncius; Christus autem ipse templi Dominus. Unde, qvodnam sit inter illius ministerium & hujus magisteriũ discrimen, patet; *nempe ex se vix ille dignꝰ est, qvi hujus solvat corrigias*, Joh. 1, 26. 27. Ille amicus & apparitor est; *hic verò Sponsus ipse & Rex summus*, Joh. 3, 28. 29. 30. Errant igitur in excessu, qvi Johannem adorant, & divino cultu afficiunt, ut Pontificii, & qvi ei honorem Messiæ detulerunt, ut Pharisæi, Joh. 1. Errant in defectu, qvi ejus concionem, ut divinam instructionem non exceperunt, neq; ei obediverunt, ut Judæi multi. Est enim minister, ideoq; non æqvandus Domino; sed nec contemnendus, propter legantem Dominum. Qvia autem est Legatus Dei, ut magnates solent suis Legatis de veste honorificâ prospicere: ita etiam DEUS ornat suos Angelos donis egregiis, Johannem zeli Eliani fervore, Luc. 1. (unde ut Elias Achabo in faciem contradicebat, 1. Reg. 18. sic Johannes Herodi resistebat, Matth. 14.) pietatis ardore, constantia verè Christianâ, tolerantiâ, in bonis perseverantia, magnâ autoritate, & concionis svavitate; qvemadmodum patet, si qvis historiam de eo apud Evangelistas descriptam consulat.

V. Loc. Comm.

QVoniam à præcursore fuit via venturo Christo expedienda, multis illam tum temporis impedimentis & obstaculis repletam fuisse colligimus. In doctrinâ erant hæreses multæ, & pravæ etiam de ipso Messiâ opiniones; in moribus regnabant crudelitas & impuritas; qvod etiam testatur ejus temporis historia, qvando erant in populo DEI Pharisæi & Sadducæi, Essæi, Herodiani, Zelotæ, aliiqve. Et ne putemus tunc tantùm temporis fuisse opus tali præcursore, cùm in humilitate veniebat Messias, nunc viam satis esse præparatam, qvando redibit in Majestate; sciamus Christum & Apostolos prædixisse circa & ante Christi adventum secundum ad judicium tempora futura esse longè difficiliora & priora. Unde, qvantum laboris maneat fideles verbi ministros hoc tempore, intelligimus, ubi longè plures hæreses sunt, longè majores in moribus pravitates. Jud. 5. 6. diebus Schamgaris desierant itinera recta, & ambulantes semitis ibant itineribus tortuosis: multò magis diebus Christi, qvi fuit in terrâ velut peregrinus, (unde nomen Hebræum

est

est compositum ex שָׁם id est, ibi, & גֵּר id est, peregrinus, accola,) qvando non tantùm fugiebat in Ægyptum Matth. 21. verùm etiam cùm non erat tantùm ipsi, in ipsa Judæa, qvò posset reclinare suum caput, Matth. 9. dum peracto redemptionis òpere intraret in suam gloriam, desierant itinera recta, nec credenda nec facienda satis servabant.

VI. LOC. COMM.

QVando hominis vita confertur in sacris literis cum viâ, de multis monemur. Qvædam in Psal. 1. sunt notata: nunc observabimus, terminos viæ, unde progrediuntur homines, esse diversos, & diversos etiam cerni fines, qvò perveniunt. Vergilius, aut qvisqvis est author carminis istius, in vita communi ex luce naturæ id literâ Pythagoræ Y indicari scribebat. Longè rectiùs id declarat literæ nostri Salvatoris, Matth. 7, 13. 14. Hic verò inprimis, de impedimentis, qvæ ingredienti Domino obstant, consideratio potest & debet institui. In horto Zizania & spinæ solent esse obstaculo, qvæ qvalia sint in DEI horto seu paradiso, Matth. 13, 22, 25. 30. ostenditur. In ædibus sæpè ingressum prohibent scamna & sellæ aut alia offendicula: in æde Domini seu Ecclesia Pharisæorum, Matth. 23. delusorum cathedræ, Psalm. 1. aliáqve vitæ humanæ catharmata. In plateis & viis, vel lutum vel saxa iter impediunt. In via ad cœlum tardant & offendere multos faciunt morum spurcities, qvæ confertur cum luto, 2. Petr. 2, 22. mens reproba, Rom. 1. & cor induratum, Exod. 4, 21. & seq. qvod est velut saxum Ezech. 26. Mulieres piæ ad CHRISTI sepulchrum properantes, de hoc sunt sollicitæ, qvis ipsi revolvat lapidem, Marc. 16. Nos Christum in suo verbo qværentes hoc primum agamus, ut saxum insciticæ & malitiæ revolvatur à DEI Angelo, id est, ministro. Qvod si qvis velit jam per omnia Decalogi Præcepta vitia inter auditores regnantia cum lapidibus aliisq; impedimentis conferre, latissimus dicendi campus patebit. Hæc enim sunt illa ipsa, qvæ removere, & à qvibus viam Domini expedire debent verbi divini ministri.

VII. LOC. COMM.

CÙm dicitur in textu לִפְנֵי, in conspectu meo, significatur nõ posse fieri, ut aspiciat illos Dominus, qvi viam ipsi non expediverunt. In

In Decalogo præceptum primum est: *Non sit ullus DEORUM alienorum tibi* עַל־פָּנָי *in conspectu meo*, Exod. 20, 2. *Ne patiaris igitur restare apud te idola ulla, ut te placido lumine adspiciat adveniens templi Dominus.* Christo ingredienti Jerosolymam discipuli, aliiq; pii, palmites ac ramos arborum in via sternebant honoris ergò Matth. 21. Nos flores pietatis spargamus, suffitumq; precationis ardentis excitemus, ut ita in nobis habeat beneplacitum, & salute nos donet Salvator benedictus: de qvò jam porrò in secundâ parte.

SECUNDA PARS.

EXod. 34, 5. 6. 7. 8. qvum Moses audiebat clamari: *Jehova, Jehova, DEUS fortis, condonans iniqvitatem respiscentibus, & visitans iniqvitatem Patrũ in filios:* sciens tum adesse ipsum DEUM, inclinato vertice in terrã adoravit & dixit: *Si inveni gratiam in oculis tuis, eat qvæso Dominus in medio nostri.* Sic qvum Mosis discipuli, qvales qvidem videri volebant Pharisæi & Judæi, audiebant vocem clamantem in deserto, Joh. 1, 23. qvæ alta voce prædicabat baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, Marc. 1, 3. & 4. *facite fructus dignos pœnitentiæ: aliàs securis ad radicem arborum posita est*, Matth. 3, 8. & 10. meritò scire debebant, & si vellent, ex vaticiniis Prophetarum poterant, adesse Messiam promissum, *qvi in medio ipsorum stabat*, Joh. 1, 26. Ita enim prædixit Malachias, statim post Johannem esse venturum Christum. Et Esa. 40. tum verba consolatoria, qvæ in cor contritum penetrent, auditum iri, qvando vox clamantis in deserto adesset. Verba nostri textûs sunt: *Et repentè* paulò post Johannem conceptum, concipietur, post natum, nascetur, post eum ad docendi munus progressum, docendi officium suscipiet, Conf. Luc. 1, 5, 13. 24. 26. 35. & cap. 2, 6. Matth. 4, 12. ac *veniet ad templum suum*, templum non tantùm illud secundum post captivitatem Babylonicam extructum, qvod tamen usqve ad Messiæ adventum in carnem durare debebat, Hag. 2, 7. 9. verùm etiam & potissimùm templum suum spirituale seu Ecclesiam, illius & *ille Dominus* הָאָדוֹן Dominus Dominorum, & cui meritò des nominis hujus honorem, qvod sit per se solus Dominus, Psal. 110, 1. Dan. 9, 17. & in qvo tanqvam basi, (hebraicè אָדוֹן) omnia subsistunt, Col. 1, 17. (qvò pertinet nonnullorum Theologorum observatio: Aliqvando in uno dicto biblico Pa-

Patrem vocari DEUM, originis ratione, Filium autem Dominum. 1. Cor. 8, 6.) *quem vos quæritis, & Angelus* à DEO Patre in mundum missus, Gal. 4, 4. Hebr. 3, 1. *fœderis*, in fœdere non tantùm promissus, Deut. 18, 15. verùm etiam, qui solus id ruptum instauravit & sancivit, Ebr. 7, 22. & 8, 6. & 9, 15. Ille ipse, *quò vos oblectamini*. Ecce quidam vestrûm putant eum longè abesse, aut nunquam venturum, quum dicitis cap. præcedenti versu ultimo, ubi est DEUS judicii? *Ecce veniens est*, & citò affuturus, *ait Jehova* Dominus *exercituum*, ad emphasin idem bis repetens, ut ita & præfractos ac severos excitet, & consternatos ac timidos soletur & erigat.

I. LOC. COMM.

TEmpore à se constituto DEUS facit existere suum verbum, tàm in bonis, qvàm in pœnis & minis. Prædictum erat à Davide qvoqve Psal. 132, 17. Ibi efficiam, ut germinet cornu Davidis, ac veniat Messias, Luc. 1, 69. ubi aptavi lucernam & præcursorem, seu δᾳδᾶχον uncto meo. Completum id esse in Johanne Baptista, ipse Salvator testatur Joh. 5, 33. 35. Qvando enim venerat hoc luminare, repentè ipse Sol justitiæ insequebatur. 2. Reg. 4. Elisæus præmisit suum ministrum, sed is nondum præsente Domino parum efficiebat: Ita verus noster Elisæus & Salvator Christus præmiserat qvidem Johannem Baptistã, verùm non erat ille lux, sed ut testaretur de luce, Joh. 1, 7. & 8. Ipse verò Christus lux mundi, Joh. 8, 12. c. 9, 15. c. 12, 35. 46. omnes tenebras discussit suis radiis, omniáqve frigida suo calore refecit. Qvod si igitur tibi à DEO factum promissum, durato & temet rebus servato secundis. *Veniens Dominus veniet & non tardabit*, Habac. 2.

II. LOC. COMM.

DUm Christus dicitur venturus ad suum templum, impletum hoc est, non tantùm qvando offerebatur hoc ipso in festo ac die purificationis, Luc. 2. & qvando in templo sedebat, in medio Doctorum ac Scribarum, ibidem: & qvando urbem Jerosolymam ingressus in templum se conferebat, illudq; repurgabat, Johan. 2. Matth. 21. Luc. 19. sed etiam, qvando ad Ecclesiam suam incarnatus venit, & postea se ei affore promisit, Matth. 18, 20. & 28, 20. Qvod

piis est solatio, improbis terrori. Nam præsente DEO conscia mens ut cuiq; sua est, ita cō cipit intra pectora pro meritis spemq; metumq; suis. Videmus autem hinc satis dilucidè, Christi regnum non esse de hoc mundo, Joh. 18, 36. qvod contra Judæos & Judaizantes est notandum; sicut & illud, qvod stante templo secundo Christus venire debuerit. Jam verò cùm illud jam pridem sit eversum, eum venisse in carnem firmiter concludimus. Porrò nec illud omittendum hoc loco; gratissimum esse Christo suum templum, & Ecclesiam, ad qvam ita sollicitè & avidè properet. Et qvia jam est in medio ejus, nulla calamitas ei prævalere poterit, Psal. 46. Excipiamus igitur illum Dominum decenti cum veneratione & exultatione, Ps. 2. In templum qvando se conferebant Reges Veteris Testamenti, plerumq; magna offerebant sacrificia: hic Rex justitiæ qvando venit ad templum suum, semel intravit in sancta sanctorum, & se ipsum victimam purissimam DEO Patri obtulit, Hebræor. 9. atqve ita hoc templum suum esse fecit, dum illud suo sangvine acqvisivit, Act. 20, 28. Qvando Judas Maccabæus hostes suos devicerat, pergit ad templum, idq; purificat, ac ut qvotannis celebretur illud festum, mandat, 1. Maccab. 4, 59. Christus qvi verè est ille, qvi denotatur isto nomine per initiales literas compositō מכבי [siqvidem est v. 11. c. 15. Exod. מִי כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהוָה Qvis sicut tu inter Deos Jehova, qvod erat velut tessera & insigne militari vexillo inscriptum, nempè verus Jehova suos hostes devicturus] venit ad suum templum, idq; purificat, & qvotidiè hujus memoriam recoli, imò nos imitari illiq; studere jubet.

III. Loc. Comm.

CHRISTUS est Dominus rerum omnium, non tantùm ratione creationis; verùm etiam ratione acqvisitionis, ut in explicatione secundi articuli dicitur: mò ille in qvo omnia subsistunt, potissimum autem, ob qvem genus humanum à DEO sustentatur. Apparet enim semper in conspectu Patris, & interpellat pro nobis, qvi fert omnia verbo virtutis suæ, Hebr. 1, 3. Ille est Dominus & DEUS judicii, cui Pater omne judicium dedit, Joh. 5, 22. ideoqve præsentia ejus & adventus metuendus. Cives Betschemesch cum magno gaudio arcam DEI excipiebant: verùm qvia irreligiosiùs inspexerant, plurimi, nimirum qvinqvagies mille septuaginta homines ex illis occidebantur,

tur, ut contremiscentes dicerent superstites? Qvis potest consistere coram Jehova DEO isto sanctissimo? 1. Sam. 6. Qvid igitur fiet nobis, qvi sumus cives בֵּית־שֶׁמֶשׁ, domus solis, solis justitiæ, i.e. Ecclesiæ? si non cum timore ac tremore tantum Dominum, debitâqve cum veneratione exosculemur, actum est de nobis, Psal. 2. Phil. 2. Ecce igitur, ô homo; Dominus venit ad templum suum, tu qvi servus ejus es, prompta ei præstes obseqvia ac servitia.

IV. LOC. COMM.

MUlti autem cum Judæis Christum absentem qværunt, inventum verò recipere nolunt, Luc. 4, 22. & 22, 67. 70. Ex nobis qvoqve multi Messiam incolumem odimus, sublatum ex oculis qværimus impii, præcipuè in verbo, Amos 8, 11. 12. Simul etiam hoc videmus, Christum in Veteri Testamento fuisse omnibus modis expetitum, Luc. 10, 24. Desiderium matris Evæ notum est, Gen. 4. suspirium patriarchæ Jacobi neminem fugit, Gen. 49. Ita Christus verè fuit aliqvis שְׁאוּל, postulatus Episcopus animarum, 1. Petr. 2. Saulem enim Regem exoptabant Israëlitæ, datum multi spernebant, 1. Sam. 8. & cap. 10, 27. illi videlicet, qvorum animos DEUS non tetigerat, ibid. v. 26. Confer exemplum Lydiæ Act. 16, 14. & Athenienstium, Act. 17, 21, 32. Act. 2, 12. 13.

V. LOC. COMM.

IN solo Christo Pater nobiscum fœdus pacis init; siqvidem ille est, qvi sangvine suo & morte nos reconciliat. Rom. 5. 2. Cor. 5. qvando peccata inter nos divisérunt & DEUM, Es. 59, 2. Is dispersos DEI filios colligit, Joh. 11. is offendentes corrigit; is saucios & ægros corpore & animo sanat; is perditos qværit & salvat. Fœdus antiqvum sangvine animalium consecrabatur, Exod. 24, 18, Hebr. 9, 10. Fœdus novum sangvine filii DEI sancitum est, & per æternum durat. Hebr. 8, 6. & cap. 13, 20. Illi igitur Angelo fœderis sit honor & gloria in perpetua seculorum secula.

IN FESTO ANNUNCIATIONIS MARIÆ.

Esa.7,14.

לָכֵן יִתֵּן אֲדֹנָי הוּא לָכֶם אוֹת הִנֵּה הָעַלְמָה הָרָה
וְיֹלֶדֶת בֵּן וְקָרָאת שְׁמוֹ עִמָּנוּאֵל׃

IDeò dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce, virgo prægnans & pariens filium, & vocabis nomen ejus Himmanuel.

2. REg. 20. Esa. 39. Hiskias ægrotans lethaliter ab Esaia promissum accipit, fore, ut vivat; signumq; additur, qvod Sol, & hinc etiam umbra ejus retrocessurus sit 10. gradibus in solario Achas. Cum Hiskiâ conferri potest Adamus, qvi etiam primò DEUM colebat ex toto corde, ambulabat coram eo, & qvod rectum videbatur in oculis ejus faciebat: ut de Hiskia 2. Reg. 20,3. habetur. Ille verò cum Evâ serpentis infernalis voci attendens lethaliter ægrotare cœpit, imò planè mortuus est, Gen. 2,17. & cap. 3. v. 19. Eph. 2,1. Is nimirum qvi à DEO creatus erat חִזְקִיָּהוּ, id est, talis cui potentia & vires magnæ, atqve adeò imago DEI plenè erat indita. Ille ipse à Jesaiâ Hebraicè יְשַׁעְיָהוּ, hoc est, si nomen interpretaris, & nunc ad secundam Trinitatis personam accomodes, ab eo, qvi est salus DEI Salvator mundi futurus: Confer Es. 49,6. Luc. 2,30. accipit πρωτευαγγέλιον, fore, ut in ipso seu mulieris semine sit victurus, Gen. 3,15. Signum verò additur id ipsum, fore ut ita Sol justitiæ, Mal. 4 retrocedat, seu demittat se per decem cœlos, (ut nonnulli numerant, qvod in medio relinqvo, & decem pro multis Scripturæ stylo hîc usurpo,) veniat in terram & incarnetur: qvemadmodum verbis satis emphaticis hoc ipsum explicatur apud Esaiam cap. 7, 14. qvod est primum in Novo Testamento (ratione librorum) nempe Matth. cap. 1,22,23. ex Veteri allegatum dictum. Nos partiemur illud in tria membra, visuri

I. ejus

I. ejus promissionem.
II. Messiæ conceptionem & nativitatem.
III. Nominis impositionem.

JESU CHRISTE, improbis qvidem es suo vitio semper signum contradictionis, Luc. 2, 34. piis autem idem es signum erectionis & consolationis, Es. 11, 10. te rogamus, ita nos ducas & doceas per signa & signacula tuæ gratiæ, verbum & sacramenta, ut cum apparuerit signum Filii hominis in cœlo, Matth. 24, 30. te excipere qveamus cum gaudio, Luc. 2, 28. Fac simus à mundi inqvinatione puræ virgines, Apoc. 14, 4. in qvorum cordibus spiritualiter formeris, Gal. 4, 19. & tu sis semper noster Immanuel, qvi nobis adsit, ut non cum impio Achas timeamus qvicqvam rerum mundanarum, Psal. 23. & 73. & 146. sed tecum, qvi per plagas & ignominiam transisti in tuam gloriam, Luc. 24, 26. 46. per sermonem veritatis, per gloriam & dedecus, per convitia & laudes tanqvam impostores & veraces tamen, nosmet tibi CHRISTE approbemus, ut DEI ministri, 2. Corinth. 6, 4. &8.

PRIMA PARS.

GIdeon iturus in prælium à DEO hoc signo confirmatur, ut in vellere lanæ posito in aream sit solo ros, non autem in terrâ, in qvâ erat siccitas, Judic. 6, 36. 37. In toto terrarum orbe erat siccitas magna consolationis, Zach. 9, 11. At solus Christus aqvam vitæ rursum afferens, Joh. 4. omnes suos ituros contra Diabolum in prælium mirificè confirmat, si modò ipsi non refugiant hunc solatii vivi fontem. Exemplum est in Achas, ejusqve multis subditis (nam

Regis ad exemplum totus componitur orbis.)

Dum enim contra eum ascendebant hostes, & DEUS per Prophetã inclamabat, fore ut liberaretur, si crederet saltem; ille non credit, ideòqve non confirmatur. **Er gläubt nicht/ so bleibt er nicht.** DEUS tamen pro suâ immensâ misericordiâ denuò ipsum per Prophetam alloqvitur, ut poscat sibi hujus promissionis signum, & miraculosum qvidem, qvo sciat futurum qvod DEUS dixerat. Is verò dum ex malitiâ agit hypocritam, & non petit, ne tentet DEUM: audit ista dura verba: *An parùm est vobis molestiâ afficere homines, nisi etiam afficiatis DEUM meum? Iccircò* qvia tu ex hypocrisi non vis peter[e],

qvia non credis, nec ad confirmandam fidem vis signum petere, *dabit* imò jam dat *DEUS ipse*, qvi est Jehova, v.10. & qvi facit existere, qvod dixit Psal.33.9. & 148.5. cùm contra non possit existere, neqve fieri qvod dixerunt homines, nisi cùm DEUS promisit sup.v.7. *vobis* incredulis & malis *signum*, si qva ratione possit sua bonitate hominum neqvitiam vincere: אות autem, qvod aliàs est nomen commune, hic non nudum aliqvod simplex aut vulgatum, sed miraculosum signum denotat, sicut seqvens membrum docebit.

I. LOC. COMM.

OCcasio hujus promissionis id monet: semper esse in mundo, qvi oppugnent Ecclesiam. Cainus Abelem occidit; Chamus patrem deridet; Lothum Sodomitæ molestiâ affecêre; Mosen cum Judæis affligit Pharao; Davidem perseqvitur Saul; Christum interficiunt Judæi; Stephanum lapidibus iidem obruunt: Paulus suarum afflictionum catalogum magnum recitat, 2. Cor. 11. ut ne qvid animo sit novum, si, qvi verus Christianus est in mundo, is mundo & hominibus non placeat, Gal. 1, 10. Salvator & magister noster id prædixit Joh.15,18.19.20. Ita sæpè fratrum qvoq; gratia rara & parva fuit. Vide Ismaëlem & Isaacum, Jacobum & Esavum; Josephum & fratres, Paulum, 2.Cor.11,26. Sapiens qvidam, reliqvis ex theatro catervatim exire nitentibus, ipse ingredi dum conabatur, ita decet, inqvit, Philosophum: ostendens, verè sapientem contraria mundo facere & pati. Nos rectiùs id Christiano convenire dicemus. Verum solatium est aliqvando mutationem futuram: sicut Christus Matth. 5. demonstrat. Diogenes à Xeniade rogatus, qvomodo sepeliri vellet? in faciem, inqvit. Percontanti causam, qvandoqvidem, inqvit, paulò pòst futurum est, ut inferiora fiant superiora. Christianus oppressus id longè melius sibi subjicit, cum malis se affligi videt. Confer Ps.39,2.& 8. & 77,11.& 12.Sap.5,1.Luc.16,22.23.24.25. Israëlitæ, qvorum infantes erant in aqvâ enecti, per medias aqvas transibant tuti. Pharao qvi enecandos illos curaverat, suffocabatur cum suis. Sic qvi Danielem leonibus objiciendum curaverant, ab iisdem discerpuntur ipsi. Ita sæpissimè justus ex angustia à DEO liberatur, & devenit improbus in locum ejus. Prov.11,8. pro eô, qvi pretiosus videtur in oculis DEI, dat homines imò nationes pro anima ejus, Es. 43.3. & 4.

II.Loc.

II. LOC. COMM.

DEUS servat hominem propter bonitatem suam, non ipsius, Psal. 113, 10. qvod est omnibus lapsis solatio. Proinde ne facilè judices servum alienum, Domino suo stat aut cadit; erigitur autem: siqvidem DEUS est satis potens ad eum erigendum. Si DEUS ad Achas denuò loqvitur, eiq; dat signum ut resipiscat, desperare nemo de salute suâ debet. David mitis suorum Imperator non statim illis omnem præsidium aut præmium abjudicat, qvi præ lassitudine aliqvandiu substiterant, 1. Sam. 30. modo non detrectarent deinceps iterum ire in prælium: Ita etiam DEUS non statim illos omnes abjicit, qvi vel cadunt, vel substistunt aliqvantisper. Illos, ut resurgant, hos ut pergant, sedulo monet, utrosq; suâ misericordiâ prævenit, Psal. 79, 8. & de conversione tantùm seriò cogitantibus, dum adhuc longè absunt, occurrit Luc 15. Ita Achas recusanti petere signum, dat ultrò, ut non immeritò dixerit qvidam veterum; DEUM longè promptiorem esse ad dandum, qvàm nos ad accipiendum. Et ne qvis dicat: Utinam & mihi suæ gratiæ signum daret! ecce & hoc præoccupavit: dat duo Sacramenta, qvibus confirmeris, qvemadmodum circumcisio modò signum (exhibitivum intellige,) modò sigillum appellatur, Gen. 17. Rom. 4. Regis Persarum annulo si qvod diploma erat obsignatum, nulli licebat id violare, aut decretum in eo contentum rescindere. Qvid verò censes de hisce DEI sigillis? ejus verbo nimirum & literis, qvæ de cœlesti patriâ ad nos transmissæ sunt, appositis?

III. LOC. COMM.

REbus in adversis una est medicina Jehova,
Corpavium, os verax, omnipotensq; manus.

Id est, qvod Propheta hic emphaticè dicit, *Dominus ipse*, אֲדֹנָי יְהוִה, ut hunc Dominum à reliqvis distingvat, 1. Cor. 6. & eum esse semper ejusq; promissa omnia veracia, hos autem qvondam non fuisse, non semper eodem loco manere & sæpè fallere. David erat qvidem Rex potentissimus, & tamen aliqvando exulare cogebatur. Salomoni mittebat DEUS tandem adversarium, & qvædam gentes ejus imperium detrectabant. Verum hic Dominus semper regnat, & ubiqve, ac omnes rebelles sceptro frangit ferreo, Psal. 2. Hoc ipsum maximam con-

consolationem præbet piis. Si enim DEUS est Dominus ipsorum perpetuus, & relatio inter servum & Dominum, (sicut Salvator argumentatur, Matth. 22.) etiam ipsi planè interire neqveunt, sed firmiter in illa basi, Col. 1, 17. subsistunt, Dominoq; suo fidentes, securi in hostes dum irruunt, clamant: *hîc gladius Jehovæ*, qvi est Verbum DEI; sicut olim vicisse Gideonis exercitum legimus.

IV. Loc. Comm.

Mira homines & Diaboli; miracula verò nulla facere possunt, Psal. 72. v. 18. ut mirum sit, hîc alios prolixas disputationes instituere: Num Diabolus vera miracula qveat edere? confer saltem illa, qvæ in Ægypto à DEO verè præstabantur, & à Diaboli cultoribus in speciem repræsentabantur, discrimen apparebit manifestum; qvibus si velis adjungere Simonis Magi, & Simonis Petri seu Pauli prodigia & signa edita, Act. 8. v. 9. non malè id ipsum demonstraveris. Adde concertationem Eliæ cum Baalis Sacerdotibus, & à Davide institutam Idolorum subsannationem, Psal. 115. Et tantum de primo membro hujus dicti, nempè de factâ promissione, ejusqve per signum confirmatione.

SECUNDA PARS.

QVodnam verò illud? non hic mundus creatur novus, non ponitur iris; non convertitur baculus in serpentem; non ex pastore fit Rex, aut ex ancillâ Regina; sed præter rerum seriem, Dominus omnium fit servus, DEUS homo. *Ecce*, qvæ demonstrandi particula, præter usum vulgarem hîc innuit & rei certitudinem & piorum semper reqvisitam attentionem, ut omissis & relictis rebus ad hoc signum respiciant & confugiant. Moses qvidem qvum Amalekitas vicerat, altare extruxit, cujus nomen vocavit Jehova vexillum meum, Exod. 17, 15. Verum hic excitatur illud signum ac vexillum, qvo meritò omnes gentes accurrant, Esa. 11, 10. Ad qvid igitur inculcatur illud Ecce! *Ecce?* הָעַלְמָה *illa virgo*, virgo virginum, (qvemadmodum nonnunqvam ה haiedia superlativum denotare notant alii,) illa virgo illibata, pura, & planè intacta, qvæ virgo fuit partum post, in & ante suum; Illa abscondita viro (ab עָלַם enim derivatur,) qvæ virum non cognovit, nempe Maria, in-

interprete Angelo, Matth. 1, 20. Luc. 1, 34. virtute DEI mirandâ, & peculiari Spiritûs Sancti operatione & obumbratione, ibid. v. 35. *concipiet* & eadem virgo *pariet* etiam *filium* futurum mundi Messiam, ut ita per semen mulieris caput serpentis conteratur. Gen. 3, 15. Gal. 4, 4.

I. LOC. COMM.

VIde: proponit DEUS in Ecclesiâ vitam ac bonum, mortem ac malum, Deut. 30, 15. ex lege, qvâ ob tuam malitiam non potes salvari, tibi Diabolus & infernus inculcat aliqvod *Ecce*, tum aliud, qvod reponas, tibi pares. Dicit is: *Ecce, hodiè te DEUS ejiciet è facie terræ*, Gen. 4. *Ecce, adducet aqvas diluvii, afflictionis & calamitatum*, Genes. 6. Psal. 32. Tu respondes: *Ecce Agnus DEI, qvi tollit peccata mundi*, Joh. 1. *Ecce homo*, Joh. 19. qvi pro hominibus satisfecit. *Ecce mala tua in peccatis origo*, Psal. 51. Respondeas ex hoc loco: Ecce illa virgo & *felix puerpera, cujus casta viscera DEUM genuerunt, & beata ubera, in ætate tenerâ, Christum lactaverunt*, ut canit antiqvitas. Noachum fuisse dictum Janum bifrontem in fabulis gentilium, sunt qvi asserunt, eò qvòd mundi pereuntis in diluvio, & renascentis post illud faciem unus viderit. Nos ut rectè ex arcâ Ecclesiæ enatemus & evitemus omnium malorum inundationem, & unde venerimus, & qvo usqve pervenire qveamus, qvid perdiderit primus, qvid recuperârit secundus Adamus, hoc aliisq; *Ecce* monemur.

II. LOC. COMM.

MAriam matrem Domini puram fuisse virginem, & mansisse, hoc oraculo divino moti firmiter credimus. Qvomodo autem illa nativitas facta, nescire nos, ut reliqvos fidei articulos, fateamur. Disputent igitur de modo alii, qvantum velint, nos videbimus, ne parum cum Helvidio, Ebione & aliis, vel nimium cum Pontificiis huic virgini tribuamus: qvod fiet, si credamus fuisse eam הָעַלְמָה, puram virginem nulli viro cognitam; non tamē divinos honores illi deferamus, qvia DEUM genuit, ipsa enim beata prædicatur, qvod credidit, Luc. 1, 45. & Christus non solùm illud beatum efficere dicit, qvod ejus venter Salvatorem mundi portaverit, sed potius qvod verbum DEI audierit, & custodierit, Luc. 11. vers. 27. 28. Purum & immaculatum oportebat esse omne sacrificium. Christus

igitur ex purâ virgine nasci voluit, ut nostram impuram originem expurgaret, & sacrificium tale semel offerret, qvod omnia totius mundi peccata perfectè expiaret: concipi voluit etiam, & edi in lucē, ut etiam se illis infantibus, qvi in utero, vel in partu extingvuntur, se venisse Salvatorem declararet.

III. LOC. COMM.

MAter nostra nos concepit & fovit in peccato, Psal. 51. Christum pura virgo concipit expertum peccati, qvia tali nobis opus erat Pontifice summo, qvi esset sanctus, sine malo, impollutus, separatus à peccatoribus, Hebr. 7, 26. Qvum ex lege Mosis primus inaugurabatur Pontifex maximus, jussu DEI Moses eum lavit aqvâ, unxit caput, vestes pretiosas induit, & pectorale addidit cum Urim & Thummim, Levit. 8, 6. & seqq. Verùm cum hic Pontifex & Sacerdos unicus Novi Testamenti secundum ordinem Melchisedech, qvi esset simul Rex Salem, in terris ἀπάτωρ, in cœlis ἀμήτωρ, Hebr. 7. erat in officium suum Mediatoris introducendus: Spiritus Sanctus massam sangvinis & carnis, unde erat nasciturus homo, in Mariâ sanctificavit, Luc. 1, 35. DEUS Pater, imò tota SS. Trinitas oleo lætitiæ eum unxit, παρὰ τοὺς μετόχους, Psal. 45, 7. Hebr. 1, 8. justitia est cingulum lumborum ejus, & fides ipsa ac veritas cingulum femorum ipsius, Esa. 11, 5. Ps. 45, 4. & 5. & in scrinio pectoris sui habet omnem cognitionem & perfectionem, vel notitiam & justitiam, veritatem & integritatem, Col. 2, 3. & 9. hunc ergò sanctissimum, imò hoc sanctum (sicut vocatur emphaticè, Luc. 1, 35.) adeamus cum fiducia nos impuri, eumqve rogemus, ut is pro nobis Patri suo offerat preces & victimam gratam, nosq; ei reconciliet, qvod erat Sacerdotis V. T. munus.

IV. LOC. COMM.

EX his ipsis verbis & veritas humanæ naturæ in Christo (qvam multi hæretici negaverunt) potest firmiter probari, dum dicitur concipi, & in lucem edi: imò cùm sit filius virginis, qvod tamen hîc prolixius tractare non libet, sicut nec illud, qvod Propheta ad summam certitudinem rei, & DEUS ad suam omniscientiam declarandam in præsenti dicat יוֹלֶדֶת pariens, ut meritò in initio hujus membri positam existimemus particulam demonstrandi, *Ecce*, & fidem esse ὑπόστασιν ἐλπιζομένων, καὶ ἔλεγχον πραγμάτων οὐ βλεπομένων, Hebr. 11, vers. 1.

TER-

TERTIA PARS.

SUnt in sacris literis, qvibus divinitus ante nativitatem sua sunt imposita nomina, ut Ismaëli, Genes. 16, 11, Isaaco, Gen. 17, 19. Joh. Baptistæ, Luc. 1, 13. sed nulli tam egregium & emphaticum, qvàm Christo, cui inditum nomen JESU, Luc. 1, 31. & 2, 21. & hîc Immanuelis, Conf. Matth. 1, 21, 23. De hac nominis impositione ita Propheta noster, & inde Evangelista modò citatus: Et *vocabis*, scilicet tu virgo mater, (qvod in voce Hebræâ קָרְאִי genus fœmininum innuit, siqvidem & matres sæpissimè nomina indidisse filiis leguntur, & hic puer verè patrem in terris nullum habebat, ideoqve mater virgo utriusqve parentis munus obibat,) qvasi per hanc personarum enallagen in rem præsentem ulterius deducat Esaias, & dicat: qvid dico virginem parere, imò ecce, jam peperit: Age tu virgo miranda DEI mater, vocabis *nomen ejus* עִמָּנוּאֵל, hoc est, si interpreteris, μεθ' ἡμῶν ὁ Θεὸς, *nobiscum DEUS fortis*, nam *Verbum caro factum est*, Joh. 1, 14. Deinde est supra nos, circa nos, intra nos, apud nos, qvâ de re paulò inferius. Nunc paucissimis de differentiâ, qvæ in codicibus N. T. extat, dicam. Hebræam illam vocem nonnulli verterunt in tertiâ personâ, sed qvia (1.) קָרְאִי non קָרְאֵי legimus constanter in Hebraico textu authentico. (2.) in codicibus correctis N. T. reperitur καλέσεις, non καλέσῃ, qvanqvam alii etiam legant καλέσωσι, & (3.) illa personarum enallage in uno versu sit apud Prophetas freqvens: Mihi religio est mutare qvicqvā, qvin sino hîc unumqvemq; suo abundare sensu, cùm discrepantes hîc inveniam interpretum sententias.

I. LOC. COMM.

QVando Messiæ jam ante multos annos nomen indit DEUS, id inter alia monemur, hunc futurum eum, per qvem nostrum nomen in DEI libro scribatur ad vitam, vide Luc. 10, 19. & 20. Deleti eramus in Adamo primo, per hunc secundum recipimur in gratiam & numerum liberorum DEI. Moses qvidem & Paulus optabant deleri de libro vitæ, ut Israëlitæ salvi fierent; Verùm id DEO non placebat. Christo datur nomen Immanuelis & Jesu, ut is solus sit revera ipse, qvi nos à venturâ irâ liberet. Deinde qvando matri dicitur, qvòd ipsa debeat vocare filium suum Immanuelem, nos memineri-

mus imitari eam, & vocare nostrum Salvatorem in fide nostrum Immanuelem. Qvisqvis enim invocaverit fideliter nomen hujus Domini, salvabitur, Joel. 2, 32. Rom. 10, 13. Unde pro eodem accipiuntur credere in Christum & in nomen ejus.

II. Loc. Comm.

COnsolatione autem & doctrinâ plenissimum est nomen illud Immanuel. Ita enim verè appellatur Christus, (1.) *Ratione incarnationis*, qvia est jam θεάνθρωπος caro de carne nostra, & os de ossibus nostris, DEIq; Filius factus homo, ut nos fieremus filii DEI, vide Joh. 1, 14. 12. Hebr. 2, 14. 16. 17. & cap. 4, 15. David qvidem in Veteri Testamento se non timere ajebat, qvia Dominus ipsi adesset, Psal. 146. Nos in Novo Testamento longè rectius id nobis subjicimus, qvia qvod semel assumpsit, nunqvam jam deponit. (2.) Immanuel noster est pro nobis *ratione intercessionis*. Verus ille est Mediator, & totius generis humani propitiatorium, Rom. 3, 25. vide Rom. 8, 33. Heb. 9, 24. 1. Joh. 2, 1. Si igitur hic DEUS apud DEUM pro nobis intercedit, respiciet ille faciem Christi sui, Psal. 84, 10. (3.) In nobis, *ratione inhabitationis*, qvando per fidem habitat in piis, Gal. 2, 20. Eph. 3, 17. cosq; in omnibus actionibus regit, ducit & docet. (4.) Apud nos, *ratione defensionis*, in periculis præsens & protegens, Psal. 46, 6. 8. 12. & 91. v. 15. & 124, 1. 2. Verùm (5.) *Ratione justificationis* intra nos, suum meritum nobis applicans. (6.) *Ratione consolationis*, paterno & fraterno animo affectus erga nos. (7.) *Ratione resurrectionis* ante nos, ut primitiæ dormientium, 1. Cor. 15. & ante nos abiens ad patrem paraturus nobis locum, Joh. 14. ut nos ad se pertrahat, nosqve cum ipso simus perpetuò, Joh. 17. 1. Thess. 4. Hic ille est Immanuel, qvi non tantùm loqvutus est patribus, sæpè in formâ ad tempus assumptâ; sed qvi tandem, cum esset in sinu patris, inde veniens, & nostram carnem induens, de voluntate DEI nos erudiit. Hic est ille Immanuel, cujus justitia & innocentia, (qvod pellibus agninis fuit indicatum, Genes. cap. 3.) protoplastos ornavit, cujus sangvine fœdus DEI nobiscum fuit stabilitum; cujus preces nos summo Regi reconciliarunt, & præsentia gratiores effecit, qvàm Benjamini olim Josephi fratres. Hic est ille Immanuel, qvi aderat Mosi & populo Israëlitico, providens, ne qvis hostis externus iis noceret, dum in terram sanctam proficiscerentur. Hic est ille, qvi Noachum

in-

in aqvis, Lothum in seditiosis, Davidem in exilio, Danielem, ejusq; tres socios protexit in præsentissimo exitio. Hoc duce Josua hostes superavit, hoc duce Gedeon copias hostiles fugavit. Hic Jesus Josuã Sacerdotem vestibus mundis induit, Zach. 3. Et tunicam justitiæ Esaiæ dedit, Es. 61. hic non tantùm voluit se fratrem nostrum appellare, Psal. 22, v. 3. Hebr. 2, 12. Joh. 20, 17. sed & probare, qvando suam animam pro nobis posuit. Hic Eliam & Enochum vivos in cœlum transtulit; idem nos excitatos secum in gloriã abducet, Matth. 25. 1. Cor. 15. 1. Thess. 4. Illi igitur Immanueli nostro ac fratri exoptato, patriqve perpetuo, Es. 9. sit gloria & honor sine termino, Amen.

FERIÆ II. PASCHATOS.

Actor. 10. v. 34. 35.

Ἀνοίξας δὲ Πέτρος τὸ στόμα εἶπεν· ἐπ' ἀληθείας καταλαμβάνομαι, ὅτι οὐκ ἔστι προσωπολήπτης ὁ θεὸς, ἀλλ' ἐν παντὶ ἔθνει ὁ φοβούμενος αὐτὸν καὶ ἐργαζόμενος δικαιοσύνην, δεκτὸς αὐτῷ ἐστί.

APeriens autem Petrus os, dixit: Re ipsa comperio, qvòd non sit personarum respectus apud DEUM, sed in qvavis gente, qvi timet ipsum, & operatur justitiam, is acceptus est illi.

EXod. 18. Jethro audiens, qvæ DEUS fecerat Israëlitis, se ad Mosen confert, qvi dum ipsi enarrat, & DEI beneficia, & hostium populiq; maleficia, lætus dixit: *Benedictus sit Jehova, qvi eripuit vos è manu Ægyptiorum & Pharaonis.* Ipse verò se cum suis Ecclesiæ Judaicæ adjungit, & unà in terram sanctam proficiscitur, vide Num. 10, 29. Jud. 1, 16, & 4, 11. 1. Sam. 15, 6. 2. Reg. 10, 15. 1. Chron. 2, 55. Jer. 35. Cum Jethrone possunt conferri gentes. Ut enim ille in Midianitarum agro habitabat extra DEI populum: ita & gentes in Veteri Testamento erant alienæ à Testamentis DEI, Eph. 2, 12. Ut ipsius nomen notat residuum, derivatur enim à שָׁאַר seu reliqviæ & residuum; ita hoc ipso denotantur gentes, vide Mich. 5, 3. qvippe

cooptandæ tandem, & velut reliqviæ congregandæ. Fit autem hoc, qvando audiunt ea, qvæ DEUS fecit & facturus est Israëlitis seu fidelibus, enarrante illa Mose, aliisqve ex eo verbi divini ministris, qvi explicant & promissiones & præmia piis facta, & comminationes ac pœnas impiis denunciata & immissa. Ipsæ verò his cognitis exclamant cum Zachariâ: *Benedictus sit Dominus DEUS Israël, qvia visitavit & præstitit redemptionem populo suo*, Luc. 1, 68. cum Paulo ex Eph. 1, 3. *Benedictus DEUS & Pater Domini nostri Jesu Christi, qvi benedixit nobis omnibus omni benedictione spirituali:* atqve ita Judæis se verisqve DEI confessoribus adjungunt, ac cum ipsis in cœlum tendunt, *sedes ubi Jova qvietas ostendit: illic fas regna resurgere CHRISTI.* Exemplum insigne est in Cornelio Centurione, de qvo jam paucis nobis agendum, & inprimis de Exordio orationis, qvam Petrus in ejus ædibus habuit, ostendens in Novo Testamento jam ruptum esse parietis *intergerini* septum. Partes sunt duæ.

I. DEI in omnes æqvitas.

II. Hominum in DEUM pietas.

Domine aperi labia nostra, ut annuncient laudem tuam, Psal. 51. fac agnoscamus tuam veritatem & æqvitatem, Psal. 67. ita ut te metuamus, & qvæ recta sunt capessamus, ad nominis tui gloriam, & nostram ipsorum salutem, Psal. 25. v. 4. & 5.

PRIMA PARS.

HOmines post lapsum in rebus divinis esse mutos, (ut mente & intellectu sunt cœci, Joh. 1.) David non tantùm suo exemplo testatur, Psal. 51. v. 17. verum etiam alii viri DEI ad ministerium verbi vocati suam balbutiem in istis mysteriis explicandis agnoscunt, adeò ut de fugâ qvidam cogitarent. Vide Mosen Exod. 3. & 4. Esaiam, Jeremiam & Danielem, qvorum trium labia & ora manu DEI tacta, tandem ad laudem DEI annunciandam idonea reddebantur, Esa. 6, 6. & 7. Jer. 1, 9. Dan. 10, 16. Manus DEI in Scripturâ ejus omnipotentiam sæpè notat; digitus autem Spiritum Sanctum, sicut patet ex Luc. c. 11. DEI Spiritus igitur, qvando suâ vi omnipotente aliqvem tangit, tunc donis ad prædicandum Evangelium necessariis instruit. Id ipsum notat hoc in dicto præmissum proœmium, qvod videri poterat supervacaneum iis, qvi non norunt, in sacris literis nihil esse imperfectum aut

aut inutile. *Petrus verò, qvum aperuisset os suum, dixit.* Ita est, postqvam Spiritus Sanctus cor ipsum superiori visione, & adjecta explicatione instruxerat, etiam Petrus suum os aperire, rectè & ritè loqvi poterat. Id tamen addendum, qvod simul notetur dicentis confidentia & eloqventia, Confer Matth. 13, 35. Luc. 1, 64. in Novo Testamento, & in Veteri, Psal. 78, 2. & 81, 11. Proverb. 31, 8, 9. 26. Magnum verò & memorabile, qvod cum tanto apparatu dictum fuisse scribitur. *In veritate*, id est, si hebraismum explices, *verè*, revera, *comprehendo*, καταλαμβάνομαι, deprehendo & animadverto. **Nun erfahre ichs, und kans begreiffen:** ex eventu scilicet, qvi optimus promissionum & vaticiniorum interpres. Qvid autem hoc? *qvòd DEUS*, qvi est dives misericordia super omnes, *non sit acceptor personarum*, non respiciat externa, qvemadmodum פָּנִים נָשָׂא & הִכִּיר hinc inde in Veteri Testamento usurpatur.

I. Loc. Comm.

QVando Petrus Spiritûs Sancti instinctu os suum aperuisse legitur, de duobus monentur verbi ministri, (1.) ut non antè loqvantur, qvàm credant, Psal. 116. hoc est, nihil afferant pro concione, nisi qvod certum & exploratum sit, tàm in thesi nostrâ probandâ, qvàm in antithesi refutandâ, Psal. 115. & id qvidem in doctrinâ: In moribus autem vel nullum laudando, de qvo non certò constet, eum fuisse pium, vel coarguendo, de cujus maleficio, aut scelere, aut lapsu nondum satis certi sunt: aliàs non afferunt verbum DEI & veritatem luminis, sed vanitatem hominis, nec rectè aperiunt os suum. Posterius est, ut qvando se verè dicere sciunt, ratione officii, ex verbo DEI illâ magnâ cum confidentiâ, suo legante Domino freti, proponant, qvemadmodum de Apostolis legimus, Act. 4, 13. Redarguûtur igitur hâc phrasi illi meticulosi inprimis, qvi in magnorum hominum gratiam, aut aliam qvamcunq; ob causam veritatem agnitam occultant, nec os audent aperire, qvum cor illis aperuerit Dominus Rom. 10, 10. Clamante & buccinante Gideone, ejus milites idem faciebant, Judic. 7. Clamat autem summa illa DEI & essentialis sapientia Christus Jesus Rex Ecclesiæ, Proverb. 8. & hoc facere recusent ejus servi?

qvibus id tam serio injunxit Dominus
Esa. 58, 11.

II. Loc. Comm.

BReviter hîc notamus, qvod habet magnum in Ecclesiâ usum, sicut declarat Paulus 1. Cor. 14. [Petrus enim non tantùm aperit os suum, sed & dicit, εἶπον, articulatâ voce loqvutus est verba, qvæ poterant intelligi, & qvidem cum aliqvâ gravitate & svavitate; qvomodo carmen Heroicum de rebus magnis benè compositum Græci vocant ἔπος,] non sufficere *inconditum aliqvem clamorem*, aut argutum garritum, multorúmqve verborum inanem sonum; sed ut minister verbi dicat ac loqvatur suis auditoribus, h. e. *semper se accommodet, ut singula ejus verba probè percipiantur:* qvod fiet, si idiomate ipsis noto loqvatur, distinctè & explanatè, ac se auditorio accommodet, ut omnia possint intelligere. Sic Christus per parabolas docens sæpiùs, viam præit. Sic Paulus idem se observasse scribit, 1. Corinth. 1. & 2.

III. Loc. Comm.

IN veritate qvando se comprehendere dicit Petrus, & illud innuit, nihil esse dubiâ conscientiâ vel asserendum vel faciendum, sed DEUM veritatis omnis authorem rogandum, ut is Spiritu suo nos in eam ducat. Qvando columna non surgebat, nec Israëlitæ ibant, Exod. 13, 21. 22. & 14, 19. Num. 10, 34. 35. 36. Sic ubi verbum DEI non prælucet faculam, nos non ambulemus, ne offendamus. Salomo in suo templo columnas duas magnas ponebat, 1. Reg. 7, 21. Sed DEUS in Ecclesiâ veritatem verbi sui voluit poni, qvo ipsa nitatur, ut firmissimis fulcris. Qvod dum servat, ut fidelis custos, στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας appellatur, 1. Tim. 3, 15. Vis igitur verum scire in rebus sacris? veram adi Ecclesiam, & verbum veritatis, qvod est in eâ, consule.

IV. Loc. Comm.

QVòd DEUS non respiciat personas, cùm magnum usum habeat ad consolationem miserorum & terrorem superborum, Psalm. 113, 6. Dan. 4. 33. sæpissimè in Scripturis sacris inculcatur, Deut. 10, 17. 2. Chron. 19, 7. Job 34. v. 19. Sap. 6, 8. Syr. 35, 16. Actor. 10, 34. Rom. 2, 11. Gal. 2, 6. Eph. 6, 9. Col. 3, 25. 1. Petr. 1, 17. ut ubiqve hoc esse probè considerandum sciamus in omnibus ordinibus. Si enim DEUS personas non respicit, nec ejus ministri hoc faciant, sed exemplo Chri-

CHRISTI verum omnibus dicant, Matth.22. omnibusqve sine respectu personarum inserviant, non divitibus magis propter lucrum, non pauperibus minus propterea, qvod inde nulla speranda compensatio. Si Christus personas non respicit, nec ad adspectum oculorum judicat, Es. 11, 3. neqve Magistratus Christianus jus pervertat, præferens divitiis affluentem illi, qvi minus potest ob paupertatem; qvemadmodum & προσωποληψία Deut. 1, 16. 17. & ὀφθαλμοδουλία, unde illa oritur, Exod. 18, 21. & 23, 8. Deut. 16, 19. Syr. 20, 30. in judicibus valdè damnatur. Si DEUS personam non respicit, neqve hi ipsi Dii, vel DEI in terris vicarii id faciant, 2. Chronic. 19. Psal. 82. In statu Oeconomico retundit hoc superbiam & insolentiam qvorundam, qvi vel ob sua dona, vel natalium splendorem, vel divitiarum amplitudinem, vel externum honorem se aliis multum præferunt. *Qvid enim superbit cinis?* Syr. 10. *qvales omnes homines coram DEO, Gen. 3.* Levat contra miseriam, qvemadmodum exemplo Lazari liqvidò apparet, Luc. 16. Hîc verò eum in finem potissimum tractat Petrus hoc thema, ut ostendat, apud DEUM in Novo Testamento non esse discrimen inter Judæum & Gentilem, Gal. 3. Rom. 3. Eph. 2. Sed nos dicti hujus usum contrahimus: Ob dona DEI in te collata noli superbire, ob bona qvædam denegata noli desperare. DEUS enim personam non respicit.

SECUNDA PARS.

QVid igitur? qvære ex Samuele, 1. Sam. 16, 7. Is à Jehova ipso edoctus respondebit: non spectat Dominus, qvod spectare solet homo. Nam homo spectat qvod est ob oculos, sed Jehova qvod est in animo. Qvære ex Jeremiâ, responsum iterum feres, cap. 5, 3. O Jehova, oculi tui annon spectarent ad fidem! ecqvid præterea ipsi gratum, qvod respiciat? omninò cor contritum, Esa, 5, 15. qvod non despicit, Psal. 51, 19. David Abigaëlem coram se procidentem non tantùm in gratiam recepit, sed etiam in matrimonium duxit, Reginámqve effecit priore marito mortuo, 1. Sam. 25. Ita DEUS hominem à mundo malo ad se conversum, oculosq; præ pudore dejicientem respicit, & recipit non modò, sed matrimonium etiam & fœdus cum ipso perpetuum init, Ose. 2, 15. qvando ipse mortuus est

Diabolo & mundo, vel repudium ei renunciavit, Rom. 7, 1. Id porrò jam Petrus explicat: *Sed in omni gente*, sive sit Judæus sive Græcus, & gentilis vel Ethnicus: (Sicut enim גוים apud Hebræos sæpè generaliter pro omni natione usurpatur, etiam de ipsis Judæis simul comprehensis: Ita ex eodem Hebraismo ἔθνη in Novo Testam. qvandoq; usurpatur generaliter, etiam ipsos Judæos complectens, imò nonnunqvam solos hos denotans. Conferantur loci seqventes, Genes. 12, 2. & 17, 4. 5. 6. 16, 20. & cap. 22, 18. & 25, 23. Luc. 7, 5. Joh. 11, 48. & 18, 35. Actor. 24, 3. & 10. 1. Petr. 2, 9. Qvamvis aliàs utrumq; strictè acceptum eos notet, qvi extra Judaicam Ecclesiam vivebant, Matth. 6, 22. & cap. 10, 5 Rom. 3, 29.) *metuens ipsum*, ὁ φοβούμενος αὐτὸν, qvâ phrasi sæpè omnis pietas & totus cultus DEI, sæpè, ut & hoc loco, synecdochicè omnis cultus primæ tabulæ legis comprehenditur, qvemadmodum in seqventi ea cuncta, qvæ sunt in secundâ tabulâ, nempe, *& operans justitiam*, qvi se ita gerit erga proximum, ut decet juxta legem DEI, qvantum in hâc imbecillitate fieri potest, δεκτὸς *acceptus & gratus ei est*, hunc ille recipit, qvi respuit προσωποληψίαν, ut ita maneat oppositio inter δέ λαμβάνειν πρόσωπον, (qvod Matth. 22, 17. dicitur δέ βλέπειν εἰς πρόσωπον) & δέχεσθαι. Huic igitur DEUS manum porrigit, eumq; juvat, Luc. 15, 4. ut verò tantò meliùs emphasin verbi græci δέχομαι percipias, confer illa loca, ubi denotat hospitio libenter excipere, eiq; benefacere, cui honestè cupis. Joh. 4, 45, Act. 21, 17. Heb. 11, 31. & videbis hoc innui, qvòd DEUS talem hominem non tantùm in Ecclesiæ domum, verùm etiam tandem in cœli palatium sit recepturus, illiq; cùm in hâc, tum in alterâ vitâ benefacturus.

I. LOC. COMM.

IN Novo Testamento discrimen Judæorum & gentium, qvod erat in Veteri, sublatum est, Eph. 2. neqve enim illi per suas certas tribus numerantur, neqve hæ solemni vocatione ad Ecclesiam destituuntur. Verùm, qvi non erat populus, jam appellatur DEI populus, Rom. 4, 26. & cap. 11, 11. Antea in Judæâ DEUS erat notus, Psal. 76. jam verò in toto terrarum orbe, Act. 17, Col. 1. siqvidem in omnem terram exivit sonus eorum, Rom. 10, 18. Olim qvidem ex DEI mandato de mundis animalibus septena, de immundis bina tantùm Noachus in arcam recepit, Gen. 7, 2. Ita in Veteri Testamento ex Judæis, qvi ob re-

ve-

velatum verbum erant mundiores, plures semper erant in Ecclesiâ, qvàm gentes: Verùm in Novo Testamento, ubi baptismus omnes salvat, non ita se res habet, sicut exemplo Cornelii ejusq; amicorum comprobatur. Vide infra Actor. 10, 47. 48. Qvo potest jam applicari nota illa visio, Petro in prioribus oblata, siqvidem vas linteum qvatuor extremis devinctum, demittebatur è cœlo; per id notabatur in omnes mundi plagas seu angulos esse hanc doctrinā propagandam.

II. Loc. Comm.

UT timor Domini est initium omnis sapientiæ, (qvod vel septies ferè iisdem verbis in sacris literis repetitum invenies, Psal. v. 10. Job. 28, 28. Eccles. 12, 15. Syr. 1, 13. 20. Proverb. 1, 7. & 9, 10. Es. 33, 6.) Ita etiam omnis felicitatis est principium, Psal. 111, 10. vide Josephum, Genes. 39, 5. & 21. nam qvæcunqve faciebat, illa Jehova secundabat, v. 23. Qvid enim felicius isto homine, cui DEUS favet, & qvem Jehova juvat? Talis autem est ille, qvi eum timet: Beatus nimirum in hâc & alterâ vitâ, qvod notat illa vox Hebræa אַשְׁרֵי nunqvam in singulari reperta, Psal. 112, 1. & 128, 1. pietas enim (qvæ Scripturæ stylo, Synecdochicè timore Domini denotatur, 1. Petr. 2, 17. Apoc. 14. v. 7. & 19, 5. ut contra omnis impietas illa una phrasi, non timere DEUM, Psal. 36, 2. Luc. 18, 4. indicatur) est ad omnia utilis, promissionem habens hujus & futuræ vitæ, 1. Timoth. 4, 8. Ita Enochus indesinenter ambulans cum DEO vivus est in cœlum translatus, Genes. 5. Ita Elias pro DEI gloria pugnans ex hâc miseriarum valle fuit sublatus, 2. Reg. 2. Magnumq; DEUM timentium, & res suas proinde benè gerentium catalogum reperies Syr. 44. 45. 47. 48. 49. capitibus, qvibus jungi possunt illa, qvæ in Epistolâ ad Hebr. cap. 11. habentur. Prædicantur servi beati, qvi jugiter stant in conspectu Salomonis: longè verò beatiores erunt servi DEI, qvippe faciem DEI videbunt in æternum. Josua & Caleb suæ pietatis in DEUM hoc qvidem reportabant præmium, ut reliqvis comitibus occisis introducerentur in terram sanctam; sed longè majus pretium persolvitur illis, qvi ita hîc peregrinantur, ut sint cives ac domestici DEI, qvi sunt timentes eum, siqvidem his Dominus propè est, Psal. 145, 18. & 19. Si qvis eum dilexerit, ac sermonem ejus servaverit, ad ipsum veniet, & sedem apud ipsum figet, Johan. 14, 23. Ephesini & alii valdè cruciabantur, qvod dixerat

Paulus, ipsos non amplius esse visuros faciem ejus, Actor. 20,38. Qvid futurum putabimus, qvando audient impii: Ite à conspectu meo æternùm excluſi. Ibi erit fletus & stridor dentium. Time igitur hîc DEUM, qvi non vis timere pœnas in perpetuum.

III. Loc. Comm.

QVia verò multi habent pietatis formam externam, vim autem ejus abnegant, 2. Timoth. 3, 5. & multi dicunt se Dominum nôsse, factis verò negant, Tit. 1,16. Psalm. 10, 4. 10. & 11. propterea ut re & opere se præbeant tales, aliud κεφάλαιον apponit Petrus, qvod incurrit in oculos, nempè qvod justitiam exerceant, putà cum proximo, sive is sit superior, ut qvi in Magistratu sunt constituti, qvibus qvid debeatur, vide Roman. 13. sive sit inferior, sive par & æqvalis, qvibus omnibus debemus amorem, ibidem versu octavo. Qvomodo omnia officia & proximo & nobis ipsis debita, unicâ illâ phrasi עֹשֵׂה צֶדֶק, Psal. 15. v. 2. ἐργάζεσθαι δικαιοσύνην, operari justitiam, in sacris comprehenduntur; qvemadmodum contra omnia peccata secundæ tabulæ complectitur illa phrasis, operari iniqvitatem. Unde פֹּעֲלֵי אָוֶן, ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν appellantur impii, vide Psalm. 5, 6. unde intelligimus in prioribus verbis arborem ipsam & fontem, hîc autem & fructus & rivulos; ibi fidem, hîc bona opera præcipuè externa denotari.

IV. Loc. Comm.

DEUS omni & toto die expandit manum suam ad populum rebellem, Esa. 65,2. Qvare si qvis accurrit, debitam reverentiam huic Regi præstans, acceptus est, suscipitur in numerum, non tantùm amicorum, sed filiorum DEI, Johan. 15. Ceu magnum qvid prædicatur, qvod filia Pharaonis Mosen exaqvis extraxerit, (unde nomen habet,) & in filium adoptaverit, Exod. 2. At qvantò majus est illud beneficium, qvod DEUS nos suos inimicos, Rom. 5. ex aqvis infernalibus, Psal. 69. & torrentibus Belial, Psal. 18. non tantùm per filium missum extraxerit, verùm etiam in cœli hæredes eligat, neminémqve ad ipsum venientem ejiciat, Johan. 6,37. Illi sit gratia & gloria, qvod non tantùm admiserit nos in Ecclesiæ militantis, sed etiam triumphantis olim sit recepturus tabernacula, Luc. 16. Joh. 14.

V. I.

v. 1. 2. 3. Huc igitur ita curramus, ut metam apprehendamus, 1. Cor. 9. ita dimicemus, ut in pugnâ præmium auferamus, 2. Tim. 4. qvod fiet, si DEUM ex corde puro timeamus, & justitiam cum proximo ex animo sincero exerceamus; Id ut fiat, facias id, ô nostra justitia; hæc sunt cordis nostri suspiria, Amen.

FERIÆ III. PASCHATOS.

Actor. 13. v. 32.

Καὶ ἡμεῖς ὑμᾶς εὐαγγελιζόμεθα τὴν πρὸς τοὺς πατέρας ἐπαγγελίαν γενομένην, ὅτι ταύτην ὁ θεὸς ἐκπεπλήρωκε τοῖς τέκνοις αὐτῶν, ἡμῖν, ἀναστήσας Ἰησοῦν.

ET nos vobis annunciamus, qvod eam repromissionem, qvæ ad Patres facta est, DEUS adimpleverit filiis eorum, nimirum nobis, resuscitato JESU.

QVemadmodum, qvæ DEUS Abrahamo patri credentium promiserat ratione terræ sanctæ, Gen. 15. ea demum, post qvadringentos annos Israëlitis ex parte, & postea elapsis pluribus annis in Davide tandem & Salomone plenariè præstitit, 2. Sam. 8. (Hi enim soli totos istos & omnes terminos occupaverunt, gentesq; subjugandas domuerunt.) Ita etiam, qvæ ratione Messiæ omnibus patribus, inprimis Abrahæ, Gen. 12. Isaaco, Gen. 26. Jacobo, Gen. 28. Judæis, Deut. 18. Davidi, 2. Sam. 7. Achas ejusqve coætaneis, Esa. 7. pollicitus est veracissimè, ea demùm in temporis plenitudine, Galat. 4. filio misso, dato, & nato servavit fidelissimè, ut meritò dicamus, Ebr. 11, 13. Secundùm fidem mortui sunt isti omnes, non adepti promissa, sed eminus ea conspicati, postqvâ ipsis fuissent persvasa, & ea amplexi fuissent, ac sese professi peregrinos & advenas esse in terrâ. Ita enim est, uti prior promissio implebatur in Davide & Salomone, ita posterior in horum omnium antitypo JESU CHRISTO; qvemadmodum hoc Paulus Antiochenis declarat in concione suâ prolixiori primâ, cujus summa ferè versiculo trigesimo secundo comprehenditur, qvem videbimus, & in eo duo

hæc membra:

I. Patribus factam promissionem.
II. Filiis datam ejus impletionem.

Domine, qvis credit naturaliter Evangelio? Es. 53. Tu aperi cor nostrum, sicut Lydiæ, Act. 16. mentem illumina sicut discipulis, Luc. 24. ut promissionem abs te factam, fide firmâ teneamus, & cum Christo ad vitam & gloriam resurgamus, 1. Cor. 15.

PRIMA PARS.

2. CHron. 30. Hiskias cultum DEI instauraturus mittit literas per totum Israëlem, ut venientes Jerosolymam celebrarent Pascha, & se converterent ad DEUM patrum suorum: sed cum cursores isti transirent de civitate in civitatem, pleriq; deridebant & subsannabant eos, qvidam tamen se deprimentes coram DEO venerunt. Verus ille חִזְקִיָּהוּ in qvo est robur DEI, Christus Jesus, omnia collapsa restauraturus, mittit non tantùm literas de cœlesti patriâ, sed & Apostolos, qvi illas explicent, ut se à viis suis malis homines ad DEUM convertant. At multi ex Judæis eos non tantùm deridebant; verùm etiam blasphemabant & lædebant; sicut in hoc ipso cap. 13. Actor. videre est. Pauci tamen se humiliantes coram DEO convertuntur illâ concione, cujus hæc est summa: qvòd cùm DEUS non tantùm multa alia beneficia illis præstiterit, verùm etiam Filium miserit, in mortem tradiderit, & ex mortuis excitaverit, æqvum sit, ut hunc DEUM colant verâ fide & pietate. Illa ὡς ὸν τύπῳ, v. 32. proponuntur Paulo. *Et nos*, ego Barnabas & Paulus peculiariter à Spiritu Sancto ad hoc segregati, Act. 13, 2. ac proinde cum honore & reverentiâ magnâ ut legati Jehovæ excipiendi, *vobis*, qvi voluistis, ut si qvis sermo consolationis esset in nobis, vobis exponeremus, v. 15. optimum solatium damus, *faustum nuncium annunciamus*, εὐαγγελιζόμεθα, læto nuncio vos beamus, nempè *promissionem illam* solennem protoplastis primum datam, & ferè *ad* omnes *Patres* repetitam de futuro mulieris semine, & de benedictione per illud afferendâ: siqvidem ut alibi probatum est, ἐπαγγελία sæpissimè notat promissionem de re futurâ, εὐαγγέλιον de re jam factâ concionem. Dicimus igitur nos Apostoli ἐπαγγελίαν jam factum esse εὐαγγέλιον, antea fuisse spem, nunc verò rem: qvâ de re in secundo membro. Nunc eruamus hinc Locos Communes.

I. Loc.

I. LOC. COMM.

QVod Paulus & Barnabas non nisi specialiter ad hoc separati à Spiritu Sancto annunciant Evangelium, contra Photinianos, aliosq; ejus farinæ, seu potius furfuris homines, Anabaptistas & similes, inservit, qvod nemo debeat aut possit cum fructu prædicare, nisi à DEO sit missus, & ad hoc cum Jeremiâ & Paulo separatus, Jerem. 1. Rom. 1. cum Mose & Jonâ extrusus, cum Apostolis emissus, Rom. 10, 15. DEUS enim est, qvi dat domui Israëlis speculatorem, Ezech. 3, 2. Jerosolymis evangelizantem, Es. 41, 27. qvâ de re supra ex Mal. 3, 1. die Purificationis: qvibus nunc libet addere, qvod, qvi veniunt, antequam vocentur, peccent in DEUM, cujus Imperatoris jussum & nutum non exspectant, ordinemq; turbant; Deinde in Ecclesiam, cui malè præsunt, cùm DEUS non benedicat ipsorum laboribus. Porrò in alios dignores, qvi præfici isti provinciæ rectiùs poterant. Tandem in se ipsos, qvia suum officium adeò augustum exponunt ludibrio, & se bonæ conscientiæ testimonio privant. Terreat autem ipsos exemplum filiorum Scevæ, qvi, citra vocationem dum volebant Diabolos in Christi nomine ejicere, ex permissu DEI ab homine obsesso ita tractabantur, ut vix liceret aufugere, Actor. 19, 13. & seqq. Ita etiam illi reverâ sunt filii Scevæ, qvi non dextrè & rectè in tam pretiosum munus irruunt, & dum volunt spiritualiter obsessos à Diabolo liberare, ipsi in Spiritus immundi casses incidunt, & nisi resipiscunt pœnas æternas non effugiunt. Lamech suis uxoribus sibi in ædibus tumultum excitantibus, graviter comminatur, Gen. 4. qvid DEUM de his turbatoribus statuere credemus?

II. LOC. COMM.

SI qvos DEUS absoluto odio erat reprobaturus, certè sui filii unigeniti charissimi & innocentis interfectores erat ita planè rejecturus, ut nullam illis gratiam faceret, aut offerret. Vide autem immensam patris benevolentiam, dum mittit Judæis, & qvidem omnium primò suos Apostolos, sicut hoc loco dicit Paulus: *Vobis annunciamus, ô viri Israël*, nimirùm vobis contemptoribus, versu 41. contradicentibus, blasphemantibus, v. 45. & se vitâ æternâ non dignos judicâtibus, v. 46. Certè ita est, DEUS vult serio congregare, sicut gallina pullos, eos, qvi no-

nolunt, imò qvi occidunt DEI legatos, Matth. 23. I nunc & DEUM esse causam absolutam damnationis blasphema. Verum id DEO accidit, qvod Davidi, qvi cùm esset solaturus ex συμπαθείᾳ Chaimum, is ipsius legatos habet pro exploratoribus, sed non impune, 2. Sam. 10. Servi Benhadad, 1. Reg 20, 31. jam fugati ex prælio, & morti tradendi ita alloqvuntur suum Regem: Ecce, audivimus Reges domûs Israëlis esse reges benignos, imponamus cilicia lumbis nostris, & funes indamus capitibus nostris, exeamusq; ad Regem Israëlis, fortassis ita servabit vitam tuam. Nos multò rectiùs hoc dicamus, jam facti transfugæ & in castra Diaboli traducti: *Ecce audivimus ex sacris literis Regem Regum & DEUM Israëlis esse Patrem benignissimum*, Psal. 103. coram ipso nos humiliemus, fateamur nos esse mortis reos. Si ipsi nos accusamus, ille excusat; si nos damnamus, ille salvat: qvemadmodum nonnulli ex his ipsis Judæis sunt conversi, v. 48. nempè qvi se juxta ordinem à DEO præscriptum gerebant, ac mandatum sui Imperatoris deinceps capessebant. Id enim notat verbum τεταγμένοι.

III. Loc. Comm.

INfaustus erat nuncius Davidi, Absolonem filium in bello esse occisum. At longè infelicior, qvando audiebat ex Nathane, qvòd ipse esset vir mortis, nempe æternæ qvoqve, nisi ageret pœnitentiam: At cùm deprecatur culpam, lætum accipit nuncium, fore ut ablato & condonato peccato vivat, 2. Sam. 12. Ita protoplastis sine dubio fuit magno terrori illa vox: *Morte morieris, pulvis es, & in pulverem revertéris*. At maximo solatio erat illud verbum: *Semen mulieris conteret caput serpentis*, Genes. 2. & 3. Idem vide in Jacobo, qvando audiebat, Josephum esse à ferâ devoratum, & qvando contra percipiebat, eum non tantùm vivere, sed & regnare, reviviscebat spiritus ejus. Ita etiam Evangelium, verbum illud vitæ, Johan. 6. qvando annunciatur, meritò nos in peccatis mortui reviviscimus, nos tristitiâ perculsi lætitiâ exultamus: qvia non tantùm nos victuros, sed etiam cum Christo regnaturos audimus. O verum & merum εὐαγγέλιον! In aliis nunciis multum falsi miscetur; siqvidem fama tam pravi fictiqve tenax, qvàm nuncia veri. Et plerumq; ita temperantur humana, ut gaudium mœror consequatur. Siqvidem ibi

Gau-

Gaudia principium nostri sunt sæpè doloris.

Sed hîc omnia vera, omnia solida & constantia, nullis tandem malis temeranda, ut hoc solum, qvod de CHRISTO & vitâ æternâ nobis annunciatur, jure optimo dicatur εὐαγγέλιον. Lætissimus qvidem Judæis afferebatur nuncius, qvando à Rege Assyriæ ipsis permittebatur, ut resisterent pro vitâ suâ omnibus, qvi hostiliter ipsos erant invasuri, adeò ut ipsis esset lux, gaudium, lætitia & gloria, Esth. 8, 11. & 16. Longè lætior autem & latior hic est, qvi nobis annunciatur. Latior, qvia omni populo dicitur: Is tantùm per provincias Regis divulgabatur. Lætior, qvia verus Rex Assyriæ, seu omnis beatitudinis, (ita enim nomen Hebræum potest explicari,) DEUS ipse non tantùm sinit, ut nos resistamus hostibus, sed ipse pro nobis restitit omnibus nostris inimicis, eosq; nostro loco vicit. Si igitur DEUS ita pro nobis, qvis contra nos? Rom. 8. Nobis erit gaudium perpetuum, qvia regnum, qvod sumus possessuri, est æternum. Qvin igitur exclamamus cum Prophetâ Esa 52, 7. Nah. 1, 15. Rom. 10, 15. *Qvàm speciosi sunt pedes annunciantium pacem, annunciantium omnis generis bona!* meritò de illis usurpamus istud, Act. 16, 17. *Illi homines sunt servi DEI illius altissimi, qvi annunciant nobis viam salutis.*

IV. LOC. COMM.

DIscimus, qvòd in Veteri Testamento in CHRISTUM venturum & exhibendum, nos in Novo Testamento in exhibitum, unum & eundem mundi Salvatorem credamus, persvasi, nos ad eundem modum salvari, qvô illi, Act. 15, 11. Qvod si ita est, errant (1.) *Anabaptistæ*, *Photiniani*, & alii, qvi putant homines Veteris Testamenti tantùm habuisse promissiones de rebus mundanis, non verò de vitâ æternâ. Ecce expressus hîc est locus, nobis in Novo Testamento nihil aliud annunciari in Evangelio, qvàm promissionem patribus factam, esse jam completam in Christo dato & nato. (2.) Errant *Calviniani*, qvi putant, substantiam Sacramentorum utriusqve Testamenti fuisse eandem: (Nam de fructu hoc libenter largimur:) cùm tamen in Veteri fuerit umbra, in Novo Testamento corpus ipsum: ibi erat ἐπαγγελία, hîc est εὐαγγέλιον. (3.) Errant *Pontificii*, qvi nos accusant, qvòd novam doctrinam proferamus, cùm nihil extra illa dicamus cum Paulo, Act. 26. qvæ sunt in Mose, Psalmis, &

Prophetis. Qvod si libeat hîc ostendere, qvomodo & Paulus, & nos cum eo illam promissionem patribus factam inculcemus, potest id ex Gen. 3. 12. 15. 22. 28. 49. Deut. 18. 2. Sam. 7. Esa. 7, 9, 53. Mich. 5. facilè declarari. Cujus rei si qvis sibi cupit dari specimen, videat ipsum Paulum in hâc concione, sicut & in verbis seqq. qvibus potest addi concio Petri Act. 2. descripta; ut ita inter Nov. & V. Testamentum ostendatur harmonia, & qvomodo illi duo Cherubim ad unum propitiatorium respiciant. Tantum de priori membro.

SECUNDA PARS.

Promiserat David Jonathani, fore ut benignitatem in ipsum, ipsius-qve posteros exerceret. Id verò tandem præstat 2. Samuel. 9. dum Mephibosetho restituit avi sui agrum, eiq; de mensâ suâ cibum præbet. Si parva licet componere infinitis, dicemus, Davidem nostrum Christum Jesum, Patri dilectum Filium jam in Paradiso fuisse pollicitum, se benignitatem esse exerciturum in genus humanum, & portionem hæreditatis, qvam pater noster seu omnium avus amiserat, in cœlo restituturum; Tandem verò in plenitudine temporis id complet, jam factus homo & morte devictâ resurgens. Audiamus Apostolum, qvi hâc de re ita differere pergit. Annunciamus vobis, *qvod DEUS illam ipsam* (τάυτην) promissionem patribus factam jam plenè *compleverit*, (id enim significare videtur emphaticum verbum Græcum ob compositionem, ἐκπεπλήρωκε) imò expleverit, & ad finem perduxerit *nobis filiis ipsorum*. In qvo verò complemento? Hoc, in-qvam, qvando *excitavit* nobis ex mortuis *Jesum*. Ut enim mors ultima linea rerum: sic etiam Christi nostri mors omnes dolores & passiones finiit, ipsa verò resurrectio ad nostri justificationem facta est, ut vita nobis mortuis rediret, Rom. 4, 25. Est igitur promissio de redemptione generis humani, factâ jam excitatione Christi ex mortuis, planè adimpleta, & qvia Christum mors tenere non poterat, nec eos æternùm tenebit, qvi ceu Christiani fide in Christum verâ obdormiverunt, sed ad vitam resurgent, gaudiumq; perpetuum, qvod sanè est Evangelium lætissimum.

I. LOC. COMM.

GEneralis, isq; qvoniam sæpè est prolixè tractatus, hîc breviter attingi potest; videlicet qvòd DEUS sit verax, & tandem præstet,

qvæ

qvæ promisit, inprimis autem illa, qvæ sine ullâ conditione sunt prædicta: qvalia sunt eductio Judæorum ex captivitate Ægyptiacâ & Babylonicâ; Christi in carnem missio; mundi consummatio; futura carnis resurrectio; & extremum judicium. Alia enim, qvæ conditionaliter sunt prænunciata, conditione mutatâ etiam mutari solent; perstante autem, impleri amant: qvalia sunt diluvium, Ninives excidium, & similia; ut discamus tantò rectius de promissis DEI judicare, qvando non semper videmus illa impleri. Cujus enim erat culpa, qvòd à Simsone recedebat illa concessa fortitudo admiranda? ipsius, qvippe qvi non manebat Nasiræus, sed patiebatur sibi detonderi crines. Davidi ejusq; semini erant promissa eadem regna. Qvî fiebat, qvod in Salomonis filio non cerneretur complementum? Incausa erat Parentis, & ipsius impietas, dictum enim erat: *Si me audierint filii tui.* Sic de omnibus piis judicandum, Deut. 28. DEUS enim solus καρδιογνώστης solus novit omnia. Nos, qvi externa tantùm aspicimus, possunt multa fallere. Ideoq; non est mirum, qvandoqve illum gravius affligi, qvem dignum meliori sorte existimamus. Qvanqvam nec illud hoc loco omittendum; non esse cum amicis Jobi malè, qvod DEUS ipse tandem benè demonstrat, de pietate alicujus concludendum, ex felicitate temporali; nec de impietate ex calamitate immissâ: qvia malis sæpè indulget DEUS tempus pœnitentiæ, Rom. 2. 4. bonos autem probat, qvod est argumentum totius libri Job. Vide, si libet, in hanc sententiam in malè scripto libro optimum dictum, 2. Maccab. 6. 14. 15. 16. cui junge ad Hebræos 12. v. 5. 6. 7. & ipse tibi subjice in malis hoc dictum: Promissionem Patribus factam tandem DEUS implevit. Idem qvia non mutatur & tantum constans est in bonitate suâ, tibi qvæ pollicitus est, dabit, etsi differt, non tamen aufert, modò sit, qvi benè sufferat.

II. Loc. Comm.

IN specie discimus, qvæ sit principalis nostræ salutis procurandæ causa, nempe DEUS. Is enim ex suâ misericordiâ & fecit promissionem, ejusq; tandem dedit impletionem. Is enim est ille, qvi miseretur omnium, & diligit omnia, nihilq; abominatur eorum, qvæ fecit, Sap. 11, 24. & *vult, ut omnes homines salvi fiant, & ad agnitionem veritatis perveniant*, 1. Tim. 2. ut jure optimo in nostrâ lingvâ dicatur GOtt/

denn Er iſt jo alleine gut/ Matth.19. cùm benefaciat non rogatus inimicis, dans pro ipſis filium, Rom.5. Certè humanũ cor nimis eſt anguſtum, qvàm ut poſſit hæc percipere, ut meritò dicat Apoſtolus, nos *per ſpeculum, & velut in ænigmate hæc videre*, 1.Cor.13.

III. Loc. Comm.

NOs qvoqve, ſi non ſangvine & origine, ſaltem fide ſumus filii Abrahæ, & reliqvorum Patriarcharum, Rom.9. Gal.3. Ideoq; etiã ad nos ſpectat illa promiſſio, qvæ iſtis facta & impleta: præcipuè qvando vis gentium in N.T. ſe convertit ad Eccleſiam, Eſ.60. & qvando Deus Japhetum allicere voluit, Gen.9. qvemadmodũ prolixius declaratur Eph.2. Hîc igitur anne Judæis prærogativa? Nulla, ut in præcedente dicto declaratur. In V.T. erat lex, ut alienigena, aut peregrinus non veſceretur agno paſchali, Exod.12. At in Novo omnes jam facti ſunt propinqvi, cives & domeſtici Dei, agnóq; ſuo paſchali cum Corinthiis fruuntur, 1.Cor.5. poſtqvam Deus cor ipſorum circumcidit, Ezech.36. & ex duobus unum fecit, Eph.2, 14. ut nunc & jure dicamus, Deum nobis filiis Patriarcharum impleviſſe ſuam promiſſionem.

IV. Loc. Comm.

CHriſtianorum conſolatio eſt Christi & carnis ſuæ reſurrectio: qvia *ſi in hâc vitâ tantum in Chriſtum ſperamus, ſumus omnium miſerrimi*, 1.Cor.15. Philiſtæi videntes ſuum fortiſſimum ducem Goliath occiſum, omnes aufugiunt, 1.Sam.17. Nos contrà audientes noſtrum ducem ſuis hoſtibus omnibus fugatis de omnibus triumphare, Col.2. & ex mortuis excitatum vivere, Luc.24. ſtemus & videamus magnalia Dei, qvi eſt Dominus Zebaoth, Pſal.46. Qvod ſi caput noſtrum Chriſtus reſurrexit: nos ejus membra vera cum ipſo vivificabimur, 1.Cor.15. Jam mortuo Saule Rege impio ad Davidem dicèbant ejus cognati: *Ecce tua caro ſumus, tibi dixit Jehova, tu paſturus es Iſraëlem populum meum*, 2.Sam.5, 1.2. Nos longè rectius Christo dicimus, qvando mortificavimus carnis noſtræ cupiditates: *Tu es os de oſſibus noſtris, & caro de carne noſtrâ*, Hebr.2. tibi dixit Jehova, *tu paſces populum meum Iſraëlem*, hoc eſt, ut dux gubernabis, Mich. 5,2. Matth.2. Age, paſce nos, & deduc tandem ad æternæ vitæ gaudia, ut ſimus tecum excitati & ſemper beati. Ita fiat paſtor animarum, Jesu Christe.

DIE

DIE ASCENSIONIS CHRISTI.

Act. 1. v. 10. & 11.

Καὶ ὡς ἀτενίζοντες ἦσαν εἰς τὸν οὐρανὸν πορευομένου αὐτοῦ, καὶ ἰδοὺ ἄνδρες δύο παρειστήκεισαν αὐτοῖς, ἐν ἐσθῆτι λευκῇ, οἱ καὶ εἶπον· ἄνδρες Γαλιλαῖοι, τί ἑστήκατε ἐμβλέποντες εἰς τὸν οὐρανόν; οὗτος ὁ Ἰησοῦς, ὁ ἀναλημφθεὶς ἀφ' ὑμῶν εἰς τὸν οὐρανὸν, οὕτως ἐλεύσεται, ὃν τρόπον ἐθεάσασθε αὐτὸν πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανόν.

CUmq; essent defixis in cœlum oculis, eunte illo, ecce, viri duo astiterunt illis, amicti vestibus albis, qvi & dixerunt: Viri Galilæi, qvid statis intuentes in cœlum? Hic JESUS, qvi assumtus est à vobis in cœlum, sic veniet, qvemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.

ELias postqvam magno zelo & studio suum munus obiverat, multaq; pericula & alia molesta pro DEI gloria adire nõ horruerat; DEUS tandem eum vivum ad se in cœlum vult tollere. Proficiscitur igitur ipse Gilgale Bethelem, & postea Jerichunte ad Jordanem, cujus aqvæ ipsi cedebant. Elisæus autem petit, ut duplex portio dupla de spiritu ejus sit penes ipsum. Qvod etiam obtinebat, sicut prolixè hæc omnia describuntur cùm in fine libri 1. Reg. tum 2. Reg. 2. Nos, qvod licet, hunc Prophetam cum CHRISTO nostro comparabimus, dum ipse qvadragesimo die post resurrectionem ascendit in cœlum: comparabimus, inqvam, in tribus: *Nomine proprio: demandato officio: & felici eventu.* Hic enim noster Salvator est verè is, de qvo omnis Christianus dicit in secundo fidei articulo cum Thomâ, Johan. 20. אֲדֹנָי יְהוָה, DEUS meus Jehova, conditor & sustentator rerum omnium, qvi me perditum qvæsivit & inve-

invenit, me captivum redemit, me pauperem ditavit, me miserum bonis spiritualibus felicem reddidit. Deinde Elias erat Propheta magno qvodá zelo pro Dei gloria repletus. (unde Johannes dicitur Elias ob eundē zelum, Luc. 1. supra ex Mal. 3, 1.) qvi cultū Dei collapsum restaurabat, Regem in faciem reprehendebat, aliaq; egregia facta edebat, & miracula: Christus Salvator noster etiam erat Propheta, Deut. 18. & qvidem magnus, Luc. 7. magnus autem ἔργῳ καὶ λόγῳ facto & dicto, Luc. 24. & 18, qvem, dum doctrinam & mores pravos repurgat, zelus domûs DEI absumit, Psal. 69, 10. Joh. 2, 17. Qvod verò miracula ediderit, tota Evangelica historia clamat, & Petrus Act. 10. v. 30. contrahit, nisi mális id discere ex ipso Salvatore, Matth. 11, 5. ex Es. 35. ubi neqve illud omittitur, qvod uterqve hic Elias qvadraginta noctes & dies esuriverit, 1. Reg. 19. 18. Matth. 4, 2. ne tu, qvi verus Christianus esse cupis, semper abundaturum te putes. Qvum verò cursum suum uterq; absolverat, illum DEUS vivum in cœlum transfert; hic ascendit, hominesq; suo exemplo docuit transire Gilgale Bethelem, id est, ex mundo, ubi omnia sursum & deorsum feruntur, in Ecclesiam, qvæ est domus DEI vivi, 1. Tim. 3, 15. & Jerichunte ad Jordanem, id est, ab hisce sublunaribus, qvæ pereunt, ad fontem verum judicii, ubi Dominus Judex ille justus reddet coronam vitæ omnibus, qvi diligunt ejus apparitionem, 2. Tim. 4. Elisæo autem, hoc est, suis discipulis dat portiones duplas, (respectu aliorum hominum privatorum, sicut primogeniti olim portionem duplam de bonis paternis accipiebant, Deut. 21, 17.) de spiritu suo, ut tantò melius possint suum officium administrare. Cum his jam confer ea, qvæ habet historia Act. 1. descripta, ubi disertè Dominus promittit, fore ut manentes Jerosolymis accipiant virtutem Spiritûs supervenientis ex alto. Videamus hæc velut in compendio ex v. 11. ubi Angelorum concio: cujus constituemus duo membra:

I. de Christi abitu. *II. de ejusdem reditu.*

Vel:

I. de Christi in cœlos ascensione. *II. de ejusdem ad judicium futurâ apparitione.*

Jesu Christe, qvi in cœlum ascendisti, ut dares dona hominibus, postqvam captivitatem captivam duxisti, Psal. 68 Eph. 4. te rogamus, nos Spiritu tuo ita animes & armes, ut cum matre Augustini Mo-

Monica harum rerum terrenarum pertæsi incipiamus clamare: *Evolemus, evolemus*, ne dum ad inferiora subsidemus, cum illis pereamus, Luc. 8. non cum conjuge Lothi subsistamus; sed cum ipso tecum in montem Domini properemus, Gen. 19. Luc. 17.

PRIMA PARS.

SI in judicio humano unus testis non potest solus sufficere, Num. 35, 30. Deut. 17, 6. & 19, 15. Matth. 18, 16 qvanto magis de judicio divino duos testes reqviri putabimus: eos hîc sistit DEUS, & qvidem, ut tantò facilius credamus, in veste candidâ, qvæ est simplicitas, veritatis & innocentiæ indicium. Ut enim simplicior est color albus: ita & illi, qvi ita in Scripturâ introducuntur; qvâ de re vide plura ad Dominicam Qvasimodogeniti. Et qvis dubitet Angelos sanctos jam in bono confirmatos vera dicere? Qvando novi legati veniunt, omnes, qvid ferant, scire expetunt. Ecce legatos cœlestes, adeste animis, qvi adestis corporibus, qvid proferre habeant ipsi apud Evangelistam vobis exponent. Non enim manent sicut illi Spiritus, qvi in papatu crebro apparent, dum exorcistæ veniant, & qvid velint magicis artibus extorqveant. Sed jam astiterunt discipulis qvi Angeli, *& dixerunt* sponte sua, & libenter, qvod in mandatis habent, edisseruerunt: *Viri Galilæi*, vos Apostoli, qvi maximam partem, vel omnes estis Galilæi, Act. 2, 7. qvi ex Galilæa Jerosolymam usqve vestrum magistrum estis seqvuti, anne in memoriam revocatis, qvid ipse sæpiùs dixerit vobis? prædixerat fore, ut moreretur & resurgeret, credidistis saltem ex eventu certissimo interprete edocti. Prædixit idem per Prophetas, se ascensurum in cœlos; idem præmonuit ipse; qvid igitur mirum accidit, qvando à vobis est sublatus? *qvid statis* attoniti, *inspicientes in cœlum*, expectatis, ne dum jam statim redeat? frustra estis, sicut illi, qvi Eliam qværebant in terris, dum vivebat jam in cœlis. Non amplius vobiscum visibiliter conversabitur. *Hic ipse Jesus in cœlum*, unde venerat, *rursum assumptus à vobis*: ut vidistis eum à nube susceptum, & ex oculis vestris subductũ, ita verè ratione visibilis præsentiæ non adest, desinite vos fatigare illis cogitationibus & curis: potius in preces incumbite, qvod ipse mandavit, ita sui Spiritûs donis miraculosis citò vobis aderit, vosq; omnia edocebit.

I. Loc.

I. Loc. Comm.

Angeli hi sancti loqvuntur, & Verbi ministri non sint canes muti. Esa. 56, 10. & 11. qvibus etiam alii Doctores & Præceptores annumerandi. Siqvidem æqvè grande peccatum est, veritatem agnitam occultare, qvàm eandem oppugnare. Arcanum Regis bonum est occultare; Opera autem DEI revelare glorioſum, Tob. 12, 8. si non apud homines, ubi veritas odium parit, saltem apud DEUM. Non igitur mirum aut novum cuiqvam accidat, si ob veritatis professionem experitur mundi contradictionem; prædixit Christus Matth. 5 & 10. Apostoli & Prophetæ eandem fortunam ante nos subierunt. Nos eorum successores non debemus communem fortunam recusare, & prosperam ac præcipuam postulare. Ecce nostri Imperatoris celeusma, Matth. 10, 32. Qvicunq; me confessus fuerit coram hominibus, profitebor etiam ejus nomen Ego coram Patre meo cœlesti. Valet hoc contra illos, qvi aliis præscribunt, ne proferant, si qvid veri sciunt, qvum tamen utile sit ex scripturis semper nova & vetera producere, Matth. 13. & si rectè dicta, acceptare; si verò malè, demonstrare; tum præcipuè contra illos, qvi professionem fidei non semper esse necessariam asserunt; ut olim Priscillianistæ, & superiori seculo qvidam Calviniani. Contrà vide & expende hæc loca, Marc. 8, 38. 2. Tim. 2, 12. Rom. 10, 9. & 10. 1. Tim. 6, 12. 1. Petr. 3, 15. 1. Joh. 4, 15. Hebr. 10, 23. 2. Cor. 4, 13. Etiam à minus ad majus argumentare. Exod. 23, 4. Deut. 22, 1. Qvo etiam potest referri DEI mandatum illud, qvando suum nomen jussit alios confiteri inter gentes, Psal. 9, 12. & 57, 10 & 96, 3. & 105. v. 5. Vide suprà Fer. 2. Pasch. Loc. Commun. 1. part. 1.

II. Loc. Comm.

Galilæa dicitur à גָּלַל volvit, revolvit; Galilæus igitur rectè etiam potest dici homo mundanus, qvi neqvit in unâ re, eademq; firmiter persistere, sed modò huc, modo illuc paulo momento impellitur, ubi omnia volvuntur, unde cum mari qviescere nesciô apud Prophetam confertur. Cogitetis igitur idololatræ, Angelos vos alloqvi: *Viri Galilæi*, qvid in istis rebus caducis ponitis fiduciam? Co-

Cogitetis vos omnia temerè bellis complentes, & cædibus, vobis dici: *Viri Galilæi,*

Omnia mutantur, qvin nos mutamur in illis.

Desinite ita turbare, ne sceptro ferreo vos confringat ille Rex summus. Cogitate avari, vobis hoc insusurrari: *Viri Galilæi:*

Hic modò divitias hominum, modò possidet alter.

Ita rerum & bonorum volvitur ordo; nihil qvidqvam homini proprium: ne igitur adhæreatis rebus fluxis: sic de cæteris. Nemo enim est, cujuscunqve conditionis & statûs ac dignitatis sit, qvi non sit suo modo *Vir Galilæus.* In statu Ecclesiastico hic moritur, ille Episcopatum ejus accipit; In statu Politico hic regno exuitur, ille donatur eodem: In statu Oeconomico unus ædes suas & opes relinqvit alteri, congerunt & nesciunt, qvis accepturus sit ea, inqvit Regius Propheta. Vel ut Lyricus canit Poëta:

Cedes coëmptis saltibus & domo
Villâqve, flavus qvem fluvius lavit,
Cedes, & extructis in altum
Divitiis potietur hæres.

Et alibi:

Linqvenda tellus, & domus & placens
Uxor, &c.

Age igitur, ex terris, ubi omnia instabilia, in cœlum cum CHRISTO conscende, ubi cuncta firmiter perstant, comitare Dominum cum Apostolis Jerosolymã, ubi vera pacis visio, hoc est, in cœlum. Ægyptii, qvi revolutis maris rubri fluctibus opprimebantur, peribant; Israëlitæ autem, qvi eos citò effugerant, salvi transibant.

III. LOC. COMM.

QVid igitur nos qvoq; stamus inspicientes in cœlũ? properemus eò, & contendamus potius, ut ita citato cursu, alacriq; nisu sequamur præcedentẽ Salvatorem. Armiger Jonathanis, qvum videbat suum herum ascendere nixum manibus & pedibus contra hostes, ipse post eum strenuè contendebat, & qvemadmodum cadebant ante Jonathanem, ita & hic morte afficiebat, 1. Sam. 4, 14. Nos longè magis instructi armis à Christo, Eph. 6. qvando cernimus nostrum Imperatorem non jam demum contra hostes exire, sed hostibus omnibus devictis triumphare, conemur manibus & pedibus, ut qvemadmodum ipse mundum vicit, Johan. 16, 33. ita nos fide in ipsum superiores evadamus, Rom. 8, 37. 1. Joh. 5, 4. Contra si subsistimus

ſtimus in curſu, Luc. 17. aut armis abjectis ex pugnâ nos ſubducimus, Hebr. 10, 38. ab hoc Imperatore pro expunctis decurionibus habemur. Eadem verba, *qvid ſtatis inſpicientes cœlum?* poſſunt illis inculcari, qvi ſpecto DEI verbo revelato, qvod prope eſt, novas revelationes cum Enthuſiaſtis aliisq; Phantaſtis exſpectant. Qvemadmodum enim anteà dictum erat Apoſtolis, qvid Chriſto futurum, & qvid ipſis faciendum: Ita etiam *tibi, ô homo, dictum eſt, qvid bonum & præſtandum*, Mich. 6. Etiam illis hæc dicenda, qvi nimium timidi & ſtupidi in adverſis planè velut diriguêre: *Qvid ſtatis? Pergite in veſtrâ vocatione*, 1. Cor. 7. *Ambulate ut vocati eſtis. Ora & labora, DEUS aderit ſine morâ, qvum venerit ejus hora*, Joh. 2. Verùm hæc temporum ſpatia non eſſe noſtrarum parvarum cogitationum dimetienda decempedâ, etiam præcedens Chriſti reſponſio monet, Act. 1, 7.

IV. LOC. COMM.

QVòd CHRISTUS verè & viſibiliter aſcenderit, atq; ita mundo viſibilem ſuam præſentiã ſubtraxerit, cùm hic locus tùm Marci cap. 16. ſatis diſertè demonſtrat. Non enim ἀφανὴς ἐγένετο, ut Luc. 24, 32. ſed *nubes eum ſuſtulit, & paulatim altius evexit videntibus diſcipulis.* Dicat qvis: Eſt tamen fidei articulus, Chriſtum aſcendiſſe in cœlos? omninò; qvia *nemo aſcendit* ſuâ vi propriâ *in cœlum, niſi qvi inde venit*, Joh. 3. & jungenda ſunt verba ſeqventia in Symbolo: *Sedet ad dextram Patris omnipotentis*: qvod non capit ulla ratio humana, ſicut nec reliqvos præcedentes articulos, qvòd Filius DEI ſit conceptus, natus, paſſus, mortuus; qvin etiam qvidam fidei articuli ita ſe habent, ut totum complexum ſit tantum credendum, pars autem poſſit præterea videri, ut cœlum & terram eſſe ex nihilo creata tantùm credimus, Hebr. 11. qvanqvam & illud, & hanc facta jam oculis noſtris uſurpamus. Sic aſcendere Chriſtum verè videbant Apoſtoli, aſcendere ſuper omnes cœlos, ſuperiorẽ illum cœlis omnibus fieri, non videbant, ſed nobiscum credebant. Præcipuè autem (qvia res ipſa alibi ab aliis prolixè tractatur, qvorum ſcrinia nolumus compilare) hæc verba, qvæ Lucas hîc habet, à nobis notanda ſunt: *Hic ipſe Jeſus, qvi aſſumptus eſt à vobis in cœlum*, à vobis, id eſt, veſtro cõſpectu, ut Beza ipſe notat & explicat, à vobis, qvi eſtis in terrâ, in cœlum, ubi DEUS & ſancti Angeli & beatæ animæ juxta viſibilem præſentiam: aliàs idem & totus

ille

ille CHRISTUS, qvi, qvod semel assumpsit, nunqvam deponit, adest nobis ex promissione suâ, Matth. 18, 20. & 28, 20. Consolatio illa paucis hîc observanda; CHRISTUM præivisse nobis paratum locum, Joh. 14. fecisse viam, aperuisse Paradisi clausam januam. Et de his pro tempore institutiqve ratione satis: alia possunt aliunde suppleri.

SECUNDA PARS.

BReviter etiam reliqva visuri ad Evangelistam nostrum revertimur. Apud qvem Græca verba in textu authentico, qvem decet consulere veros Lutheranos, sunt emphatica & impensius æstimanda, οὗτος ὁ Ἰησοῦς οὕτως· *Ille* ipse *ita* & *sic veniet*, vel redibit ad judicium, (ita enim ἔρχομαι simpliciter qvandoq; ponitur, sed de reditu glorioso ad judicium intelligitur, Matth. 25, 31.) puta visibiliter, ut est sublatus in cœlũ vobis videntibus. Qvia enim illud judiciũ erit visibile, etiam judicem visibilem esse decet. Nondum sufficit; pergit Lucas, ne qvis aliter explicet: ὃν τρόπον, *qvemadmodum* (audis non de re, sed rei modo agi) *vidistis* (visibilis est ille modus, ne ulterius qværas) *ipsum euntem* vel ire *in cœlum*; qvam tunc visibilem præsentiam subtraxit, illam in extremo judicio reddet; qvia tum videbunt, in qvem pupugerunt, Joh. 19. Res & verba sunt clara, ideoq; nolumus soli fœnerari lucem: ad nostrum usum ea convertamus.

I. LOC. COMM.

ECqvid vobis placent hæc verba, viri Calviniani? qvasi prævidisset Lucas (& certè prævidit Spiritus Sanctus) vestram glossam, Christum planè non adesse secundùm humanam naturam post ascensionem in cœlos; omnia ita præmunit, ut facilè appareat, ipsum negare modum, non rem ipsam. Ita dicimus & credimus Scripturæ asserenti, Christum secundùm humanam naturam unitam personaliter τῷ λόγῳ infinito, post gloriosam ascensionem in statu exaltationis non adesse in terris visibiliter, qvemadmodum antè adfuit suis discipulis per aliqvot annos in statu exinanitionis. Verùm inde seqvi, abesse eum à nobis planè, dum revertatur ad extremum judicium, nunqvam nobis persvaderi patiemur. Ita stat sententia.

II. Loc. Comm.

MAgnum hîc afflictis proponitur solatium, fore ut Dominum rursum aliqvando videant, & ipse eos. Jobus utiqve hinc seriò triumphat, Job. 19. David exultat, Psal. 17, 15. Johannes suos excitat, 1. Johan. 3, 2. Verè hîc valet: **Wiederkommen/** addo, **Wiederbringen/ Wiederstatten/ macht/ daß ich Scheiden/ Leiden/ vnd die Welt meiden nicht acht.** Qvid enim pius doleat à sefugere improbos? qvando novit Christum sibi jam adesse invisibiliter & gratiosè, rediturum tandem esse visibiliter & gloriosè. Paulus nos ex terris ad cœlos hâc re elevat, & inde Christum nos jugiter expectare docet, Phil. 3, 20. Hoc solatio sustentati mortem vitámqve juxta æstimabant, & constanter tormenta qvævis subibant filii omnes mulieris Judaicæ, 2. Maccab. 7. qvod optimum iterum ex malè scripto libro ad perseverantiam incitans est exemplum. Stephanus qvando videbat sibi apertos cœlos per Christum ad dextram Patris stantem, non admodum curabat adversariorum aures suis monitis & precibus esse clausas, Actor. 7. Animemur & nos spe illâ reditûs liberationis, & restitutionis omnium, Luc. 21, 28. Actor. 3, 21. Idem enim noster frater mediator redibit; paremus nos modò ad eum reducem ritè excipiendum, Luc. 21, 36. Matth. 25.

III. Loc. Comm.

QVando iterum repetit Evangelista: *Quemadmodum vidistis eum ire in cœlos;* veram hanc fuisse, visibilem & localem ascensionem asserimus contra Apellitas, Manichæos, Seleucianos, Hermianos, Christolytas & Phantastas. Ascendere enim Christus voluit, cùm ob suam Patrisqve gloriam, Johan. 17, 1. Phil. 2, 9. tum propter nostram spem, ut illic haberemus intercessorem, ubi metuimus accusatorẽ, Heb. 9, 24. Rom. 8, 34. 1. Joh. 2, 1. ut inde munus æqvale mitteret, Joh. 16, 7. Act. 2, 33. Iterum hunc usum observemus, ut eò suspiremus, ubi caput nostrum est; cum illo hîc ascendamus spiritualiter, ut apud eum maneamus indesinenter: qvæ posteriora pleraq; in schola fidei notavit Christophorus Pelargus, qvondam noster, nunc Apostata. Tu verò, Christe Jesu, in veritate tua nos servos tuos sanctifica & confirma, ut maneamus in fide verâ, & in-

integritate sincera, dum tandem venias, & nos ad te pertrahas, Amen, Amen.

FERIÆ II. PENTECOSTES.

Actor. 10. v. 42. 43.

ΚΑὶ παρήγγειλεν ἡμῖν κηρύξαι τῷ λαῷ, καὶ διαμαρτύρασθαι, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ ὡρισμένος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ κριτὴς ζώντων καὶ νεκρῶν. Τούτῳ πάντες οἱ προφῆται μαρτυροῦσιν, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν λαβεῖν διὰ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ πάντα τὸν πιστεύοντα εἰς αὐτόν.

ET præcepit nobis, ut prædicaremus populo, actestificaremur, qvòd ipse sit ille, qvi constitutus erat â DEO judex vivorum & mortuorum. Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt, qvod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen ejus, qvisqvis crediderit in eum.

2. CHron. 24. v. 19. qvum mittebat Jehova Prophetas ad Judæos, qvi revocarent ipsos ad Jehovam, contestantibus iis non præbebant aurem, qvin imò cùm Spiritu DEI indutus Zacharias ad pœnitentiam eos hortabatur, conjurantes obruerunt eum lapidibus. At ipse moriens, dixit: Videt JEHOVA, & requiret; cernit, & pòst decernet: der HErr siehets vnd suchts. Eadem fabula agitur in mundo mutatis personis. DEUS ad pœnitentiam vocat, homo per impœnitentiam recalcitrat, Act. 9. Servi DEI clamãt, improbi in malo permanere amant. In N. enim T. qvot Prophetas seu Scripturæ interpretes misit JEHOVA? qvot Apostolos & Evangelistas? Matth. 23. Hi contestabantur populo, & testerant, Christũ venisse, qvæsitum qvod periit, restauratum, qvod Satan perdidit; omnes in gratiã recipi, qvi modò velint hoc consiliũ DEI seqvi; Et dum plures sunt, qvi venire renuũt, imò qvi servos DEI

lædunt, hoc qvoqve illi teſtantur, Chriſtum eſſe conſtitutum Judicem vivorum & mortuorum, hunc eſſe viſurum tandem & reqviſiturum, præcipuè qvando viri DEI Spiritu Sancto induti ignominiâ afficiuntur, qvi DEI præceptorum & mandatorum ſunt memores, veriqve Zachariæ. Hoc ipſum Petrus ſub finem concionis ſuæ in ædibus Cornelii habitæ graviter explicat. Partes hujus clauſulæ conſtituemus duas:

In I. conſiderabimus Chriſti majeſtatem & gloriam.

In II. Salvatoris bonitatem & gratiam.

Jesu Christe, *Dies* illa judicii eſt dies iræ, fac conemur hanc prævenire, obviamq; tibi ire ſeriâ contritione, gratiæ apprehenſione, vitæ emendatione. Rex tremendæ majeſtatis, qvi ſalvandos ſalvas gratis, ſalva nos fons pietatis, ut conſortes beatitatis, vivamus cum juſtificatis in ævum æternitatis.

PRIMA PARS.

SAcerdos maximus in Veteri Teſtamento ſupra cor gerebat pectorale juris, in qvo Urim & Thumim, & ad pallium multa tintinnabula, Exod. 28. Monebantur, non eſſe qvòd ſileant, ut muti canes, ſed clament gutture, qvi à DEO mittuntur ad prædicandum, qvò omnes ſciant ipſos adeſſe, ut ſingulorum vias ex DEI mandato obſervent. Qvod ut rectè fiat, & ut poſſint λόγον legis & Evangelii ὀρθοτομεῖν, in ſcripturâ habent, qvod cordi indant, ubi eſt lux in credendo, integritas in faciendo, præſcripta. Hoc ipſum eſt, qvod Petrus dicit de ſe, aliisqvè Apoſtolis: Et *præcepit nobis*, Chriſtus nimirū παρήγγειλεν, ut παραγγελίαν ſeu præceptum & mandatum ſeverum dedit, κηρύξαι, ut more præconis alicujus qvàm maximâ voce proclamemus & prædicemus, non uni tantùm & item alteri, ſed omnibus ac *toti populo*, & ſimul cum *teſtificatione denunciemus*, διαμαρτύρασθαι, ex ſcripturæ theatro, adhibita teſtium nube, Hebr. 12, 1. *qvod ipſe* Chriſtus à mortuis excitatus, *ſit* ille *definitus* ac conſtitutus *à DEO judex vivorum & mortuorum*, per qvos, ut in Symbolo, intelligimus & eos, qvi vivi ac ſuperſtites in adventu Domini fuerint, & eos, qvi ex mortuis ſunt reſuſcitati, 1. Cor. 15, 51. 2. Tim. 4, 1. Theſſ. 4, 10. Atq; ita includimus & pios (qvos alii per vivos tantùm volunt intelligi) & impios, qvos eſſe ſpiritualiter mortuos ſcimus.

I. Loc.

I. LOC. COMM.

MUlti volunt, ut ministri Verbi taceant, vel qvando lupum vident adventare, hoc est, hæreticum, qvem nolunt taxari vel nominari; vel qvando malos cernunt. Verùm hi si velint officio fungi, non possunt silere, qvia se verum habent mandatum, ut clament, atqve adeò sint voces clamantis DEI per ipsos. Es. 40. Apostoli graviter respondent, qvum ipsis imperabatur à Phariſæis silentium, Act. 4, 19. & 20. Judicate vos ipsi, num justum sit coram DEO, vobis magis parere, qvàm ipsi? non possumus, qvæ vidimus & audivimus, non loqvi. Propheta qvidam contra DEI mandatum revertens saltem ad alium, à qvo erat seductus, 1. Reg. 13. à leone occiditur. Ministri Verbi, si vocationis suæ limites excedunt etiam tacendo, & ad mundum, unde sunt separati, revertentes, qvando ad flagitia connivent, à Diabolo leone infernali occiduntur: proinde attendant sibi ipsis, & gregi sibi commisso, qvem DEUS suo sangvine redemit, Act. 20.

II. LOC. COMM.

DIscimus, ad qvid Spiritus Sanctus datus sit Apostolis, nempè ut more præconum annum gratiæ proclament; & hæc est causa, cur in lingvarum ignearum specie voluerit apparere, ut ostenderet, docendo & erudiendo se omnem munitionem, qvæ se DEO opponit, demoliri, 2. Cor. 10, 4. & 5. Gideonis milites buccinando & clamando vicerunt: Christi Apostoli prædicando vincunt mundum. Sapientia ipsa, hoc est, Christus Jesus DEI Filius, clamat in plateis, Prov. 8. suos igitur ministros non vult esse mutos. Sed de hoc jam anteà aliqvoties. Pergimus ad tertium.

III. LOC. COMM.

DEUS nullum præterit, ideóq; vult omnibus omninò annunciari suam gratiam, & si vel unus negligentiâ pastorum perit, est requisiturus sangvinem ejus ex illorum manibus. Laban qvidem duritiei accusatur, qvòd, qvicqvid ex grege erat discerptum, cogebatur restituere ipsi Jacob: At DEUS justissimè reposcit, si qvæ ovis ex Christi tàm pretiosè redempto peculio perit: Ipse enim, qvemadmodum David, ut ovem perditam reperiret, & ex ore leonis infernalis eriperet, in mundi hujus desertum venire voluit, 1. Sam. 17. Nos igitur tàm

tâm vilem rem non reputabimus, hominem ad DEI imaginem conditum à Christo redemptum, à Spiritu Sancto illustratum, & velut templum occupatum ac inhabitatum; Verè enim si qvis suâ culpâ templum DEI qvocunq; modo perdit, hunc DEUS perdet, 1. Cor. 3, 17.

IV. Loc. Comm.

HAnc ipsam diligentiam à ministris Verbi adhibendam valdè auget id, qvod seqvitur; etiâ cum testificatione esse denuntiandũ, ac velut adhibitis testibus insinuandum, hoc DEI mandatum & beneplacitum, de salute generis humani, testibus Prophetis, Evangelistis & Apostolis, qvi verè testantur Christum venisse Salvatorem mundi, & venturum esse judicem omnis carnis. Vide nostros Notarios suarum rerum satagentes, & vim phraseos exprimes; Atqve ita, proh dolor, collige de multis, filios hujus seculi ob exiguum pretium esse sapientiores & diligentiores in suo genere filiis lucis, Luc. 16, 8. & ministris Verbi, qvibus tamen longè maximum in cœlis est propositum præmium, Dan. 12. Matth. 5. Exploratores Josuæ Rahab denuntiabant saltem excidium urbis instare: Illa statim credit, & sibi suisq; prospicit, Jos. 2. Sed qvando concionatores Jesu etiam testimonio adhibito demonstrant, futurum orbis interitum, & eorum, qvi pœnitentiam non egerint, æternum exitium, plerique; id non curant. Illud verò hoc loco prætereundum non est, in teste præter alia hæc reqviri, ut rem probè sciat, sit bonæ fidei & malâ famâ non laboret. Sic ministri verbi testes Christi, Actor. 1, 8. oportet primùm probè esse institutos in viâ Domini, atqve ita esse sinceros in doctrinâ, Actor. 18, 26. 2. Tim. 3, 14. & 15. deinde etiam inculpatos in vitâ, Tit. 1. 1. Tim. 3. ne parvi fiat eorum testimonium, aut ne, ut testes inutiles, reprobentur. Qvòd si verò fidelis verbi præco fecit, qvod potuit, hoc ipso monetur sufficere, qvod sit ita protestatus in conspectu DEI, se esse extra culpam damnationis horum, qvia noluerint seqvi, sicut hoc verbum accipitur Actor. 18, 5. cap. 20, 21. & 28, 23. Conf. 1. Tim. 5, 21. 2. Tim. 2, 14. & 4. v. 1. Act. 20, 26.

V. Loc. Comm.

SI Christus est futurus judex vivorum & mortuorum, gaudeant amici, caveant inimici. Illi pergant confidenter, hi desistant

stant properanter, Psal.2.v.5. ult. *Semper ergò sonet* (qvod de se dicebat Hieronymus,) *in auribus nostris vox illa: Surgite mortui, venite ad judiciũ. Omnes* enim *nos oportet comparere coram tribunali Christi, ut reportet unusqvisq; in corpore, juxta ea, qvæ fecit, bonum aut malum*, 2.Cor. 5.10. Rom.14,20. *Constituit enim DEUS diem, in qvo est judicaturus orbem in justitiâ, per virum, qvem ad id definito consilio ordinavit.* Act.17,31. Qvod cùm ita sit, de advocato optimo in tempore nobis prospiciamus, 1.Joh.2,1. qvi causam nostram ita agat, ut absolvamur. Qvâ de re vide plura apud eos, qvi vim vocis *justificare* esse forensem demonstrant, omniaq; ad judicium necessaria reqvisita ex Scripturâ declarant. Salomon qvidem tentandi gratiâ gladium poscit, contendentibus coram ipso duabus meretricibus; At Christus gladio Verbi sui: *Ite*, omnes malos in extremo judicio statim diffindet, (δυχοτομήσ,) partemq; eorum ponet cum hypocritis, Matth.24,5. & infidelibus, Luc.12,46. Magnum erat supplicium, qvando Gideon cives Succoth, contumeliâ ipsum afficientes, cædebat triturando spinis deserti, Jud.8. At longè horribilius est hoc, qvod in morte qværent mortem, nec invenient, qvi cum tabernacula (סֻכּוֹת Hebræis ea notant) corporum & hujus mundi incolebant, Christum spreverunt. Hunc ergò cum horrore in judicio extremo olim aspicient, nisi in tempore gratiæ resipuerint. Qvâ de re jam in parte secundâ.

SECUNDA PARS.

FAlsò qvidem & fraudulenter Rabsace Regis Assyriæ præfectus, apud populum, ut suo regi se subjiciat, ita gloriatur: Sic ait Rex maximus, Rex Assyriæ, transigite mecum, prodite ad me, sic comedite qvisq; fructum vitis suæ & ficûs suæ, Es.36,4.&16. Verè & candidè possunt id asserere Regis maximi præcones, Psal.46.47.48. fore, ut sint verè beati, qvi se ad eum recipiunt, Psal.2,12. & comesturi olim cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo in regno cœlorum, Matth. 8,11. qvod non tantùm testimonio omnium Prophetarum; verùm etiam piorum experientiâ potest comprobari, ut ita etiam instruantur ministri Verbi, qvos testes secum adducere debeant. Petrus ita concludit suam concionẽ: *Huic*, nempe Christo, passo, mortuo, ex

ex mortuis excitato, & judici vivorum ac mortuorum definito, *omnes Prophetæ testimonium perhibent*, vel dicto vel facto, seu typo aliqvo ut Jonas, qvemadmodum hoc per inductionem, à Mose facto initio, probavit CHRISTUS ipse Luc. 24, 27. ac per omnes Prophetas percurrendo demonstravit, sicut & pio studio illa dicta collegit Urbanus Regius, in colloqvio super illum locum, unde petenda relinqvimus, & concludimus, eum non esse verum Prophetam, qvi nullo modo de CHRISTO agit, nihil de eo dicit, vel ad eum adducit, qvando vel de ejus personâ, vel officio nihil habet, sive expresè, sive verbis tectis pro ratione Veteris Testamenti, & saltem obliqve dum hominis miseriam, & DEI misericordiam exaggerat. Ita testantur omnes de CHRISTO, *remissionem peccatorum accipere*, à suis peccatis absolvi, & liberum pronunciari *per nomen ejus*, & notitiam ex verbo haustam, Es. 53, 11. *omnem credentem in ipsum*, ipsius merito confisum. Qvod ea emphasis phraseos stricte acceptæ innuit, ut alibi prolixius declaratur.

I. Loc. Comm.

SCopus ac finis præcipuus Scripturæ est JESUS CHRISTUS; qvippe in cujus cognitione salutari nostra beatitudo consistit, Joh. 17, 3. & cap. 20, 31. Meritò itaqve inclamat Salvator: *Scrutamini Scripturas, qvia illæ sunt, qvæ de me testimonium perhibent*, Joh. 5, 39. De ipso Moses scripsit ibid. vers. 46. de me scriptum est בִּמְגִלַּת סֵפֶר in volumine libri, Psalm. 40, 8. ἐν κεφαλίδι βιβλίου, Hebr. 10. 7. in lege Mosis, in Prophetis & Psalmis, Luc. 24. 44. Ad summam, finis legis est CHRISTUS, ad salutem omni credenti, Rom. 10, 4. Ecce qvondam erat baculus in manu Mosis, qvi coram Pharaone vertebatur in serpentem. Is verò caudam ejus seu finem arripiens, rursus in baculum convertit, Exod. 4. Ita & lex, qvæ per se non data est ad mortem, sed tantùm interficit eos, qvi libertate suâ abutuntur ad carnis neqvitiam, & ita vertitur in serpentem velut; si verò ejus finem CHRISTUM apprehendas, rursum est baculus, qvi te ducat & sustentet, Psal. 23. Verum igitur est, modò rectè intelligas, CHRISTUM ubiqve esse qværendum in Scripturâ, licèt non eodem modo; Vel enim ad legem spectant, qvæ legis, vel ad Evangelium; Si ad legem spectant, agnosce inde tuum morbum, curre ad medicum; Si ad

ad Evangelium, præcipuum bonum in Evangelio annunciatum est ipse Christus: Si pœnæ irrogantur malis, per CHRISTUM deprecare tibi impendentes; Si præmia dantur piis, per Christum liberatus, ut Christianum decet, vivito, Christiqvè vestigia seqvere, 1. Petr. 2. Ita tandem pervenies & eris, ubi ipse est, Joh. 17.

II. LOC. COMM.

PRophetarum etiam hoc fuit præcipuum officium, de futuro Messiâ vaticinari, qvisqvis enim videbat visionem omnipotentis retectus oculis dicere poterat, video illud, non tamen nunc, contemplor illud, non tamen propè, Numer. 24, 16. & 17. De hâc enim salute exqvisierunt, hanc scrutati sunt diligentissimè Prophetæ, 1. Petr. 1, 11. 12. Dat huic testimonium Moses nascituro, Genes. 3, 12. passuro, ibidem Genes. 3. & in typo Num. 21. Sic David Psalm. 132. 22. 69. Esai. cap. 7. vers. 53. & qvis posset illa omnia enumerare testimonia? Nos videamus, ne etiam dicamus de CHRISTO aliud, qvàm qvod dixerunt Propheræ & Moses, Actor. 26, 22. Qvod fiet demum, qvando Scripturas diligenter perlustramus: Hodiè autem & omnes Prophetæ, scilicet sacrarum literarum interpretes, CHRISTO in verbo loqventi perhibeant testimonium, apertè, rectè, non cunctanter, sed constanter ad exemplum Johannis Baptistæ, Johan. 1, 19. & seqventibus, & afferant (1.) Candorem, (2.) Notitiam & scientiam. (3.) Alacritatem, & (4.) tandem Fidelitatem, qvæ num præstent, qvi humanis authoritatibus plus tribuunt, qvàm dilucido DEI Verbo, judicet qvi volet, qvi potest.

III. LOC. COMM.

REspectu hominum hic omnis Theologicæ scientiæ finis est, ut qvemadmodum suis viribus operibusq; salvari neqveunt, per Christi meritum peccatorum gratuitam remissionem accipiant. Illud verò ut dulcescat, legis rigor & fulgur solet præcedere, Conf. Exod. 34. 1. Reg. 19. In V.T. erat Judæis magnum jugum impositum, in multis sacrificiis, aliisq; ceremoniis; verùm eò omnia spectabant, ut ad agnũ DEI tollentem peccata mundi respicerent Act. 15, 10 11. Hebr. 9. 10. 12. 13. 14. Servi in Vet. Testam. servire æternum cogebantur suo Domino, qvia erant venditi; at DEUS ut indicaret, fore, ut nos venditi sub

peccatum aliqvando gratis liberaremur, ut illi in anno Jubilæo liberi sine ullo pretio abirent, ordinavit. Conf. Exod. 21. Levitic. 25. Deuter. 15. Qvod ut posset in nobis fieri sine læsione justitiæ DEI, *Christus pro nobis factus servus*, Esa. 53. *omnia solus exsolvit*, Psal. 69. Vide Phil. 2. & *voluntatē Patris effecit*, Ps. 40. Heb. 10. qvâ nos facere ut servi refractarii noluimus. Qvod cùm ita sit, intelligimus, nos meritò ad gratæ mentis declarationem DEO hoc debere pro liberali servitio, ut ipsum colamus, & vicissim proximo sua delicta ex animo condonemus, Matth. 18. ἐὰν οἶδας ὄφλων, ἀφὲς ἄφεσιν τὸ ὄφλον εἶκτῷ δοίτῳ τῷ θεῷ καθμιζέλαι. Inprimis verò id notandum, qvod in gratuita remissione peccatorum consistat nostri justificatio, qvæ fit ob Christi meritum imputatum, qvod est contra Pontificios, Photinianos & alios observandum, qvi renovatione & sanctificatione eam nobis contingere existimant, qvibus jure opponimus, qvòd sit ἄφεσις remissio seu gratuita condonatio. *Qvod si ex gratiâ, jam non ex operibus: aliàs gratia non est gratia*, Rom. 11, 6.

IV. LOC. COMM.

AT remissio peccatorum omnibus Christi passione ac morte acqvisita & parta est, qvî verò fiat, qvòd non omnes reddantur ejus participes? jam qværi poterat & responderi, inde hoc fieri, qvia oblatū tantum bonum nolint accipere. Habetur enim in textu: λαβεῖν πάντα τὸν πιςεύοντα. Offertur omnibus, confertur solis credētibus, qvando DEI manui porrigenti illa bona, nempè verbo & sacramentis, obviat fidei manus, omnia sibi applicans, qvæ qvia multis suâ culpâ deest, ipsi, aliis credentibus salvatis, damnantur, Johan. 3. Marc. 16. prudentibus intromissis, ipsi insipientes excluduntur, Matth. 25. ornatis veste nuptiali humanissimè exceptis, ipsi sordida veste induti ejiciuntur, Matth. 22. *Qvi enim non credit, jam judicatus est, &c.* Johan. 3. v. 18.

V. LOC. COMM.

UNde autem concipimus fidem? ex verbo de Christo prædicato per nomē & notitiam ejus, Esa. 53, 11. Joh. 17. Ephraimitæ contra Jephtham rebellantes, devicti jam, qvando non poterant ecte pronunciare illud Schibboleth, apprehensi jugulabantur ad vada Jordanis, Jud. 12. Homines qvi contra DEUM rebellârunt, & in potesta-

testatem Diaboli sunt redacti, si non se comparant ad rectè invocandum Christi nomen, jugulantur & perduntur in die judicii. Sed tu, ô CHRISTE JESU, qui nos qværens, sedisti lassus, redemisti crucepassus, fac tantus labor ne sit cassus. *Juste judex ultionis, donum fac remissionis, ante diem rationis. Prophetis fac credamus, malis ne cedamus, sed tecum in tuo regno æternùm beati sedeamus, Amen.*

FERIÆ III. PENTECOSTES.

Actor. 8. v. 14. 15. 16. 17.

Ἀκούσαντες δὲ οἱ ἐν Ἱεροσολύμοις Ἀπόστολοι, ὅτι δέδεκται ἡ Σαμάρεια τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, ἀπέστειλαν πρὸς αὐτοὺς τὸν Πέτρον καὶ Ἰωάννην, οἵτινες καταβάντες, προσηύξαντο περὶ αὐτῶν, ὅπως λάβωσι πνεῦμα ἅγιον. Οὔπω γὰρ ἦν ἐπ' οὐδενὶ αὐτῶν ἐπιπεπτωκὸς, μόνον δὲ βεβαπτισμένοι ὑπῆρχον εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ. Τότε ἐπετίθεσαν τὰς χεῖρας ἐπ' αὐτοὺς, καὶ ἐλάμβανον πνεῦμα ἅγιον.

Cùm autem audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, qvòd recepisset Samaria sermonem DEI, miserunt ad eos Petrum ac Johannem. Qui cùm descendissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Nondum enim in qvenqvam illorum illapsus fuerat, sed baptisati tantùm erant in nomine Domini JESU. Tunc imponebant manus super illos, accipiebantq; Spiritum Sanctum.

1. REg. 6, 1. 2. Chron. 2, 12. Chiram Rex Tyri audiens Salomonem adeptum esse regnum Patris sui, legatos ad eum mittit, qvi gratulentur nuper electo Regi, & suum gaudiũ testen-

testentur, his aut similibus verbis: *Benedictus Jehova DEUS Israëlis, qvi dedit Davidi Regi filium sapientem, qvi ædificaturus est domum Jehovæ.* Ita Evangelista narrat, qvod Apostoli, qvi erant jam à Pharisæis & Scribis anathemate devoti, (חֵרֶם enim cum חֵרֶם id est, anathema, habet cognationem) Actor. 4. 5. 8. capp. qviq; cùm & per CHRISTUM facti sunt Reges triumphantes de mundo ipsis adversante, & angustiâ afficiente (צוּר enim vel est à צוּר, id est, angustia affecit, vel à צָרַר, id est, hostiliter oppugnavit, deduci potest,) qvando audierunt Samaritanos suscepisse sermonem DEI in pace, & ad regnum gratiæ ascitos esse, Petrum & Johannem legatos eò mittunt, qvi non tantùm illis gratulentur, sed etiam confirment, & donis Spiritûs Sancti ditent, dicentes cum Apostolo Paulo Eph. 1, 3. *Benedictus DEUS, qvi benedixit vobis omni benedictione spirituali, qvique vos Reges efficiet spirituales*, 1. Petr. 2, 9. Apocal. 1, 6. ut corda vestra præbeatis habitacula & templa Sacrosanctæ Trinitatis. Hanc ipsam legationem ejusqve effectum nunc percurremus, dividentes textum hunc in partes tres: nimirum

I. Legationis hujus occasionem.
II. Expeditionem.
III. Eventum, videlicet Spiritûs Sancti effusionem.

DOMINE, qvi mittis ad nos tuos Apostolos qvotidiè, fac eos ita excipiamus, ut larga Spiritûs Sancti dona abunde accipiamus per CHRISTUM Dominum nostrum. Tu promisisti, Joël. 2. tu præstitisti, Act. 2. nostrum qvoq; cor tibi tuum promissum revocat in memoriam Ps. 27. tu perficias illud ad nominis tui gloriam, Amen.

PRIMA PARS.

QVando Israëlitæ abducebantur in captivitatem Babylonicam, DEUS pro sua omnipotentia ex malo bonum hoc noverat elicere, ut qvidam Monarchæ Assyriorû & Chaldæorum ad veri DEI notitiam pervenirent, qvemadmodum Nebucadnezar, Darius, Cyrus suo exemplo comprobant, sicuti patet ex collatione eorum, qvæ in Daniele, libro Esdræ & Nehem. habentur. Idem hîc qvoqve contigisse videmus. Stephanus erat occisus, pii in exilium agebantur, & hinc inde premebantur dispersi. Illi verò iidem interea plures

res alios convertebant. Inter eos etiam erant cives Samariæ, Actor. 8, 5. 6. *Cùm verò audierant Apostoli, qvi Hierosolymis erant*, soli ibi relicti, cùm sibi non facilè ita fugiendum statuerent, v. 1. qvod Philippi Evangelistæ, Act. 21, 8. qvi erat unus ex septem Diaconis, cap. 6. ministerio, v. 12. *recepissent sermonem DEI*, lætumq; Evangelii nuncium fideli corde *imbibissent Samaria*, qvæ erat metropolis regni Israëlis, 1. Reg. 16, 24. & cujus incolæ ob idololatriam, levitatem, & alia scelera, (de qvibus Josephus l. 11. antiq. cap. 8. 2. Reg. 17. 28. 34. Esa. 7, 30. Amos 3. 6. & 17. Mich. 1. v. 36. Ezech. 23, 1. Hos. 14, 1. Joh. 8, 48.) malè semper audiebant, qviq; CHRISTUM ipsum suscipere nolebant, Luc. 8, 25. *miserunt ad eos* confirmationis & gratulationis ergò præcipuos duos *Apostolos*, *Petrum & Johannem*.

I. LOC. COMM.

MIramur DEI bonitatem & sapientiam, qvod etiam possit de malo benefacere, *à Domino hoc factum est, & est mirabile in oculis nostris*, Psal. 118. Scriptura talium mutationum plena est. De lapsu primorum parentum ait Gregorius: *Felix culpa, qvæ talem habuit redemptorem.* Abrahamo eripitur uxor, & inviolata cum amplis donis redditur. Josephi venditio patri, fratribus, totiqve familiæ tempore famis erat subsidio. In Israëlitarum oppressione ipsi crescebant, & tandem planè liberi, ac cum spoliis dimittebantur. Sic in omnibus malis DEUS nos vult ardentius orare, atqve ita per preces bona plura auferre. Miserabile visu erat, Ecclesiam Jerosolymis recens constructam, ita vastari; at mirabile erat eam accessione hostium capitalium augeri; Proinde si tibi qvoq; malum accinderit, ne nimis contristeris, qvia dextra DEI potest illud mutare, non tantùm; sed etiam bono majori pensare. *Diligentibus* enim *DEUM omnia cedunt in bonum*, Rom. 8, 28. & in malis calamitatibusqve victores evadimus, ibid. v. 37.

II. LOC. COMM.

MOnemur gaudendũ esse cum gaudentibus, flendum cum flentibus, Rom. 12. sicut hi Apostoli super Stephani morte valdè lugẽt, super conversione Samaritanorum gaudent. Ita prohibetur & in bono invidia, qvæ dolet alteri benè esse, & ἀπάθεια vel ne qvis sit ἀσυμ-

ἀσυμπάθης in malo. Hi Samaritani erant illi, qvi nolebant Christum suscipere, & tamen jam conversos amore & honore dignos illi judicant, qvi ipsos volebant igni perdere, præcipuè Johannes Luc. 9, 54. En faciles motus mens generosa capit, & animus pius libenter ei favet, eumq; fovet, qvi se Christo devovet. Vide Ananiam Actor. 9. qvando saltem audit, Paulum esse conversum, fratrem eum vocat, & solatur. Imò David Saulem suum persequtorem, patrem, Regem ac dominum suum appellat, qvando paululum saltem de suâ rabie remiserat, 1. Sam. 24, 26. Audiant hoc invidi & placari nescii. Josephum ex carcere productum volebat Pharao honorari; Mardochæum Rex Assyriæ jam morti addictum; DEUS hominem flammis gehennæ devotum, jam in gratiam receptum, vult fratris loco amari. Pœna Regis hunc manet, qvi mandato non paret.

III. Loc. Comm.

UT membra in corpore se mutuò juvant; ita Christiani, Rom. 12. 1. Cor. 12. Apostoli erant qvasi oculi, gaudebant ob rectè se habentia reliqva membra, etiam illa, qvæ minimum honoris habere videbantur. Docent etiam suo exemplo Apostoli, non facilè esse de cujusq; salute desperandum. Olim qvi fuit Saulus, postea factus est Paulus. Latro etiam sub finem vitæ est vocatus & conversus. Locus est misericordiæ, dum patet janua gratiæ, ea autem tantùm cum hâc vitâ clauditur. Hæc verò qvam diu sit duratura, cùm sit incertum, nemo etiam pœnitentiam differat, sed hodiè, si qvis cum Samaritanis vocem DEI audierit, sermonem suscipiat, Hebr. 3.

IV. Loc. Comm.

QVando Philippi ministerio leguntur hi conversi, id innuitur, DEUM etiam per minimos efficere res maximas, ne majoribus donis præditi se efferant, neq; minoribus donati illis invideant, sed omnes se esse DEI ministros sciant, 1. Cor. 3. omniaq; dona ad communem usum conferant, 1. Cor. 12. Inter Israëlitas, qvi ex avaritiâ multum colligebat, tamen non habebat plus, qvàm ille, qvi qvod sufficeret congregaverat; Ita etiam hic omnes DEI servi, sive decem, sive qvinqve, sive unum talentum fuerit illis concreditum, intrabunt tandem in idem Domini gaudium, si probaverint suum fidele obsequium, Matth. 25.

V. Loc.

V. LOC. COMM.

UBi tum fuit Petri primatus, qvando ipse à reliqvis cum Johanne ablegatur? ibi credo, ubi erat, qvando concilii velut præses erat Jacobus, Actor. 15, 13. non fuit Pontifex maximus, sed cum reliqvis minister, per qvem prædicantem homines credebant, 1. Corinth. 3, 5. Qvod autem duos mittunt, monet, utile esse, habere collegas, verùm eos, qvi idem in Domino velint ac nolint; ubiq; enim obtinet illud στὼ τε δύ' ἐχομμένω, ut testimonium eorum esset tanto majoris fidei, siqvidem in ore duorum consistit omne verum. Et ista est hujus legationis occasio, nimirum fama de Samaritanorum conversione.

VI. LOC. COMM.

HIc nil præsidii habent Pontificii, virium humanarum in rebus spiritualibus percipiendis patroni, qvod hîc dicatur Samaria (δέδεκται) recepisse sermonem. Externam enim pædagogiam solet, & debet unusqvisqve præstare, & verbi præcones cum suo verbo admittere exterius, 2. Cor. 6, 1. Jac. 1, 21. sed interius assentiri animalis homo non potest, 1. Cor. 2, 14. ὐ δέχεται. Ita sermo DEI in ipso χωρεῖ locum non habet, qvo capiatur, Joh. 8, 37. ut notat Chemnit. part. 1. Ex. Trid. loc. 7. qvem vide. Qvòd acceperint, hîc dicitur; qvibus viribus, non item. p. 607.

SECUNDA PARS.

QValis verò hujus legationis expeditio? Ubi ipsa profectio, ejusqvè causa per θέσιν καὶ ἄρσιν. *Illi* enim Apostoli emissi, *qvum descendissent*, (ut enim in Scripturâ illi, qvi tendunt Jerosolymam, eò qvòd ipsa sita esset in montibus, Psal. 125. ascendere dicuntur, Luc. 18, 31. ita qvi Jerosolymâ se aliò conferunt, descendere legimus, Luc. 10, 30. qvanqvam & de aliis civitatibus eædem phrases, illæ dum adeuntur, hæc dum relinqvuntur, occurrant, qvum Jerosolymis se Samariam deportâssent, *orabant pro eis*, qvi in illa urbe ad Ecclesiæ gremium se verâ fide receperant, *ut acciperent* miraculosa *Spiritûs Sancti dona*, qvæ videri & audiri poterant, ut apparet ex seq Simonis Magi facto. Ita enim aliqvoties in Scripturâ Metonymicè, & καὶ ἐξοχὴν vox Spiritus pro donis istis miraculosis usurpatur, Joh. 7, 39.

Act. 19, 2. & 6. 1. Cor. 14, 12. 2. Cor. 11, 4. Gal. 3, 2. ubi tamen ipsam personam non excludimus. *Nondum* enim *erat in ullum illorum illapsus* eo modo & ita ut maneret, (qvomodo phrasi Hebræa Num. 11, 25, 26. & cap. 24, 2. Jud. 3, 10. & alibi usurpata. Syra paraphrasis hunc locum effert: Non manserat Spiritus Sanctus super unum ex eis adhuc) *sed baptizati tantùm fuerant*, postqvam crediderant *in nomen Domini JESU*, non qvod formula baptismi fuerit mutata, qvæ præscribitur Matth. 28. sed qvod Christus illum instituerat, & ejus authoritate, Apostoli illum administrabant, conversis adultis, qvi nomen Christi jam noverant, & se per ejus nomen ac meritum applicatum salvari credebant. Conferantur loca Roman. 6. Gal. 3. Tit. 3. 1. Petr. 3. & apparebit id etiam notari, ac phrasin hanc innuere, à Christo novum nomen baptizatos Christianorum puta & filiorum DEI accipere & inscribi libro vitæ per Salvatorem, qvi tollit omnia mundi peccata, & beatos efficit.

I. Loc. Comm.

APostoli tam insignes viri si non sunt gravati, statim se conferre ad Samaritanos, dum poterant iis prodesse ad salutem; neqve nos pigeat aliqvid laboris, qvin etiam si opus sit aliqvid invidiæ & malevolentiæ suscipere, dummodò prosimus Christi Ecclesiæ. David asseverat se non daturum somnum oculis suis, donec invenerit locum pro Jehova, Psal. 132, 4. & 5. & ministri verbi dormitabunt, si possint parare DEO templum? Vide qvantâ curâ ille, ejusqve filius Salomo ligna, lapides, aliaq; necessaria comparet, & qvid tibi incumbat, collige. Qvod si liceat hîc Allegoriâ instituere: id possumus salvâ fidei analogiâ dicere: Qvia Deus & Spiritus Sanctus ipse in Scripturâ nobis condescendunt, dum per vulgares phrases res illas arduas explicant, Joh. 3, 12. etiam ministris verbi ad exemplum horum Apostolorum Jerosolymis, ubi est pacis visio, Samariam, hoc est, si velint, ut auditores servent, qvæ probè intellexerunt, (שָׁמַר enim significat *custodivit, servavit,*) descendendum esse sæpius, hoc est, *requiri*, ut dum ipsi mysteria fidei ex sacris literis rectè perceperunt, ad captum auditorum se iterum demittant, dum illa exponunt. Hoc indicabatur, qvando Moses à DEO mandata accepturus montem ascendebat, populo verò relaturus eadem ex monte descendebat.

II. Loc.

II. LOC. COMM.

ET modus, qvo Spiritus S. percipiatur, hîc non tantùm; sed etiã Act. 1,14. indicatur: Nimirum sunt preces ardentes, qvibus tantum donum à Patre cœlesti potest impetrari, Luc. 11,13. & qvod pro aliis vivis non tamen mortuis possimus & debeamus orare, docemur; sicut id ipsum qvoqve patet ex præcepto Jacob. 5, 16. & exemplis, Gen. 20. v. 7. & 17. Job. 42, 8. Es. 37, 4. Act. 12, 5. 2. Cor. 1, 11. Phil. 4, 4. Col. 1, 3. 1. Thess. 1, 2. Hinc in oratione orationum, Dominica nimirum, præscribit Salvator, ut semper pro aliis qvoqve oremus: *Pater noster, panem qvotidianum da nobis, &c.* Ita potest fieri, ut infideles non qvidem salvemus nostrâ fide, ipsis alienâ, sed faciamus nostris precibus, ut ipsi propria fide, dum non repugnant, donentur, qvemadmodum Stephani oratio sine dubio multum Paulo præfuit, & matris Augustini filio. Samaritana mulier ubi cum Christo erat colloqvuta, reliqvos populares suos ad Christum adducebat, Joh. 4. Ita etiam credentes alios, qvi nondum vident Christum, juvent consilio & precum auxilio. Hoc enim est honestum & gratum, in conspectu Salvatoris nostri, ut pro omnibus hominibus faciamus orationes, pro bono conferendo, deprecationes pro malo auferendo, gratiarum actiones pro beneficio collato. 1. Tim. 2, 1. 2. 3. Andreas ubi Messiam invenerat, hoc qvoqve refert ad fratrem suum, eumqve ad JESUM adducit, Johan. 1, 42. & 43. Sic Philippus Nathanaëlem de eodem accedendo monet, ibidem v. 46. Sic etiam nos conversi, confirmemus fratres nostros, qvod Petro erat injunctum, Luc. 22, 32. & qvod hîc exeqvitur cum Johanne. Nos imitemur discipulum DOMINI morigerum.

III. LOC. COMM.

VIde hîc porrò DEI magnificentiam & benevolentiam in homines, seu φιλανθρωπίαν, dum munus illis dat, se ipso non inferius, non tantùm Filium, sed etiam Spiritum Sanctũ, qvibus adjungit Angelos & Spiritus cœlestes, (de qvo beneficio in Festo Michaëlis) ut ita ostendat, se, qvicqvid habet in cœlo, nobiscum communicare, & Verbi præcones, de qvo charismate in festo Johannis Baptistæ. Pharao Josepho multũ, item Danieli Reges Chaldæorũ dederunt; dignitatem tamẽ se ipsis inferiorem, & plura semper sibi ipsis reservarunt.

DEUS nobis dat munus sibi coæqvale & omne, ô ineffabilem DEI φιλανθρωπίαν! sicut Paulus qvoqve hanc admiratur Rom. 5. & qvod magis mirandum. Illi Reges suis fidelibus servis ea dedere; DEUS etiam suis inimicis, modò tales esse non perseverent. Qvi enim erant Samaritani? DEI hominumqve piorum illusores pessimi: pro illis tamen orant Apostoli, & qvod rogant, impetrant. Qvando DEUS dicebat, se omnibus Israelitis daturum carnem ad satietatem usqve, Moses, num id fieri posset, dubitabat, Num. 11. Qvis, si rei magnitudinem perpendat, in admirationem non rapiatur, qvando audit, DEUM effusurum suum Spiritum super omnem carnem? Joël. 2. qvemadmodum videmus contigisse piis Judæis, cùm viderent Cornelio ejusq; cognatis gentibus tanta dona non denegari, Actor. 10, 45.

IV. Loc. Comm.

IN prima Novi Testamenti Ecclesia non tantùm in baptismo ordinaria Spiritûs Sancti dona, & peccatorum remissio, qvæ hodie etiamnum durant, dabantur; sed præterea extraordinaria & miraculosa plerisqve conferebantur, ut ita primùm illis solemnibus sigillis doctrina Evangelii, qvæ tunc Sione prodierat, confirmaretur. Qvæ cùm jam pridem sit confirmata, qvid nunc miraculis eget? qvæ tamen sibi volunt monstrare Pontificii, cum Centurione non tantùm reprehendendi, si non signa & prodigia videritis, non creditis, Johan. 4. sed potiùs cum Simone Mago ex hoc capite redarguendi, qvi & ipse magicâ arte homines mente emovebat, & postea Spiritûs Sancti dona emere ac vendere volebat, sicut verè qvoq; de papatu canit Mantuanus:

-- -- -- -- -- Venalia nobis
Templa, Sacerdotes, Altaria, sacra corona,
Ignis, thura, preces, cœlum est venale, Deusq;.

Cujus avaritiæ nullum vides in his Apostolis vestigium, sed sibi dictum hoc putant, Matth. 10, 8. gratis accepistis, gratis date. Et hæc est legationis expeditio.

TERTIA PARS.

SEqvitur, qvo successu. *Tunc imponebant manus super eos*, qvæ erat ceremonia ex Veteri Testamento, qvâ vel persona, vel res & animal

mal qvoddam DEO consecrabatur, vel homini ob adjunctas preces bona qvædam promittebantur & conferebantur, vide Genes. 48,14. Levit.1,4. Num. 27,18. Deut. 34,9. & ex libertate Christianâ ab Apostolis retenta, qvando vel erant ordinaturi Verbi ministrum, aliumve sacra tractantem & subeuntem munia, eumqve suo officio consecrare, vel dona Spiritûs Sancti miraculosa conferre volebant, Act.6,6. & 13,3. & 19,6. 1.Tim.4,14. & cap. 5,22. 2.Tim.1,6. sicut Christus eum ritum in faustis precationibus adhibuit, Matth. 19,15. & cum ipso Apostoli, dum ægrotis sanitatem optabant, vel conferebant, Marc.6,5. & 16,18. Luc. 4,40. Act. 28,8. Hunc igitur ritum hîc qvoqve adhibuerunt: sine ullâ tamen magiâ, sine ullo chrismate, sine rasurâ, aliisq; nugis Pontificiis, imponebât, inqvam, manus super eos, & simul pro eis ardenter DEUM invocabant, v. 15. propter qvas preces adjunctas, qvæ habent promissiones amplissimas in sacris literis, dabatur, qvod rectè petebatur. *Tum statim* (ita enim ἐπὶ hoc loco optimè potest exponi, vid. Comment. Psal. 3. 5. ille & abit, id est, statim abit) *accipiebant Spiritum Sanctum*, hoc est, ut antea v.15. dictum est, Spiritûs Sancti miraculosa dona: eaqve hîc intelligi probatur ex seqventi versu, ubi dicitur θεασάμενος, qvod cùm esset contemplatus ac spectavisset Simon.

I. Loc. Comm.

POtest hîc tractari qvæstio de ceremoniis & ritibus adiaphoris, qvalis hæc impositio manuum sine dubio. In genere enim tenendum, qvod notavit, imò pluribus explicuit Dn. Frantzius disp. in 15. art. August. Confes. (1.) Speciali verbo DEI adiaphora nec sunt mandata, nec prohibita, sed generali aliqvo verbi indultu permissa. (2.) Debent introduci communi Ecclesiæ consensu, & ita etiam abrogari. (3.) Non temerè hoc fiat, sed propter ædificationem Ecclesiæ, bonumqve ordinem, (qvibus addit Dn. Mentzerus decorum,) qvo potest conferri auricularis confessio, exorcismi non magici observatio, publica sponsorum copulatio, solemnisqve funerum deductio, & hæc qvidem duo posteriora, ut ibi omnibus innotescat, hos esse conjuges; hîc verò liqveat à DEO hunc esse occisum, ut utrobiq; caveantur multa flagitia, qvæ sine istis ritibus poterant perpetrari. (4.) Debent proponi citra cultûs divini aut me-

meriti opinionem, qvod facit contra Pontificios, vide Bellarm. libr. 2. de Sacram. in genere, cap. 31. (5.) Ratione ordinis sunt necessaria, sed non absolutè, nec ubiq;, neq; semper. Qvibus probè observatis ad multas qvæstiones potest dari responsio, ne vel à nobis in excessu cum Pontificiis, vel in defectu cum Calvinianis peccetur. Et hic usus est generalis, videamus specialiora: Qvando his baptizatis manus imponuntur, qvæ ceremoniâ victimæ olim mactandæ DEO consecrabantur, vid. Levit. 1, 4. monemur & nos, ut cogitemus nos in baptismo esse DEO consecratos, ut ipsi nostra corpora statuamus victimam vivam, sanctam, DEOq; placentem, Rom. 12, 1. Qvod qvî fieri debeat, & qvomodo sint carnis concupiscentiæ crucifigendæ & mortificandæ, (sicut olim hostia mactabatur,) Apostolus prolixè explicat Rom. 6. & qvomodo thura precum accendenda David exponit, Psal. 141, 2. qvæ sub finem hujus festi necessaria doctrina est, qvando multi, qvi Spiritûs Sancti dona acceperunt, sua intemperantia rursus ea amittunt. Qvod ne fiat, qvotidie oremus cum Davide: *Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me*, Psal. 51. *Tuus Spiritus bonus deducat me per viam rectam*, Psal. 143. Tu verò, à Sancte Spiritus, sine cujus numine nihil est in homine, nos clementer illustres tuo lumine, ut te cum Patre & Filio hîc videamus fidei oculo, & olim te cominus adspiciamus in æterno gaudio, Amen.

IN FESTO JOHANNIS.

Esa. 40. v. 3. 4. 5.

קוֹל קוֹרֵא בַּמִּדְבָּר פַּנּוּ דֶּרֶךְ יְהוָה יַשְּׁרוּ בָּעֲרָבָה
מְסִלָּה לֵאלֹהֵינוּ׃

כָּל גַּיְא יִנָּשֵׂא וְכָל הַר וְגִבְעָה יִשְׁפָּלוּ וְהָיָה הֶעָקֹב
לְמִישׁוֹר וְהָרְכָסִים לְבִקְעָה׃

וְנִגְלָה כְּבוֹד יְהוָה וְרָאוּ כָל בָּשָׂר יַחְדָּו כִּי פִי יְהוָה
דִּבֵּר׃

Vox clamantis in deserto: Expurgate viam Domini: rectam facite in solitudine semitam stratam.

Omnis

Omnis vallis exaltabit se, & omnis mons & colles humiliabunt se: & erit pravum in directionem, & altitudines in planitiem.

Et revelabit se gloria Domini: & videbit omnis caro pariter, qvòd os Domini locutum est.

QVum DEUS volebat legem suam per Mosen repeti, & declarari Judæis, jam penitus introducendis in regna promissa terræ sanctæ, postqvam unum & alterum regnum occupaverant, cis Jordanem orientem versus id fecit, & qvidem his verbis concludit: *Ne recedatis à præceptis meis dextrorsum aut sinistrorsum totâ illâ viâ; qvemadmodum præcepit Jehova, itote, ut vivatis, & benè sit vobis*, Deut. 4. & 5. sub finem capitum. Ita etiam DEUS illam legem, qvæ erat exitura de Sion, Esa. 2. cùm jam regnum cœlorum appropinqvaverat, Christo in carne exhibito, Matth. 3, 2. volebat per Johannem, primum & præcipuum N. T. Doctorem, Matth. 11. (qvemadmodum Moses erat præcipuus in V. T. Deut. 18.) declarari & prædicari trans Jordanem, Joh. 1, 28. ab ortu Solis, ut ita monerentur homines respicere ad orientem ex alto, Luc. 1. ad Solem justitiæ præsentem, Mal. 4. ad stellam ortam ex Jacob, Num. 24. Id autem ut fieret rectiùs, viam salebrosam multisq; impedimentis flagitiorum & dubitationum plenam fecit planam, sicut prædixerat Esaias cap. 40. idqve in Johanne esse completum testantur Evangelistæ Matth. 3. Marcus 1. Lucas 3. cap. imò ipse Johannes 1. 23. Nos illud vaticinium, in qvo non tantùm Johannis Baptistæ CHRISTI præcursoris, sed etiam cujusqve probi ejus successoris officium describitur, & veluti instructio cuivis DEI legato datur, considerabimus per DEI gratiam in hisce duobus:

I. Qvodnam præconum Verbi munus?

II. Qvis finis?

DOMINE, *ut audiamus & videamus, qvid tu Jehova loqvaris*, Psal. 85, 9. *remove ex agro cordis nostri, omnia, qvæ sementem verbi impediunt, obstacula*, Luc. 8. *Via est aspera, tu eam complana*, Psal. 5, 9. *Nostræ viæ sunt corruptæ*, Gen. 6. *Tu DEUS tuas rectas & bonas nos doce*, Psal. 25, 4. & 10.

Nos

Nos erramus, ut oves, Psal.119. v.ult. Tu erudias & doceas nos, qvâ viâ rectè ambulemus, Psalm.32,8. & tandem, qvia nostra via est via universæ carnis, qvæ ad mortem decurrit, Jos. 23, 14. tu qvi es via, vita, veritas, Joh.14. ostende per tuos ministros fidelesq; Johannitas semitam viæ, per qvam perveniamus ad satietatem gaudiorum in conspectu tuo amœnissimorum, Psalm.16, 11.

PRIMA PARS.

NOlebat DEUS sibi per Davidem ædificari templum, eò qvòd multum sangvinis effudisset, 1.Chron.22, 8. sed per Salomonem, qvi bella in exteros non gerebat in regni sui initio. Ita ædificandum fuit templum DEI, id est, Ecclesia per CHRISTUM principem pacis, & tum dicendum Jerosolymæ fuit, Militiam ejus jam esse completam, Esa. 46, 1. Zach. 9, 10. hostes ejus esse devictos & deletos debitumq; exsolutum, Esa. 40, 2. Qvis verò hunc lætum nuntium perfert? qvis ita solabitur? qvis ad cor hoc modo loqvetur Ecclesiæ adflictæ? Primus omnium Johannes ille, qvi non tantùm magnam gratiam à Jehova pro se est consecutus, sed qvi etiam nobis in N. T. magnam illam & Evangelii propriam gratiam primus annuntiaret, verus ille יְהוֹחָנָן qvasi dicas יְהוָה חָנַן Jehova gratiam fecit, qvi tanti nominis omen impleturus erat, qvod bene Jova dedit, Luc.1,13. & 63. De illo jam agit seqvens vaticinium, qvod incipit Esa.40,3. in qvo possunt demonstrari *omnes causæ* ministerii. *Efficiens principalis*, DEUS, qvi per suos ministros clamat, v. 3. & qvi ipse dicit v.5. *Formalis*, qvæ præparat DEO viam, v.3. *Materialis*, respectu *objecti circa qvod*, nempe valles ignorantiæ, & diffidentiæ, montes vitiorum, securitatis. Peccati curvitas, delicti inæqvalitas, v.4. *Finalis*, ut omnes tandem sciant, DEUM esse loqvutum, qvi piis promittit præmia, & impiis denunciat pœnam, v.5. Qvod alii ita proponunt, v.3. haberi prædicationis summam, v.4. effecta, v.5. finem ultimum. Verba ita habent: *Vox clamantis* קוֹל קוֹרֵא in N. T. φωνὴ βοῶντος. DEUS enim clamat ipse per sui ministri vocem. Vos enim non estis, qvi loqvimini, sed Spiritus Patris mei, dicit Salvator, Matth. 10, 20. particula autem illa *in deserto*, ut notat *Chemnitius in Harmoniâ*, in textu Hebræo ob accentuum rationem,

&

& seqventis membri paritatem ad seqventia pertinet. Verùm qvia in N. T. ubi illæ minutiæ non semper attenduntur, *ad præcedens* refertur, indicatur, qvod Johannes suum officium cœperit in deserto, Luc. 3. Joh. 1. loco ad prędicandum minimè accommodato, ut ita rei novitate excitarentur homines illius temporis, & cogitarent adesse Messiam, qvod & eventus docuit, Joh. 1. qvamvis in persona ipsius errarunt Pharisæi, neq; se doceri per Johannem passi sunt. Quid igitur clamavit: *Parate* vel præparate ante conspectum (qvæ est emphasis verbi Hebræi פַּנּוּ vid. Mal. 3, 1.) *viam Jehovæ, rectificate* seu adæqvate *in solitudine*, (ea enim significatio hîc potius locum habere videtur, qvàm altera in campestribus, qvia ubi sunt campi, ibi plerumqve sunt semitæ tritæ, ab agricolis factæ; hîc autem Johannes mittitur, ut ipse primus eas paret. Fruatur tamen qvisqve suo sensu:) *stratam viam*: qvam per aggestionem parietis magnâ cura & labore (מְסִלָּה enim est à סָלַל id est, viam aggestâ terrâ vel lapidibus stravit, elevavit, complanavit,) *DEO nostro illi Jehovæ*; qvi noster factus per nativitatem, passionem, mortem, resurrectionem. Id porro declaratur aliis Metaphoris eodem pertinentibus. *Omnis vallis attolletur, & omnis mons collisq; deprimetur. Vallis* est terræ portio reliqvâ adjacente depressior, sicut contra *mons* & collis excelsior. Hîc verò id indicatur, si qvà sunt *peccata omissionis* in defectu, tàm in theoria qvàm praxi, aut contrà in excessu peccata *commissionis*, tam *magna*, qvæ per montes, qvam *parva*, qvæ per colles indicantur, Omnia per salutarem verbi prædicationem sublata sunt: verbi gratia: *vallis ignorantiæ* per scientiam & notitiam, *vallis dubitationis* per fidem implebitur; contra *collis superbiæ* per seriam pœnitentiam & humilitatem deprimetur, sic de cæteris. Et porro si qvid præterea est impedimenti in via, qvocunqve nomine id veniat, amotum iri significatur his verbis: *& erit, qvod curvum est, in planum.* (Nullum autem moveat, qvod Evangelista vertit Prophetæ singulare in plurale, Luc. 3, 5. καὶ ἔσαι τὰ σκολιὰ,) in rectitudine לְמִישׁוֹר εἰς εὐθείαν, & *salebræ in convallem* æqvabilem, εἰς ὁδὸς λείας, in vias planas, siqvidem per convallem æqvatam licet hinc inde inoffenso pede progredi, ut non sit in re ipsa qvædam inter Evangelistam & Prophetam dissensio. De reliqvis dubiis tamen, qvæ ex apparente dissensu oriri poterant, vide qvæ dicta in Amos 5, 25.

I. Loc. Comm.

Vldésne ô homo, qvanta sit *ministerii dignitas?* verbum qvod hîc prædicatur, non est hominis, sed revera DEI, 1. Thess. 2, 13. Unde toties apud Prophetas inculcatur: *Sic dicit Dominus; verbum Jehovæ.* Hi enim sunt non tantùm CHRISTI legati, 2. Cor. 5. & DEI cooperarii, 1. Cor. 3. sed etiam Salvatores ob hoc officium, 1. Timoth. 4, 16. Obad. v. ult. Multiplicem hoc habet usum, cùm in ipsis *doctoribus*, tùm in *auditoribus*. In *illis*, ut se dignos tam arduo officio gerant; sint vox, non silentium mutum, Esa. 58. qvod supra aliqvoties declaratur, & sint vox clamantis DEI, nihil extra illa adferentes, qvæ in sacris literis vel ῥητῶς, vel διανοητικῶς habentur, 1. Petr. 4, 11. non indulgeant suis affectibus privatis, sed tantùm à DEO instructionem sibi dari petant, qvid loqvantur, sicut patet ex seqventibus verbis apud Esaiam, ubi Jehova dicit, *prædica*; respondet concionator: *qvid prædicabo?* Esa. 40, 6. dicitur illi, *omnem carnem esse gramen.* In *his*, videlicet auditoribus, ut obtemperent libenter suis Doctoribus, ne DEO ipsi repugnent, Hebr. 13, 17. Actor. 5, 39. Hoc enim valdè durum est, Actor. 9, 5. sed cogitent cum Cornelio, ejusqve amicis, qvoties ad concionem accedunt: nos omnes in conspectu DEI adsumus, audituri omnia, qvæ tibi præcepta sunt à DEO, Act 10, 33. Jonathan Davidem in periculo versantem inclamabat, ipse statim sibi prospexit, 1. Sam. 20. At noster Jonathã CHRISTUS nos dilectos in se dilecto, dum in periculo mortis, qvam si pergimus sumus obituri, constituti sumus, qvotidie curat per suos præcones inclamandos. Prov. 8. Matt. 20. Soph. 3. Sed pleriqve id non curant, ut meritò tandem dicat in ira, Proverb. 1, 24. 26. qvandoqvidem invito, & renuitis, ego qvoqve ridebo in calamitate vestrâ. Qvando Gideon buccinâ clangit, & nuncios mittit, qvi vocent populum ad bellum contra Midianitas & Amalekitas, ut se in libertatem pristinam vindicet, is statim accurrit & seqvitur hunc ducem, Jud. 6, 34. 35. At noster Imperator & Rex gloriæ in bello strenuus, Psalm. 24. buccinam verbi sui qvotidie curat inflandam, Esa. 58, 1. nunciosqve mittit, qvi homines advocent ad bellum spirituale, Ephes. 6. qvod contra Diabolum, carnem suam & mundum (qvi sunt verè Midianitæ, hoc est, damnati, & Amalekitæ, qvi molestiam piis exhibent) gerat. Verùm tardè & rari, pauciqve veniunt, proin-

proinde non est mirum, cùm non sint in domo DEI, qvòd libertate non donentur, Joh. 8.

II. LOC. COMM.

ATqvanta hæc *cæcitas!* sumus in servitute, non anhelamus ad libertatem, Rom. 8. sumus in deserto, non contendimus cum multis Israëlitis ad terram verè sanctam, omnibusqve rebus abundantem: sumus hîc mundi ludibrium, 1 Cor. 4. & non suspiramus ad regnum & gloriam, 1. Cor. 15. sumus hîc in solitudine, Psalm. 12. & non properamus eò, ubi sunt Angelorum & sanctorum hominum myriades, Hebr. 12. Hîc omnia sunt fugacia, & non qværimus intrare civitatem manentem, Hebr. 13. Hoc itaqve DEUS clamat per suos ministros. Felix qvi ad clamorem horum speculatorum sibi cavet, vitamqve suam eripit! Ezech. 3. & 33. Multi autem, cum dicitur: attendite ad sonum tubæ; respondent, non attendemus, Jerem. 6, 17. Qvàm avidè Israëlitæ deserti malorumqve continuo in itinere perlatorum pertæsi tandem ad terram promissam festinabant: Imitemur eos, ita fiet, ut cum Jericho hujus mundi conciderit, & Jordanem judicii divini transiverimus, in cœlum subvehamur. Tunc non amplius DEI clamorem per aliam vocem audiemus, sed ipsius vultum & faciem semper adspiciemus, verba imbibemus, & semper cum omnibus sanctis conversabimur. Illis multi montes obstabant, multæ valles asperæ retardabant; sed hîc DEUS omnia plana & facilia reddit per suos præcursores.

III. LOC. COMM.

ECce contrà, *per qvas viarum asperitates & salebras* CHRISTUS cum sua gratia ad nos penetret, ut ad regnum cœlorum nos perducat. Sunt ibi multa impedimenta: est desertum, Luc. 15, 14. est solitudo, sunt montes, colles, valles, curva, salebrosa; & tamen hæc ipse nostræ salutis ergò superat omnia, ut nos perditos inveniat. Jacob non immeritò apud Labanem sua officia ipsi præstita, diligentiamq; ac molestiam summam, qvam in grege ejus pascendo & custodiendo devoraverat, exaggerat, Gen. 31, 38. 39. 40. 41. At CHRISTUS longè justius id genus qverelæ atqve expostulationis usurpat: siqvidem ipse DEO servit pro nobis; qvod non commiserat, luebat; qvod non rapuerat, exsolvit; pro ovibus vitam posuit; singulas vocat, curat, fo-

vet; & tamen parum gratiæ ipsi apponitur, atqve adeò ut vix cupiant ad eum accedere vocati, imò humanissimè invitati homines, ad qvos salvandos ille de cœlo descendit.

IV. Loc. Comm.

QVod magnum est in mundo, & qvod ad meritum & sanctimoniam se ipso nixum, humiliabitur; contrà cor contritum & humiliatum DEUS non despicit. Illi prope est. Hæc est via Domini longè alia, qvàm aliorum regum atqve magnatum in mundo, Es. 55. & 57. Illi igitur, ne errent; hi, ne desperent, semper ante justificationem præcedere oportet contritionem; & anteit exaltationem humiliatio. Anteqvam DEUS verè appareat, præit ventus perrumpens saxea corda, & ignis molliens petras, 1. Reg. 19.

V. Loc. Comm.

EX his verò Metaphoris constat, *qvantum laboris* exantlandum sit verbi ministris, qvibus colles dejiciendi, valles implendæ. Qvasi miraculum aliqvod narratur, qvod Xerxes montem qvendam transfoderit, & qvod Alexander fluminis alveum mutaverit. Ecce idem præstandum, ope tamen DEI, verbi præconi. Ille enim, qvando dicit monti, sanctitate humanâ turgenti, transi; statim transit, vel potius evanescit, Luc. 17, 10. ille curvitates corrigit, ille asperitates dolabrâ legis levigat, suoqve Domino viam parat. Vide Johannem: Pharisæorum fastum dejicit; publicanorum metum demit; militum contorta facta ad normam legis revocat; populi salebras ligone minarum æqvat. Hunc omnis in suo statu imitetur; potissimum concionatores in choro, Magistratus in foro, parentes in toro. Atqve hactenus, qvodnam verbi præconum munus.

SECUNDA PARS.

QVis verò harum omnium officii partium *finis?* DEI gloria apud homines propaganda; qvod fit, dum illi DEO loqventi credunt, & fide sua salvantur. Qvando Salomonis fama glorioſa percrebescebat, multi ex longinqvis regionibus eum visum, sapientiamqve ejus auditum advolabant: Inprimis Regina Sabæ cum multis donis, 1. Reg. 10. Ecce hîc est longè major Salomone, & longè præstantior gloria, longè divinior sapientia, qvàm Joh. Baptista, omnesqve ejus successores demonstrant, in qvo sunt omnes thesau-

sauri sapientiæ absconditi, Col. 2. cujus gloriam viderunt Apostoli, qvasi unigeniti à patre, Joh. 1. Ad eum igitur meritò omnes accurrent, non tam ut dona afferant, qvàm ut accipiant, & per hujus Regis sapientiam atqve notitiam salvi fiant. De qvâ re porro sic loqvitur Propheta. Illa omnia à Johanne Baptista, aliisq; verbi ministris efficienda esse, ut qvæ gloria hominibus naturâ cœcis in rebus spiritualibus est ignota, *reveletur* & innotescat, nempe *gloria* non alicujus Regis aut Monarchæ, sed ipsius *Jehovæ*, & *videat omnis caro pariter, pii ad suam salutem*, dum inde fidem concipiunt, qvando CHRISTI doctrinam audiunt, & omnipotentiam in miraculis aspiciunt; *impii* autem *suâ culpâ tantò gravius condemnentur*, qvod *os Jehovæ* filii DEI, per qvem Pater nobis loqvutus est in N. T. Ebr. 1, 1. (supra Fer. 3. Nat. Dom.) qviqve est interpres ac internuncius consilii de salute generis humani, Joh. 1, 18. qvod ille ipse, inqvam, loqvatur, Dominus ipse jam venerit ad suum templum, Malach. 3, 1. qvem omnes servi Prophetæ sancti venturum, & omnes Evangelistæ ac Apostoli exhibitum esse demonstrarunt.

I. LOC. COMM.

NOcte parum vel admodum obscurè omnia videntur. In V. T. fuit nox qvædam, Rom. 13. qvid igitur mirum est, non omnia ita fuisse revelata, & retecta, ut in N. T. de die, qvando Sol justitiæ ipse ortus est, suisqve radiis omnia illustravit. Hujus strictura perveniebant qvandoqve ad gentes, vel paucissimos homines inter eos, nempe Jethronem, Jobum, Rahab, Rutham. Verùm super Hierosolymam Ecclesiamqve N. T. oriebatur lux Domini, qvæ deindè in omnes terræ fines se extendit. CHRISTO nato mediâ nocte in libero campo propterea refulsit cum Angelo Domini gloria magna pastoribus, ut indicetur, qvod ibidem seqvitur, jam Angelos & nuncios pacis atqve gaudii emissum iri in totum terrarum orbem, Luc. 2, 9. 10. qvi gloriam Domini in umbra noctis sedentibus revelent, Luc. 1, 9. Qvando Petrus reducebatur mirabiliter ex suo carcere, lux lucebat in illa domo, dicebaturqve: surge; & excidebant catenæ de manibus, Act. 12, 7. Qvando igitur futurum erat, ut omnes homines reducerentur ex lacu, in qvo non erat solatii aqva, illi vincti spe, Zach. 9. lux lucebat in toto terrarum orbe, ut ita excitarentur ex somno, Eph. 5. Rom. 13. & catenæ mortis, qvibus

erant ligati, decidérent, 2. Petr. 2. id est, qvod primum hîc dicitur, ut gloria reveletur.

II. Loc. Comm.

QVid verò est gloria Jehovæ? audis, qvorsum perveniant tandem filii lucis, Joh. 3, 12. ad gloriam DEI *hîc inchoatè*, in *alterâ vitâ consummatè*, 2. Cor. 3, 8. & 9. Nos enim omnes, qvi revelatâ facie gloriam Domini hîc velut in speculo intuemur, ad eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam, velut à Domini Spiritu. Ibid. v. 18. Conf. 2. Corinth. 4, 15. & 16. Hinc autem fit, qvod pleriqve homines non convertantur, qvod non videant illam gloriam Jehovæ, qvam demum illi soli norunt æstimare cum Paulo ad Rom. 8. qvi à verbi ministris illuminantur. Qvando Israëlitæ videbant gloriam Jehovæ in columna ignis & nubis, & ejus operationem perspiciebant in perditione Pharaonis: alacriter demum pergebant: Ita nos, qvando in scriptura, qvæ cum nube rorida, Es. 26, 19. & 55. 10. & 11. atqve igne lucente, Jer. 5, 14. & 23, 29. optimè confertur, contemplamur DEI gloriam, accurramus, ut perveniamus ad metam propositam, inprimis, qvando ibidem cognoscimus, infernalem Pharaonem esse projectum, Apoc. 12. pede inoffenso progrediamur.

III. Loc. Comm.

AUdite hoc, omnis caro pariter videbunt, Calviniani, & desinite blasphemare, DEUM nolle suo verbo omnes homines illuminare & salvare. Auditisnè hunc esse *finem Evangelii*, ut omnes pariter videant? qvod autem nonnulli sicut noctuarum oculi ad diem, ita ad lucentem Evangelii splendorem caligent, suo ipsorum vitio & culpâ, atqve adeò per accidens fit. Dominus, teste Propheta, hactenus malos & cœcos pariter amat ac diligit in Filio, qvem omnibus dedit, & Evangelium de eo omnibus misit. Sed de hoc aliàs. Nos rogamus, DEUS faciat, ut videamus hanc revelatam lucem; non rideamus cum mundo perferendam Christi crucem, 1. Cor. 1, 23. sed ita jam credamus, ut ad ipsam gloriam vitæ æternæ accedamus: ita in hoc splendore ambulemus, ut qvondam ad thronum ejus jubilantes perpetuo stemus,

Amen.

IN

IN FESTO VISITATIONIS MARIÆ.

Rom. 12, 9.

Ἡ ἀγάπη ἀνυπόκριτος, ἀποστυγοῦντες τὸ πονηρόν, κολλώμενοι τῷ ἀγαθῷ.

Dilectio sit non simulata: Sitis odio prosequentes, qvod malum est, adhærentes ei, qvod bonum est.

AMoris verè infucati & ardentis exemplum, si qvod in sacris literis nobis relictum est ab hominibus, certè est illud, qvod in Jonathane & Davide reperimus, 1. Sam. 18. 2. Sam. 1. Hîc enim cernere est illud, qvod in lege erat mandatum, Levit. 19, 18. Diliges proximum tuum sicut te ipsum, qvodqve est alterum præcipuum totius legis & Prophetarum præceptum, Matth. 22, 39. & 40. & præterea talibus signis id ipsum declaratur, ut undeqvaqve vera & mera charitas eluceat. (1) Anima Jonathanis devincitur cum animâ Davidis, 1. Sam. 18, 1. vinculo pura pacis, Eph. 4, 2. & 3. & Col. 3, 14. deinde pangit fœdus, v. 3. amicitiæ & concordiæ Christianæ: porrò exuit se pallio & vestibus, ut ita qvasi cor nudum introspiciat dilectus ille David, qvin etiam illa ferre sui voluit monumentum & pignus amoris. Verus enim amor non qværit sua, & tegit proximi vitia, 1. Cor. 13, 5. 7. Tandem etiam gladium & arcum suum tradit, siqvidem amor iram cohibet, non invidet, non se inflat, non malum cogitat, ibid. v. 4. & 5. Ecce qvæ istis signis, & ritibus tam multis ac factis ibi Jonathan declarat, ut sibi amorem non in ore, sed in corde natum omnes intelligant: ea Apostolus in hac Epistola, præcepto & dicto; Maria autem Mater Domini in Evangelio cum Elisabetha exemplo & facto qvoqve exprimunt: dum hæ inter se altera alteram honore cupientes præverterе, se amoris veri glutine esse junctas demonstrant; qvando Maria, hoc est, illa, cui est mœroris amarũ mare, qvæ (ut omnes pii) multis calamitatibus opprimitur qvidem, sed por-

portum, qvò confugiat, habet, nempe ubi verè posit dicere מְנוּחָתִי DEUS meus reqvies est, & locus, ubi manere tutò qveam; qvod contingit in domo Zachariæ, id est, in corde illius, qvi Jehovæ recordatur jugiter. Illius verò Apostoli, dico illam admonitionem paucis & ὡς ὸν ἰύπῳ ex v. 9. videbimus. Partes erunt duæ.

I. Amoris exigua, sed eximia descriptio.

II. Ejusdem respectu objectorum contrariorum operatio.

O DEUS, tu es amor ipse, 1. Joh. 4, 16. tute & illum nobis demonstra; ita sufficit nobis Joh. 14, 8. Ita velut stygem odio habebimus malum, & firmiter amplectemur bonum, sine fuco & fallacia, hoc præstet nobis tua gratia.

PRIMA PARS.

CHristiani habent suum in cœlis patrem, in terris fratrem: ab illo norunt se accepisse omnis generis beneficia; huic se norunt vicissim debere omnia officia. Cùm igitur hactenus Apostolus ostendisset, qvid DEUS hominibus præstet, dum gratis eos justificat, in peccatis mortuos vivificat, in malis solatur & erigit, & per CHRISTUM in fide eligit; qvid porrò & Ipsi, nempe cultum sincerum, & proximo debeamus, nempe amorem verum, cap. 12. demonstrat. Atqve illum qvidem usqve ad vers. 9. perseqvitur, in hoc autem fontem omnium officiorum fratri præstandorum aperit, videlicet charitatem. Celebratur qvidem Menelaus, qvod dixerit, ὤανρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λίγεως, pauca qvidem, sed acuta nimis. Et Poëta monet: Qvicqvid præcipies, esto brevis, ut cito dicta percipiant animi dociles teneantqve fideles. Id hîc omnino observatur, dum de re, qvæ per totam vitam semperqve est observanda, & jugiter exercenda, duo saltem verba facit Apostolus. Ἡ ἀγάπη, *illa dilectio* & charitas, de qva hîc sermo, non illa malorum malè conciliata, aut mundi & politicorum fucata, ficta & picta, sed vera ac sincera Christianorum *sit minimè simulata*, aut fraudulenta, ut habet Syra paraphrasis, ܠܐ ܒܣܘܟܪܝܬܐ, sine hypocritarum fraudibus, & talis, ubi non persona alia exterius ostentatur, & alia interius, qvæ verè omnia agit, occultatur; sicut fieri solet in theatro, ubi de hystrionibus verbum ὑποκρίνομαι usurpatur.

I. Loc.

I. LOC. COMM.

VEra in DEUM pietas est illa, cui statim adjuncta erga proximum charitas, qvemadmodum hoc loco c. 12. Apostolus fidei veræ & justificantis fructus egregiè depingit; ita tamen, ut qvidam rami sursum in cœlum, qvidam deorsum in terram se extendant. Unde licet colligere juxta Joh. 1. Ep. c. 3. & 4. Si illa tantùm est vera fides, qvam sequitur sincera ac vera dilectio, plerosqve homines fidei simulacrũ potiùs habere, qvàm verum ὑφιστάμενον. Vide Jac. 2. Apostolus articulo, qvò posit velut indice demonstrari, hoc innuit, ἡ ἀγάπη, Jacobus v. 18. 2. δείξον inqvit, id est, demonstra. Ut enim ex purpura Regem, ita ex verâ charitate Christianum poteris agnoscere: rectè statuit Chrysost. Vide nunc saltem Mariam & Elisabetham, qvæ utraqve credit fidemqve suam probat in Evangelio non tantùm dictis, sed & factis. An non enim illa exsurgit statim? tu qvoqve qvisqvis es, si verè credis, exsurges à vitiis, in qvibus hactenus jacuisti, cum Matthæo ab avaritia, Matth. 9. cum muliere peccatrice ab adulterio & scortatione, Luc. 7. Joh. 8. cum Davide ab homicidio: An non illa contendit in montanam regionem cum festinatione, tu qvoqve propera in montem Domini, & festines cum Loto, eripere tuam animam. An non illa se confert in urbem Judæ? in domum Zachariæ? ita sanè tu etiam confessoribus veris te aggrega, Matth. 10, Rom. 10. & sis in eorum numero, qvi DEI recordantur, Psalm. 20, 8. Neh. 4, 14. Hæc verò, Elisabetha nimirum, exclamat voce magnâ. Credit enim, propterea loqvitur, Psalm. 116. 2. Corinth. 4, 13. CHRISTUM agnoscit suum Dominum, & firmiter credit, impletum iri qvæcunqve à Domino sunt promissa: Sic etiam tu qvoqve sis inter eos, qvi Dominum invocant, Joel. 2. eumqve venereris fideli obsequio, ut servi & ancillæ fideles, Psalm. 123. Ita futurum esse credito, impletum iri divina promissa. Alia exempla jam non cumulo, cùm hæc hodiè in theatrum Ecclesiæ producta abundè possint sufficere.

II. LOC. COMM.

HÆc de charitatis necessitate, qvod non possit abesse; jam de proprietate. Qvalis est ergo? ἀνυπόκριτος, ubi nihil fingitur, nihil simulatur, aut dissimulatur, qvod in damnum proximi vergat.

gat. O bone DEUS! qvid igitur fiet jam illa umbra & larva dilectionis plerorumqve hominum in mundo, ubi etiam hac dere integri libri politicorum qvorundam extant, potius videndum, ut videamur amici, qvàm simus? Atqve utinam in libris illa tantùm, & non à Diabolo plerisqve in animo scripta, ac vita in omni expressa, ut merito exclames:

Candor in hoc ævo res intermortua pene est:

Neqve tantùm jam politici qvidam jurant, perjurant, cum aliis ajunt aut negant; verum & Theologi. Vide Jesuitas hodiernos & qvosdam Calvinianos, de qvibus nuper. Ethnicus ille

Oderat ut mala claustra Erebi, qvicunqve loqvuntur
Ore aliud, tacitôqve aliud sub pectore condunt:

Hodie verò scapham vocare scapham est rusticitas; posse autem omnibus verba dare, est maxima civilitas. DEUS homines primùm creabat nudos, innuens apertos eos & candidos esse debere, non se condere in auras ut aves, vel sub æqvor ut pisces, non sub terram ut serpentes; Verùm postqvam homo semel arripuit folia ficûs, etiam non deest ei fucus. Ut autem fucata illa Jesebela tandem præceps dabatur: & conculcabatur: ita etiam illi novorum fucorum & pigmentorum artifices, tandem, nisi resipiscant, à DEO verace præcipitabuntur, ut pejus pereant, qvam si saxo saliant, Psal. 141. v. 6. Sit igitur amor sine fuco ac fallaciâ, ut DEI verba veracia.

SECUNDA PARS.

NIhilné igitur odisse decet? omninò malum & pravum; interim omne bonum diligendum. Hoc Apostolus iterum tam emphaticis verbis Græcis declarat, ut haud sciam, an sint significantiora. Ἀποστυγοῦντες, *abhorrentes* planè & aversantes, non secus ac *Diabolum* ipsum & stygem, paludemqve infernalem, qvemadmodum prorsus mali & desperati dicuntur DEUM odisse qvam maximè, qvando contremiscentes credunt DEUM venturum omnis carnis judicem. θεοστυγεῖς, Rom. 1, 30. & στυγητοὶ, Tit. 3, 3. infernalibus cruciatibus devoti, odioqve maximo digni; abhorrentes autem oderitis τὸ πονηρὸν, id est, pravum, & illud malum, in qvo perficiendo toti estis, qvodqve magno cum labore & molestiâ perficitis, siqvidem descendit à πονέω, laboro, unde & ipse Diabolus aliqvoties ὁ πονηρὸς dicitur, Matth. 13, 19. 1. Joh.

1. Joh. 2, 13. & c. 5, 18. Eph. 6, 16. & maximum malum etiam eo nomine venit, Matth. 6, 13. summaqve pravitas & neqvitia πονηρία appellatur, Marc. 7, 22. Rom. 1, 26. 1. Cor. 5, 8. Contra autem qvantum à malis fugere debetis, tantum ad bona vobis est contendendum, & postqvam eò perveneritis, illi firmiter adhærendum, κολλώμενοι, qvasi glutine adfixi adhæreatis & retineatis, (κολλᾷ enim notatur gluten,) qvia κολλᾶσθαι, sicut & προσκολλᾶσθαι dicitur de maximè arcta conjunctione tam corporum, qvàm animorum, Matth. 19, 5. Act. 5, 13. & 36. & c. 9, 26. 1. Cor. 6, 16. Marc. 10, 7. Eph. 5, 31. Sicut & Hebræum דָּבַק hujus emphasin exprimit, Genes. 2, 24. & 34, 3. 1. Reg. 11, 12. Ita verò *amplectamini bonum*, ut omni illi adhæreatis, qvod verè sub nomine boni venit, sive sit honor, sive sit virtus, sive alia res. Brevis qvidem hæc est observatio, sed usu longa, imò nunqvam in sanctis terminanda.

I. LOC. COMM.

QVis est, qvi non horret & fugit Diabolum, qvum sciat tandem malè sibi illos consulere, qvi illi se dedunt? age eodem & perfecto odio est omne malum prosequendum, qvod ex destinati animi malitia proficiscitur. Qvum Israëlitæ videbant Goliathum prodeuntem ex castris, metuebant valdè & fugiebant à facie ejus, 1. Sam. 17, 24. At multi Diabolum, qvi est longè pejor & crudelior, qviqve magis potest nocere, qvum iste tantùm corpus, hic verò & animam perdat, inter se versantem, imo intra se habitantem non metuunt. Si autem vis vitare paludem Stygiam & infernum, vita malum, inqvit hic Apostolus. Hæc enim est unica via effugiendi infernales tenebras, ex fide à malo abstinere, & facere bonum, Psalm. 34. Qvando cogitas, qvàm miserè perierint homines in diluvio, qvàm anxiè voluerint inundantis aqvæ fluctus effugere: hoc etiam tibi veniat in mentem, in causa fuisse hominum malitiam, Genes. 6. Si igitur illud ἀποφυγεῖς & horres, cur in hac hæres? Qvando contrà oculos convertis ad flammas Sodomæ, & vides in igne miserè se jactantes ejus incolas, tibi subjice, in causa fuisse neqvitiam, seu, ut Apostolus vocat, πονηρὸν, vide enim eos ad ostium Loti tumultuantes ob rem fœdissimam ac turpissimam, qvid molestiæ devorent, ut suam libidinem expleant; verè πονηρὸν erat, qvod moliebantur flagitium. Porrò si qvando incidis in historiam rebellionis Coræ, Dathan, & Abiram, animo saltem perpen-

de, qvid illi laboris in tumultuando subeant; si exhorrescis ad tantum excidium, cave simile vitium. Sic de cæteris rationem ineas. Adulter qvid noctu capit laboris, ut voluptatem dolore, imo cum morte sæpe emat? homicida qvandoqve diu sub dio cubat, æstus sentit & frigora, dum tandem, qvem vult, interficiat. Sed hanc molestiam, hunc laborem, qvem in malis perpetrandis suscipimus, effugere & odisse nos vult Apostolus. Peccaturus igitur ita tecum rationem deputa; qvid est qvod machinaris? malum & ἄνομον, igitur etiam est πονηρὸν & laboriosum; labor autem solet absterrere. Qvod si tamen ille nondum te cohibet, cogita, stygii Draconis hoc est opus, & cum eo metuendæ sunt pœnæ. Abhorre igitur à malo laborioso, & qvære pacem in CHRISTO, relicto Diabolo, ejusqve operibus, qvemadmodum in baptismo promisisti.

II. LOC. COMM.

CONtrà ibidem CHRISTO es insitus, Rom. 6. In illo igitur mane, Johan. 15. cum CHRISTO ibi Spirituale qvoddam iniisti conjugium, & ab illo velut sponsa suscepta es; illi itaqve conjunctus, imo agglutinatus permane, Eph. 5. 1. Cor. 6. Ille est optimus: proinde ipsi qvam maximè te agglutinandum cures, per fidem. Qvod si fit, & bonum morale facies, qvia qvi in CHRISTO est, floret & viret in bonis operibus, Johan. 15. velut arbor ad rivos aqvarum, Psalm. 1. Qvando virga Aaronis jam pridem arida in tentorio deponebatur ex mandato DEI efflorescebat, & proferebat fructus: Sic etiam homo ad omne bonum opus inutilis, & velut arbor exsiccata, qvando in tentorium DEI, & Ecclesiæ atrium, Psalm. 92. transplantatur, iterum florere incipit, & viret, qvamdiu manet ad rivum ac fontem aqvæ vivæ salientis in vitam æternam, Joh. 4. & 7.

Non vis esse pauper? adhære CHRISTO fide, is est dives, ejusqve benedictio ditat sine molestia. Non vis errare? est via. Non vis mori? ipse est vita. Deniqve est unus omnia. Tu modò eum firmiter manibus fidei complectere, non dimissurus cum Jacobo, nisi benedicat; non discessurus ab eo cum Apostolis, nisi salvet, Johan. 6. non abiturus cum peccatrice, nisi absolvat, Lucæ 7. Hoc est præcipuum ἀγαθὸν, cui jungi debemus, Matth. 19, 17. Qvod vero huic placet, illud etiam est bonum qvod in lege præcipit. Si igitur amas DEUM, observa & ejus Imperium, alias es inutilis hujus Impera-

peratoris miles,& te ipsum decipis. Fugis ex præcedenti doctrinâ vitia,jam sectare virtutes; Relinqve mundi Sodomam, & ad parvum gregem,Luc.12.(id enim nomen urbis,qvo Lotus confugit,indicat Genes.19,20. & 22. מִצְעָר id est, exigua:) & ad montem Domini propera Angeli lateri adhærens, qvæ retrò sunt non spectans, Phil.3. Ita salvaberis qvando mundi hujus compages igne dissolvetur,ejusqve omnes mali incolæ peribunt,2.Petr.3. Tu verò ô CHRISTE JESU optime maxime, fac vigilemus, ut tui venientis, & cœlum ingredientis latus stipemus, Matth.25. Da ut in hâc vitâ sic exuamus omnem tibi exosam personam,ut auferamus post eam vitæ coronam, Amen.

IN FESTO MICHAËLIS.

Apoc. c.12,9. & 10.

Καὶ ἐβλήθη ὁ δράκων ὁ μέγας, ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος, ὁ καλούμενος διάβολος καὶ ὁ σατανᾶς, ὁ πλανῶν τὴν οἰκουμένην ὅλην, ἐβλήθη εἰς τὴν γῆν, καὶ οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ μετ' αὐτοῦ ἐβλήθησαν. Καὶ ἤκουσα φωνὴν μεγάλην, λέγουσαν ἐν τῷ οὐρανῷ· Ἄρτι ἐγένετο ἡ σωτηρία καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, καὶ ἡ ἐξουσία τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ, ὅτι κατεβλήθη ὁ κατήγορος τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν, ὁ κατηγορῶν αὐτῶν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἡμέρας καὶ νυκτός.

ET projectus est draco ille magnus, serpens antiqvus, qvi vocatur diabolus & satanas, qvi seducit totum terrarum orbem, & projectus est in terram, & Angeli ejus cum illo projecti sunt. Et audivi vocem magnam dicentem in cœlo: Nunc facta est salus & virtus, & regnum DEI nostri, & potestas

Christi ejus; Qvia projectus est accusator fratrum nostrorum, qvi accusabat illos ante conspectum DEI nostri die ac nocte.

EXod. 15. Israëlitæ jam mirabiliter ex Ægypto & manu ac potestate Pharaonis Tyranni pessimi educti, & per mare rubrum traducti, ipso suffocato, ex præscripto Mosis & Miriam canunt DEO laudes, qvòd ipse suam omnipotentiam & misericordiam, in populo suo liberando, declaraverit, & tandem in hæc qvoqve verba prorumpunt: Qvis sicut tu inter DEOS Jehova? qvis sicut tu magnificus sanctitate, reverendus laudis celebritate, mirificus operum claritate? Nos in N. T. Abrahami & Jacobi filii, & ita Israëlitæ fide, Rom. 9. Gal. 3. longè justiùs etiam hoc die exultamus. Nunc enim grata mente sub finem omnium festorum anni qvasi retrospicientes (ut illi in sicco jam stantes & [ut ajunt] in portu navigantes respiciebant ad hostes suos, jam littori expositos, Exod. 14, 30.) in memoriam nobis revocamus, qvomodo in festo nativitatis Domini cognoverimus ex nocte in diem, ex tenebris in lucem nos esse traductos, nato Salvatore, duce vitæ, luce viæ, qvod notabat sub noctem exortus splendor, Luc. 2. Porrò in festo Paschatos dictum est, qvomodo Christus non tantùm patiens; sed etiam resurgens ex morte, omnes nostros hostes devicerit, ac nos liberârit. In festo Pentecostes de aqvis illis mundis promissis, & copiosè effusis sumus edocti. (Ita enim Spiritus Sanctus dicitur, Es. 12, 3. & 44, 3. & 55, 1. Jer. 2, 13. Ezech. 16, 4. 9. c. 47, 12. Joh. 14, 10. 17, 38.) Et in festo Johannis Baptistæ, ac Visitationis Mariæ, novum Canticum fuit præscriptum & expositum à verbi ministris: ut meritò hæc & tanta perpendentes nunc exclamemus מִי כָמֹכָה בָּאֵלִם & ex Psalm. 113, 5. מִי כַיהוָה אֱלֹהֵינוּ. Harum enim vocum ἀνεξηχα seu primæ syllabæ nomen Michaëlis componunt. Qvis enim verè est sicut tu DEUS noster, qvi nos ex nihilo creasti, ex morte perditos redemisti, ex tenebris ad lucem jam excœcatos vocasti, atqve ut ab insidiis diaboli, qvi tanta bona cupit nobis eripere, simus tuti, Angelos sanctos nostros jubes esse custodes & apparitores. Qvantum hoc beneficium, & qvodnam vicissim sit nostrum officium, ex Apoc. c. 12, 9. & 10. videbimus, consideraturi hæc duo:

I. Dia-

I. Diaboli ex regno cœlorum exulantis ignominiam & ejulationem.

II. Christiani populi in regno cœlorum exultantis gloriam & jubilationem.

Domine, scimus, qvòd noster adversarius in errorem seducat, &, qvem devoret, qværat, 1. Petr. 5. tu autem es veritas, via & vita, Joh 14. ideóqve præsta, ita credamus ut salvemur, ita incedamus ut in accusatione liberemur, & tecum in cœlis perpetuò lætemur. Fiet hoc, si terram, in qvam projectus est, & ubi potestatem suam exerit Diabolus, vitemus, & contrà animis in cœlum subvolemus. Tu, si cubi labimur, manum porrige, & si cubi deviamus, corrige.

PRIMA PARS.

ISraëlitis in terram sanctam tendentibus alii hostes à tergo, ut Amalekitæ, Deut. 25, 17. qvidam à fronte se illis opponebant, ut Sichem Rex Amorrhæorum, & Og Rex Basan, Num. 21, 23. & 33. Ipsi verò DEI promissione ut firmissimâ rupenixi omnes vincebant, Deut. 33, 26. & 27. Sic etiam nos jam ex inferni potestate redempti, qvando cepimus insistere viam angustam, qvæ ducit ad vitã, insidias nobis struit nostra caro, & serpens ille antiqvus, ac aperto marte nos oppugnant, idem ut Draco & Satanas, mundus verò utroqve modo nos etiam petit, verum plusqvam victores evadimus, Rom. 8. in CHRISTO, qvi dat nobis suam victoriam, 1. Cor. 15. 1. Joh. 5, 4. si modò ex puro corde eum invocemus, ut Moses Exod. 17. & pugnemus, ut Israëlitæ ibidem; sic adversa omnia cogentur cadere prona piis. Id egregiè hîc declaratur, dum indicatur, qvomodo Diabolus contra pios in Ecclesia pugnet, & tandem victus succumbat. Nam postqvam non potest prævalere, statim *ejectus est*, magnoqve cum impetu deturbatus, ut deciderit tanqvam fulgur de cœlo, Luc. 10, 18. (id enim notat verbum Græcum βάλλομαι. Confer Matth. 8, 25. & 7, 19. Joh. 15, 6. Apoc. 20, 3.) noster inimicus, Matth. 13. qvi omnibus modis nos petit, vi apertâ ut Draco, insidiis ut serpens, calumniis ut Diabolus, imò qvocunqve modo ut adversarius, non tantùm *Draco* qvi acutum videt, & totum, qvod deprehendit, deglutit; verùm Draco *magnus*, ὁ δράκων ὁ μέγας in textu Græco emphaticè, sicut & seqvens ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος, *ille serpens ille antiqvus*, puta qvi in paradiso protoplastos in statu integritatis po-

tuit

tuit decipere, & ex eo tempore semper hanc artem exercuit, ut usu jam sit experientissimus & veterator maximus. Confer Gen. 3, 1. 2 Cor. 11, 3. 1. Tim. 2, 14. Apoc. 20, 2. *qui vocatur* & est revera *Diabolus*, calumniator, 1. Tim. 3, 11. 2. Tim. 3, 3. Tit. 2, 3. (à διαβάλλομαι deferor, Luc. 16. plerumqve tamen per ficta crimina. Vide Lucianum περὶ τοῦ μὴ ῥαδίως πιστεύειν τῇ διαβολῇ,) siqvidem DEUM apud homines falso defert, ut invidum & injustum, Gen. 3. vel homines apud DEUM, Jobi 1. & 2. Et est Satanas שָׂטָן id est, adversarius à שָׂטַן id est, odio habuit, adversatus est, Zach. 3, 1. ex qvo Græca flexione addita illud nomen in N.T. *qvi seducit totum orbem habitabilem*, τὴν οἰκουμένην, per metonymiam homines intelligit, eum incolentes, v. vers. 12. Intelligendum autem hoc vel partialiter, qvod nemo hominum sit, qvem non aliqvando seducat, non totaliter qvod omnes homines simul (ita enim nulla vera supereſſet Ecclesia) in errorem abripiat; vel intentionaliter, non effectivè, qvod hoc agat, ut omnes omnino, nullo excepto, simul seducat. Conf. Matth. 24, 22. 24. atqve ita respectu hominum nonnullorum κατὰ δόξαν, ita multos seducit, ut omnes seducti putentur etiam ab oculatissimis. vide Eliam, 1. Reg. 19. Rom. 11, 3. 4 & Paulum Phil. 2, 2. qvæ explicationes sunt ὑπάλληλοι subordinatæ. Ille verò cujus hæc est natura & indoles, qvæ hactenus descripta, *projectus est* ex cœlo *in terram*, qvippe qvæ convenit Draconi & serpenti, qvin *etiam Angeli ejus cum ipso sunt projecti*, ut nulli deinceps, qvando manet in regno cœlorum, nocere qveant, qvia eò diabolus & ejus Angeli pertingere neqveunt.

I. LOC. COMM.

NUnqvam bella piis, nunqvam certamina desunt:
Et qvî cum certet, mens pia semper habet

Ex illo tempore, qvo dictum: Ecce, pono inimicitiam inter te semenq; tuum, & mulierem ac ejus semen, Genes. 3, 15. Qvando Saulis filii à regno Israëlis erant excluſi, magnum sed breve bellum gerebant cum domo Davidis, 2. Sam. 2. & 3. respectu hujus, qvod filii DEI cum diabolo ex regno cœlorum excluſi gerunt, qvi etiam potest cum Saul comparari, qvia ut hic magnis à DEO affectus beneficiis tamen turpiter & pervicaciter ab eo deficit, eaq; (ut nomen cluit) sibi postulavit, qvæ non decebant, ut hic Davidem sic ille Christum & Christianos odit; ut hic externam hypocrisin, potius qvam pietatem internam ac veram curat: Sic ille semper probus

ac

ac bonus videri expetit, seq; in Angelum lucis transformat. In bello autem hæc apparent. Primò Dux, qvi ob certam justamq; causam exercitum conscribit, ejus delectum habet, jubet dicere sacramentum, deinde arma tradit, vexillum erigit, & si suos milites premi videat, mittit subsidium, atq; ita victoriam reportat. Ita etiam in hoc bello sacro dux est Domino ille יְהוָה צְבָאוֹת exercituum, qvi omnibus creaturis imperat, & cujus jussa illæ libenter capessunt, Psal. 24. & 148. Ille ob justam causam, nempe qvod sint subditi sui à Diabolo seducti & abducti, cum eo bellare incipit; eos, ut se in libertatem pristinam ipsius ope vindicent, per suos nuntios monet, si qvi sapiunt, catenis ruptis ex carcere tam squalido aufugiunt. Hos ille bonus suorū dux per verbum omnes vocat, bonos & malos, imo humaniter invitat, verùm postea delectum qvendam habet, plures malos qvàm bonos invenit, (vide similia qvedā in hanc sententiam Matth 3 & 21.) hos in baptismo jubet sacramento se obstringere, fore se fidos hujus ducis milites, Rom. 6. 1 Cor. 15. 1. Petr. 3. arma qvam plurima spiritualia tamen ad hoc bellum necessaria præbet, 2. Cor. 10. Eph. 6. Vexillum crucis, resurrectionis & in cœlum ascensionis præferendum curat, & ne deficiant, suos ministros angelos & homines & cœlestes Spiritus mittit subsidio, Mal. 3. Hebr. 1. Præmium autem qvodnam? Ibi corona marcescens, hîc semper frondens, 1. Cor. 9, 25. 1. Petr. 1, 4. Merito igitur exclamat Syrach c. 2, 1. Fili mi, si ad serviendum DEO accesseris, compara te ad tentationem. Degeneres Israëlitarum, qvando videbant pugnam esse contra hostes capessendam, in Ægyptum redire æternumq; servire malebant, qvàm liberi in sancta terra vivere. Ita etiam cum multis hominibus est comparatum, malunt in pristinam servitutem redire, qvàm DEO servire, qvorum animus non est rectus. *Justus autem ex fide sua vivet.* Habac. 2, 4. Confer Hebr. 10, 32. qvem locum probè nota, cum toto seqventi capite, siqvidem ibi exercitus delectorum DEI militum introducitur, qvos imitetur oportet, qvi vult cum piis & CHRISTO tandem regnare, Rom. 8, 17. Et hæc doctrina est generalis: videamus specialiores.

II. LOC. COMM.

QVando Reges aliqvot devicerat & cœperat Josua, suos milites vocat & mandat, ut pedes imponant cervicibus istorum, ut ita ad se-

seqventes pugnas reddantur alacriores, Josuæ 10, 24. Noster Jesus & Salvator qvando vicit mortem, infernum, Diabolum, nos suos subditos vocat & animat, ut conculcemus ipsius vi capita eorum, Roman. 16, 20. Gideon item Jetherum filium suum primogenitum jubet hostes captos occidere, Jud. 8, 20. Christus mandat electis suis reliqvis, qvos à mundo separavit & reliqvit sibi, amatq; ut primogenitum, ut hostes jam prostratos prorsus interficiant. Confer Ephes. 6, 13. Jacob. 4, 7. Id est, qvod hoc loco inculcatur, Diabolum esse victum, non posse prævalere, & esse ejectum extra regnum cœlorum. Qvi igitur non vult lædi ab eo, maneat intra murum Ecclesiæ, hoc est, in DEO, Zachar. 2, 5. ita securus & tutus erit ibi; maneat intra Christi ovile, ita eum nemo abripiet, Joh. 10, 28. Qvod si verò Christi, veri Salomonis, illud mandatum: In me manete, Johan. 15. cum malè sic dicto Simei, 1. Reg. 2. (qvia est inutilis auditor, qvi non facit jussa, Jacob. 1.) oblitus, in mundum volet expatiari, videat ne cum Dina virginali suo serto privetur, 2. Corinth. 11, 2. Nam mundi species transversos agit & abripit homines, 1. Corinth. 7. Qvi ex Israëlitis nocte illa, qvando Angelus interfector occidebat Ægyptios, extra limen domûs suæ non egrediebantur, tuti erant ab illâ plagâ, Exod. 12, 22. Sic qvi in Christo ejusqve domo Ecclesia, intraqve officii sui limites manent, à Diabolo lædi neqveunt, siqvidem est is inde ejectus, & ita, ut nunqvam locus ipsi denuo detur ex versu præcedenti. Qvando Moses ex Ægypto, Christus in Ægypto exulare cogebatur, spes tamen erat reditûs; Verum Diabolo illa planè est præcisa; nec immerito, qvia est nimis malus, qvod ex ejus nominibus apparet, de qvibus nunc.

III. Loc. Comm.

PRimum notat crudelitatem & vigilantiam; secundum calliditatem & astutiam; tertium malitiam; qvartum potentiam. Draco enim non tantùm est magnum, sed & crudele, & in omnes occasiones nocendi adversario intentum animal. Is adversarius autem est maximum inter terrestria, nempe Elephas, ut narrat Plinius libr. 8. c. 11. & 12. Summa huc redit; Est inter hos duos perpetua discordia: & qvia Draco novit se vi non posse opprimere eum, astu rem aggreditur, caudæ ejus se implicat, deinde nares petit, & Spiritum præ-

præcludens unà cum Elephanto, qvem est complexus, concidente autem pondere oppressus, ejusqve sangvine, qvem bibit, inebriatus, colliditur & perit; sic etiam inter magnum hunc draconem Diabolum & CHRISTUM ter optimum maximum θεάνθρωπον est perpetua nunc & deinceps in membris, qvondā tempore exinanitionis in ipso capite, dimicatio & pugna. Is CHRISTI calcaneo insidiatur, eumqve mordet, sangvinemqve profundendum per Judæos curat, sicut & deinceps martyrum sangvine per tyrannos effuso ruber sæpe factus est, supra v. 3. Illos autem omnes cum DEUS permittit, vitā qvidem privat, sed à CHRISTO occiso occiditur, Oseæ 13. & à martyribus tyrannide victis fide vincitur, 1. Johan. 5. & tandem à judicatis judicabitur, 1. Corinth. 6, 3. De serpentis verò præcipuè annosioris & majoris calliditate hinc inde alii; & satis ea apparet ex illo Salvatoris effato: Estote prudentes ut serpentes, Matth. 10, 16. Confer Gen. 3, 1. Nos ex Plin. lib. 28. c. 9. & l. 7, 2. hæc duo tantùm hac vice notabimus. (1.) Qvod inter serpentes & cervos perpetua sit inimicitia, & illi ab his perdantur; ita etiam inter Diabolum & CHRISTUM, ejusq; sanctos est pugna, qvorum ille cum cerva matutina, Psalm. 22, 1. hi cum cervo glocitante ad aqvas puras comparantur, Psalm. 42, 1. (2.) Qvod & mali ac feri qvidam homines, ut Phylli & Marsæ, mino à serpentibus lædantur, in causa salivam hominis præcipuè jejuni esse. Sic etiam Diabolus pios magis petit qvam impios, cùm hos jam vivos cœperit, & pro libitu ducat, 2. Tim. 2, 26. & à piis precibus, suspiriis & lachrimis, præcipue eorum qvi temperantes sunt & jejunāt, abigitur, Matth. 17, 21. Ut autem hic ipse Diabolus vocatur Draco & serpens, ita & ejus progenies ac filii, Joh. 8. appellantur eodem nomine, & contra pios insurgunt, eodem qvo hic eorum Dux omine. Confer Es. 27, 1. Matth. 3, 7. & c. 23, 33. & tandem simul audient hanc sententiam: Ite in ignem æternum, qvi paratus est Diabolo & ejus angelis, Matth. 25, 41. Gaudete hîc igitur afflicti parumper Christiani, Matth. 5. & 10. nam vos cum Lazaro æternum solatium, sed afficientes vos æternum percipient cruciatum, Luc. 16. siqvidem justum est apud DEUM, iis qvi vos afflixerunt, reddere afflictionem, 2. Thes. 1, 6. Vos modo patienter perdurate, Hebr. 10, 25. 36. fortes estote in Domino, confidete, in Ecclesia manete. Sic neqve Draco terrere, neqve serpens ille vos mordere potest.

IV. Loc. Comm.

Dicis; Est porro Diabolus, est Satanas, qvi seducit totum terrarum orbem? Ita est certè, & reperitur nemo, qvem hic non seduxit; sapientissimum Adamum, Genes. 3. veracem Abrahamum, Genes. 12. & 21. sanctissimum Lotum, Genes. 19. temperantissimum Noachum; fortissimum Simpsonem, Jud. 14, 15. 16. prudentissimum Salomonem, 1. Reg. 11. piissimum Mosen & Aaronem, Num. 20. Davidem Virum juxta cor DEI, Actor. 13. 2. Sam. 11. Petrum constantem confessorem, Matth. 26. & sic de cæteris; sed tu qvid velis aut omnem fortunam recusare, aùt propriam, aut præcipuam postulare? qvi lapsus times & experiris in te, dum illos aspicis seductos, etiam vide benignitate DEI erectos, & qvi in cadendo fecisti paria, etiam in resurgendo eos imitare. Accuset te tum ille Diabolus in conspectu DEI, qvod peccaveris; tu responde: Ecce agnus DEI, qvi tulit peccata mundi; præsertim si ille DEUM esse crudelem calumniari velit. Qvod si contra DEI benignitatem nimis inculcat, teqve ad securitatem incitet: oppone ex Psal. 5. Non est DEUS volens iniqvitatem. Qvod si apud homines calumniam de te spargat, confide, & præclarâ rectè factorum sustentare conscientiâ. Ecce non es supra magistrum, qvi non poterat morsum calumniatorum & diaboli effugere, Matt. 9. Luc. 15. Matth. 11. Paulus & Stephanus, imo ipse Christus seditionis accusatur. Ita semper eadem fabula mutatis personis agitur. Susanna castissima ab impurissimis accusatur senibus. David pacis amans à Saule improbo turbatore ad supplicium poscitur: Elias ab Achabo reprehenditur. Semper ergo hic esse Diabolum memineris; bona iste malus usqve arrodit, & qvia benefacere aut benedicere non didicit, id sibi negotii credidit esse datũ, alios ut factis & dictis lædat. Qvod si etiam Satanã seu adversariũ se præstet, tu resiste ei in fide, 1. Pet. 5. v. 9. Jac. 4, 7. nec Goliatho huic infernali terga dato, sed contra audentior ito, Nomine DEI fretus, ejusqve nomine armatus, non Saulis ac mundi telis instructus, 1. Sam. 17. Considera qvibus rebus tibi possit obsistere: Aqvâ? per hanc DEUS viam sæpe suis fecit, Exod. 14. Jos. 3. 2. Reg. 2. Igne? hujus flammas DEUS potest cohibere, Dan. 3. aut inde educere, Gen. 19. Tyrannis? vel eos placatos reddit, ut Josepho Pharaonem, Danieli Nebucadnezarem, vel perdit, ut Pha-

Pharaonem, Saulem, Senacherib. Paupertate? ille panem de cœlo, aves ex aëre adducit, vestes & calceos conservat. Morbis? ille est medicus, Exod. 15, 26. Morte deniqve? ille per eam in vitam traducit æternam, Joh. 5, 24. & 13, 1.

V. LOC. COMM.

SEd audi & nota etiam seqvens membrum, si vis esse tutus à Diabolo; Projectus est ille in terram. Ita enim decebat serpentem & draconem repere humi prostratum. Tu igitur, qvem DEUS Jovam cœlumqve tueri jussit & erectos ad numina tollere vultus, terram & terrena vitato, non nimis te illis immisceto, memor illius Nazianzeni, θυμὲ φλέψον ἄνω, χθονίων ἐπιλείθεο πάντων, μηδὲ σε νικήσῃ πρὸς κακότητα δέμας. Aves in aëre non capiuntur; in terra, qvando se demittunt ad escam, reti implicantur: Si qvi suis animis ad DEUM subvolant pietate, ab aucupis infernalis laqveo non necesse habent metuere, Psalm. 91, 3. Contra si qvis iræ, avaritiæ, libidini, ebrietati, aliisqve vitiis terræ filio dignis & gratis sit deditus, habet, captus est; qvia in terram serpens ille projectus est: ibi mordet, si qvis accedat propius. Age igitur, semper hoc memineris, DEUM in monte habitare, Ps. 15. eò contende cum Lotho, ut eripias animam tuam, nec inde descende vel jussus ab homine, imitatus Eliam, 2. Reg. 1. τῆς ζωῆς ἱδρῶτα Θεὸς προπάροιθεν ἔθηκε ἀθάνατος, Matth. 5.

VI. LOC. COMM.

Scito & hoc, angelos Satanæ cum ipso esse projectos, ne istos etiam metuas dum es in tuo cursu, tuo certamine, in officii partibus; sed contra omnes dextra & sinistra fortiter pugnes, 2. Cor. 6, 7. 8. Veniant Diaboli, malus angelus, hæreticus, 2. Cor. 11, 13. si tu spiritualia & cœlestia illa oracula in bibliis revelata seqveris, nec rationem tuam consulens te ad terram demittis, ille te non seducet, vid. Abrah. & alios Rom. 4. Hebr. 11. Audi monentem Paulum, Gal. 1. Veniat homo pravus terræ affinis, si primùm cœlestia qværis, te non tardabit cum uxore Loti qvæ immobilis substitit, & ad Sodomam in valle post se ardentem respexit, Luc. 17. Hæc itaqve Diaboli nomina te semper, cujus ille sit naturæ, & qvid tibi vicissim debeat esse curæ, moneant & moveant. Qvod ut fiat rectius, & nunc in secundâ parte

SECUNDA PARS.

Vide Ecclesiam veram de Diaboli clade & ejectione exultantem; deqve illa egregiè Johannes ita infit: *Et*, postqvam hic belli eventus erat cognitus, *audivi vocem magnam, dicentem in cœlo*, unde hostis jam est extrusus, ut intelligas hoc esse ἐπινίκιον & triumphale carmen, qvale Moses deleto Pharaone, Debora occiso Sisera; David prostrato Goliatho, Judith interfecto Holoferne cecinit. *Nunc facta est*, (sæpe enim ex observatione Augustini tum in script. sacra res fieri dicitur, qvando manifestatur, ut pater dicitur genuisse filium, qvando is nascitur, Genes. 5, 3, 6. 9. Christus petit se glorificari, id est, gloriam suam, qvam habuit ab æterno, toti mundo manifestari, Joh. 17, 5.) id est, declarata hac insigni victoria omnibus, Col. 2, 15. manifestata, agnita & deprædicata, 1. Tim. 3, 16. *Salus*, qvæ in Salvatore mundi JESU CHRISTO erat promissa, qvæ nihil aliud erat, qvam liberatio à morte, Diabolo ac inferno; *& potentia*, qva res tantas ille θεάνθρωπ& effecit; *& regnum DEI nostri*, illud regnum gratiæ qvod emissis Apostolis eorumq; successoribus in mundo instituit, *& potestas Christi ejus*, illa omnia discussis hæresium nebulis luce Evangelii, & hujus armis, omni valida munitione destructa, qvæ se DEO opponit, 2. Cor. 10. jam toti mundo ex tantis effectis apparent (qvod ad phrases. Confer supra c. 11, 15. & videbis, qvod plerumq; constructio illum omnino sensum postulet, recte posse hæc ita verti: qvo tamen cum sensu non pugnat illa Lutheri versio: **Nun ist das Heyl/ vnd die Krafft/ vnd das Reich/ vnd die Macht vnsers Gottes/ seines Christus worden.** Siqvidem non tantum in CHRISTO omnes DEI promissiones sunt certæ & Amen, 2. Cor. 1, 20. verum etiam in filio & per eum Pater se propitium nobis declaravit, Et illa omnia beneficia, qvæ ad redemptionem & hinc resultantia bona spectant, contulit, omniaq; huic CHRISTO dedit, ut ex ipsius plenitudine omnes acciperent, Joh. 1.) *eò qvod projectus sit* deorsum in terram, uti dictum, imo in infernum, (qvæ est verbi κατεβλήθη emphasis) *ille accusator*, & sæpè falsò, qvandoqve tamen verè *fratrum nostrorum* nempe *ille accusans*, qvi accusare solet *eos in conspectu Dei nostri* jam in filio nobis placati, postqvam ille dixit suis frarribus se ascendere peracto redemptionis opere ad patrem suum, & patrem nostrum, Joh. 20. *die ac nocte*, id est, sine intermissione; qvomodo accipitur illa phrasis de assiduo studio, Psal. 1, 2. Luc. 18, 7. Act. 9, 24. Apoc. 7, 15. & 14, 11. & 20, 10.

I. LOC. COMM.

DEO pro maximis, qvæ in nos contulit, beneficiis laus debetur & gratiarum actio, Psalm. 50, 15. & 76, 12. ut ipsum celebremus ex toto corde, Psalm. 111, 1. Ita ut exultent omnes fontes vitæ nostræ, Ps. 87, 7. & omnia qvæ sunt in nobis, Psalm. 103, 1. Veniente saltem arca DEI in castra Israëlitarum vociferabantur, adeò magna voce, ut perstreperet terra, 1. Sam. 4, 5. Nos igitur longè rectius, postqvam non tantum venit ad nos verum illud propitiatorium CHRISTUS JESUS, Rom. 3; sed etiam ex hostium manu nos redemit, exultemus voce magna, venisse illum desideratum cunctis gentibus, Hagg. 2. vicit iter durum pietas. **Biß willkommen du edler Gast/** &c. id vero in primis voce magna in hoc regno cœlorum dicant Verbi ministri, exclament gutture, ut audiant hoc mansveti ac afflicti, & lærentur, Psalm. 34, 3. & 4. nec de victoria in certamine hoc duro desperent.

II. LOC. COMM.

IN V. T. Prophetæ & alii pii inqvirebant & expetebant tempus hujus pugnæ ac victoriæ, 1. Petr. 1, 11. & 12. Luc. 10, 24. At hæc omnia maxime sunt revelata in N. T. qvando illa magna vox Apostolorum per totum terrarum orbem sonabat, Rom. 10, 18. Conf. Rom. 16, 25. 26. Tit. 1, 2. 2. Tim. 1, 9. 10. Eph. 3, 9. & 10. Col 1, 26. Et scias, qvid sit Photinianis aliisqve respondendum, qvi inde volunt exsculpere Evangelium in V. T. planè non fuisse, qvum omnia loca comparatè loqvantur, si qvis recte inspiciat, & modus negetur, non res ipsa; nimirum antea Christum fuisse promissum & expectatum, nunc exhibitum & datum, omnibusqve in suo verbo oblatum, postqvam illa magna vox in regno cœlorum cœpit dicere. Nam nato Christo vox de cœlis auditur: Natus est σωτὴρ Salvator, Luc. 2, 11. tum videre potuerunt omnes gentes τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ, Luc. 2, 30. 31. 32. ut merito tum dicatur revelata illa salus, cum tam dilucide, tam ampliter, & latè divulgabatur. Tum enim jam facta & transacta erant omnia, qvæ antea futura prædicebantur. Jam igitur sicut olim Israëlitæ, qvi absconderant se in montibus, audientes, fugere hostes, assequuti sunt ipsi eos qvoq; à tergo. Sic servavit Jehova Israëlem per Jonathanem, pugnæ hujus ducem, qviq; solus hostes in fugam convertebat. 1. Sam. 14. Ita nunc qvoq; qvando datus est nobis filius, cujus principatus non super nostrum sed ipsius humerum, Esa. 9, audientes hostes nostros esse dejectos & salutem nobis factam, ex antris vitiorum prorepamus, & duci nostro saltem gratulemur, Psal. 47.

III. Loc.

III. Loc. Comm.

Idqve optimo jure: siqvidem in nulla re magis declarata est DEI benevolentia & potentia, qvam in redemptione generis humani. Magnum erat ex nihilo hominem creari; majus rationis lumine & imagine DEI donari; at longè maximum est in peccatis mortuum vivificari per Christi mortem, & pretioso filii DEI sangvine redimi. Veniebat Moses cum lege; sed non plus juvabat, qvam Gehasi cum baculo. Venit Christus Salvator & pro nobis omnia præstat, qvum facta est salus & potentia DEI, ita ut inde regnum sibi pararet DEUS, si qvi propterea se redemptos esse cogitent, ut ipsi serviant in perpetua justitia, Luc. 1. Non enim est in ullo alio salus, nec aliud nomen datum est sub cœlo, in qvo possimus salvari, qvam illud nomen Jesu, Act. 4. qvi solus nobis factus est à patre justificatio, sapientia, potentia, & redemptio, 1. Corinth. 1.

IV. Loc. Comm.

Inprimis verò hîc notandum, qvòd omnia pater dederit filio suo, qvà filio hominis in tempore, ut per ipsum ea omnia, qvæ manus Dei decreverat, conficeret. Unde Christus aliqvoties, Joh. 13. & 17. Matth. 11. & 28. & alibi paulò ante passionem suam, & hujus gratiæ divulgationē, id inculcat, sibi omnia esse tradita in manus, ut qvicqvid te à Deo accepturum speras, hinc petas atq; auferas, & à Domino, & à fratre. Qvando Jacob cum suis filiis cognoscebat in Josephi manu esse clavum Regni Pharaonis, statim relictis qvibusdam impedimentis ad eum properat, qvia ibi se abunde omnia sua bona deperdita recuperaturum confidit. Ita & nos, cum Paulo obliti eorum, qvæ sunt retrò, convertamus nos ad ea qvæ sunt ante, anhelantes ad civitatem illam manentem, cujus Rex est Christus, Phil 3. qvi omnia centuplicia reddet. Contrà hæc & sciant impii ad terrorem, qvod illa victoriâ à diabolo reportatâ ostensum sit, Christo esse jam omne judicium datum, Joh. 5. eumq; judicem vivorum & mortuorum constitutum, Act. 10. qvod supra est explicatum.

V. Loc. Comm.

Omnis autem lætitia vera in regno cœlorum inde oritur, qvod legis & Diaboli accusatio de verè piis producta nihil possit; siqvidem si peccamus, advocatum habemus apud Patrem ab una parte Jesum Christum, 1. Joh. 2. & ab altera, Spiritum Sanctum, Rom. 8. qvi calumnias & qverelas Diaboli diluunt, ut non sit necesse deinceps propterea cohorrescere. Qvando Davidis causam apud patrem agebat Jonathan minus ille timebat, cujus tamen intercessio locum non habebat. Nos rectius confidimus, qvando noster Jonathan Christus Jesus, ille unctus & Regis optimi maximi filius, Ps. 2. cujus faciem nunqvam pater aversatur. Ps. 84, 10. Joh. 11, 42. nostram causam agit fidelissimè, omnesq; Diaboli exceptiones retundit. Illi igitur nostro victori sit laus, honor & gloria in sempiterna secula; qvoniam facit illius salus, ne sit nobis adeunda inferna palus. Illius nos juvat potentia, ut in infirmitate nostra reportetur victoria. Illius regni nos beat privilegium, ne veniamus in severum damnationis judicium. Illius deniq; hoc efficit potestas, ut æternum cum gaudio à nobis cerni possit Dei majestas; Tum hærebit iste accusator, qvando qvi miser hîc erat peccator fide sua justificatus regnabit in æternum cum Christo beatus. Ita fiat, ô Domine, in tuo, ô Jesu, solius nomine, Amen,

Amen.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730469042/phys_0468
DFG

F. Reppien

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730469042/phys_0471
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730469042/phys_0472
DFG

præcludens unà cum Elephanto, qvem est comp… autem pondere oppressus, ejusqve sangvine, qve… colliditur & perit; sic etiam inter magnum hu… bolum & CHRISTUM ter optimum maximum Sea… tua nunc & deinceps in membris, qvondā tempo… ipso capite, dimicatio & pugna. Is CHRISTIC… eumqve mordet, sangvinemqve profundendum … sicut & deinceps martyrum sangvine per tyrannos … factus est, supra v. 3. Illos autem omnes cum DEU… qvidem privat, sed à CHRISTO occiso occiditur, … tyribus tyrannide victis fide vincitur, 1. Johan. 5. &… tis judicabitur, 1. Corinth. 6. 3. De serpentis verò pr… & majoris calliditate hinc inde alii; & satis ea appa… toris effato: Estote prudentes ut serpentes, Matth… Gen. 3, 1. Nos ex Plin. lib. 28. c. 9. & l. 7, 2. hæc duo tan… tabimus. (1.) Qvod inter serpentes & cervos perp… & illi ab his perdantur; ita etiam inter Diabolum &… sanctos est pugna, qvorum ille cum cerva matutina… cum cervo glocitante ad aqvas puras comparan… (2.) Qvod & mali ac feri qvidam homines, ut Phyll… serpentibus lædantur, in causa salivam hominis pra… Sic etiam Diabolus pios magis petit qvam impios… vos cœperit, & pro libitu ducat, 2. Tim. 2, 26. & à … spiriis & lachrimis, præcipue eorum qvi temperant… abigitur, Matth. 17, 21. Ut autem hic ipse Diabolus … serpens, ita & ejus progenies ac filii, Joh. 8. appellan… ne, & contra pios insurgunt, eodem qvo hic eorum … fer Es. 27, 1. Matth. 3, 7. & c. 23, 33. & tandem simul aud… tiam: Ite in ignem æternum, qvi paratus est Diabol… Matth. 25, 41. Gaudete hîc igitur afflicti parumper … 5. & 10. nam vos cum Lazaro æternum solatium, se… æternum percipient cruciatum, Luc. 16. si qviden… DEUM, iis qvi vos afflixerunt, reddere afflictionem … modo patienter perdurate, Hebr. 10, 25. 36. fortes … confidete, in Ecclesia manete. Sic neqve Draco terr… ille vos mordere potest.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730469042/phys_0473
DFG